
32
5 B
3

SELECTÆ DISSERTATIONES POLEMICÆ AD TRACTATUM DE INCARNATIONE.

TOMUS TERTIUS.



ROMÆ. cIↄ.Iↄcc.LxxI.

Præsidum adprobatione.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Mag. Sac. Pal. Apost.

D. Jordani Patr. Antioch. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Augustinus Ricchini Ord. Prædic. Sac. Pal. Apost. Mag.

DISSERTATIONES

TOM. III.

INDEX

SECTIONUM, ET ARTICULORUM

Quæſtionis de Exiſtentia Myſterii Incarnationis.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

DIS-



DISSERTATIO
DE EXISTENTIA
MYSTERII INCARNATIONIS
ADVERSUS JUDÆOS ET PAGANOS.

Incarnationis existentiam duplex hostium genus impugnat.



Rimo: Judæi, qui plurium veteris Testamenti Librorum Divinitatem admittentes, atque olim Patribus suis a Deo promissum fuisse liberatorem, quem hebraice vocant... *Messiam*, profitentes, obfirmatis mentibus illum contendunt nondum advenisse.

Secundo: Gentiles, quibus adjungi possunt quotquot Scripturarum inspirationem rejiciunt.

Igitur Disputationem istam in duas partiemur Sectiones, in quibns adversus Judæos, & Gentiles seorsim differemus.

Sectio Prima.

Quomodo Mysterium Incarnationis existere adversus Judæos comprobetur.

Totius controversiæ cardo adversus Judæos in his duobus vertitur: 1. an Messias venerit; 2. utrum is sit Jesus Christus Religionis Christianæ Auctor. Si enim Judæi eò adducerentur, ut Jesum tamquam Messiam colerent, jam non possent ejus Religionem non amplecti, nec dogma Incarnationis respuere, quod Christus ipse docuit, dum se Dei Filium prædicavit.

Jam verò, quæ illa duo spectant, duobus possunt Argumentis absolvi; 1. ex Prophetis demonstrabitur Messiam jam venisse, & ex iisdem oraculis evincetur Messiam esse Christum; in 2. utrumque simul ex variis aliis momentis suadebitur.

CAPUT PRIMUM.

Messiam jamdudum advenisse contra Judæos ex præclarioribus Prophetarum oraculis, omissis aliis, demonstratur.

Tempora adventus Messiæ olim Patriarchis promissi jam dudum esse præterita astruitur precipuè; 1. ex insigni Vaticinio Jacobi, Geneseos 49. 2. ex Prophetia Danielis cap. 9.

cap.9. 3. ex Prophetiis Aggæi, & Malachiæ, 4. ex Michææ & Isaiæ Vaticiniis, atque etiam ex Testimonio Josephi Hebræi. Sex Articulis de his omnibus disseremus.

ARTICULUS I.

De Oraculo quod Judæ filio moriens Jacob edidit.

Genesis XXXIX. 10.

ORaculum illud his verbis conceptum est: *Juda, te laudabunt fratres tui. Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii Patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti. Requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna; quis suscitabit eum? Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus; donec veniat Qui mittendus est, & ipse erit Expectatio Gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Quo de Oraculo multa ex ordine quærenda sunt. Primum: Utrum hoc oraculum ad Messiam pertineat, adventusque illius in Mundum prædictionem contineat? Secundum: Utrum hoc Oraculum in Jesu completum sit? Tertium: Utrum ad solam Tribum *Judæ*, vel ad totam Gentem Judaicam sit referendum?

Duæ priores Quæstiones contra Judæos: Posterior inter Christianos Interpretes disceptatur.

Propositio I.

Hoc Oraculum, non auferetur Sceptrum de Juda &c. *venturi Messiæ prædictionem continet*.

PRobatur primo ex communi Ecclesiæ consensu, cui Christus & Scripturas Sanctas, & earum intelligentiam, easque interpretandi auctoritatem concredidit. Ex Patribus, quorum etsi variæ sint ac discrepantes hujus Oraculi interpretationes, in eo tamen consentiunt, & venturi Messiæ prædictionem illud continere, & ad Christum Jesum referri, in eoque completum esse. Ita *Origenes* Homilia 17. in Genesim; *Sanctus Justinus* in Dialogo cum Tryphone; *Eusebius Cæsareensis*, *Demonstrationis Evangelicæ* Lib.8. Cap.1. & Lib.1. *Historiæ Ecclesiasticæ* Cap.6. *S. Athanasius* Lib. De Incarnatione Verbi; *S. Ambrosius* Lib.3. in Evangelium *S. Lucæ*, & in Libello De Benedictionibus Patriarcharum; *S. Joannes Chrysostomus* Homilia 67. in Genesim, *S. Hieronymus* in Cap.1. Sophoniæ. *S. Augustinus* Lib.16. *De Civitate Dei*, Cap.41. *& Lib.*12. *contra Faustum*, Cap.42. *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib.8. contra Julianum; *Theodoretus Quæstione* 110. *in Genesim*, *&c.*

Probatur secundo ex Hebræo Textu, cujus

jus hæc ad litteram versio est: „ Non recedet „ Sceptrum a Juda, & Legislator de inter pedes ejus, usque quo veniat Siloh; & erit „ ei obedientia populorum. „ Vocem autem *Siloh* Messiam significari, consentiunt Chaldæi Paraphrastæ, puta Thargum *Onkelosi*, Hierosolymitanum, & *Jonathanis*. Thargum *Onkelosi* sic habet: „ Non auferetur habens Principatum a domo Judæ; neque Scriba a filiis „ filiorum ejus, donec veniat Messias, cujus „ est Regnum; & ei obedient populi. „ Thalmud Babylonicum, Tractatu *Sanhedrin*, Cap.2. „ Quodnam (inquit) nomen Messiæ? Qui de „ domo R. Schilæ dixerunt, Siloh nomen „ ejus, quia dicitur: donec venerit Siloh. „ Ita etiam *Beresith Rabba & Ketanna*, *R. David Kimchi*, *R. Abraham Aben Ezra*, *R. Salomon Jarchi*, & *R. Joseph* in *Ikkarim* sive *Fundamentis Fidei*. Eadem est persuasio eorum, qui Babylonicæ Captivitatis Principem, quem Æchmalotarcham appellant, magnis Judæorum copiis Bagdadi præfectum fabulantur, & de Tribu *Juda* semper eligi asserunt, indeque Oraculi veritatem peti censent; quippe nondum ablatum esse Sceptrum de Tribu Juda, nec proinde Christum venisse, pertinaciter contendentes. Qua de re pluribus disseruit *Beniamin Tudelensis in Itinere*, & *R. Abraham Zachutus in Libro Juchasin*. Quidam vero Messiam geminum hoc Jacobi Oraculo promissum opinantur; primum *Moysem*, alterum Messiam proprie dictum, quem Judæi expe-

ctant. Ita R. *Bechai* in *Genesim*, & in Lib. quem *Mensam Quadratam* inscripsit.

Probatur tertio ex 70. Interpretibus, quos illud Oraculum *Jacobi* de Messia intellexisse, eorum Versio manifestum facit: *Non deficiet Princeps ex Juda, & Dux de femoribus ejus, donec veniant quæ reposita sunt ei. Et ipse est expectatio Gentium.* Id est, donec impleantur Dei promissiones, quibus futurum spopondidit, ut in *Abrahami*, *Isaaci*, *& Jacobi* semine *benedicerentur omnes cognationes terræ, & Reges de lumbis Jacob egrederentur*; ut explicat *Eusebius*, *Lib.8. Demonstrationis Evangelicæ Cap.*1. Syrus quoque & Arabs Interpretes de Messiæ Regno Vaticinium istud intellexerunt. Syrus: „ Non deficiet Sceptrum „ de Juda, & Expositor de inter pedes ejus, „ donec veniat is, cujus illud est, & ipsum „ expectabunt gentes. „ Arabs vero: „ Non „ præteribit virga de Juda & Legislator de sub „ Imperio ejus, donec veniat is cujus ipse est, „ & ad quem congregabuntur Populi. „ Sed manifestius adhuc Textus Samaritanus, ita redditus: „ Non auferetur Sceptrum de Juda, & „ Dux de vexillis ejus, donec veniat Pacificus; & ad ipsum congregabuntur Populi. „ Quam recte enim id Messiæ conveniat, constat ex *Davide*, qui de eo prædixit: *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* (Psalmo 61.) & ex *Isaia*, qui hæc de eo vaticinatus est: *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis,*

Pater

Pater futuri sæculi, *Princeps pacis*. *Multiplicabitur ejus Imperium*, *& pacis non erit finis*, (Isaiæ 9.) De eo quoque prædicit Michæas: *Et erit iste pax*, (Michææ 5.) & Zacharias: *Et loquetur pacem Gentibus*.

Confirmatur ex Latina Versione, quæ sic habet: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, *& Dux de femore ejus donec veniat Qui mittendus est*. Quæ Versio apprime respondet Hebræo Textui, *Siloh* enim *Mittendum* significat, seu *Missum*, quod ex nono Capite Evangelii *Sancti Joannis* etiam probatur: *Vade*, *lava in Natatoria Siloe* (*quod interpretatur Missus*.) Hæc porro in Messiam quadrare manifestum est. Accedunt ad hujus argumenti robur testimonia Scripturæ Sacræ, in quibus nomen *Venturus*, quod eamdem vim habet ac *Mittendus*, Messiæ ceu proprium nomen tribuitur, Matthæi 2. 3. *Tu es qui venturus es*, *an alium expectamus?* Joannis 4. 25. *Scio quia Messias venit*, (*qui dicitur Christus*.) *Cum ergo venerit ille*, *nobis annuntiabit omnia*. Ad Hebræos 10.7. *Adhuc enim modicum*: *Qui venturus est veniet*, *& non tardabit*: Quod ex secundo Capite *Habacuch* depromptum est.

Quarto, facile refelluntur Judæi recentiores, qui hoc Oraculum ad Messiam pertinere negant. Vel enim id referunt ad Urbem *Siloh* & ad *Davidem*, vel ad *Saulem*, vel ad *Jeroboamum*, vel ad *Nabuchodonosorem*. At quodvis horum commentorum absurdidissimum est. Primi namque verba hæc, *Donec veniat Siloh*,

interpretantur, *Donec desinat Siloh*: Ista autem, *Non auferetur Sceptrum de Juda*, idem significare volunt, ac *Præstantia Judæ in Regium dominatum mutabitur*; atque hunc esse totius loci sensum: Dignitas Tribus *Juda* & Præstantia in Regnum mutabitur, cum *Siloh* Arcæ sedes esse desinet. Verum istud commentum & cum historiæ veritate, & cum manifesta ipsius Jacobæi Vaticinii sententia pugnat. Falsum enim est *Davidem* tunc Regem creatum fuisse, cum Arca de *Siloh* sublata est: Tunc enim *Saul Davidis* Decessor nondum Rex fuerat constitutus. Præterea, prædicit *Jacob*, Non ablatum iri Sceptrum de *Juda*, donec venerit *Siloh*, quod significat *Siloh* antea non venisse. Rabbini vero tunc *Judam* capessiturum Sceptrum ajunt, cum desinet *Siloh*, quod significat jam ante venisse *Siloh*.

Non minus hallucinantur, qui ad *Saulem* referunt, qui in Urbe *Siloh* Rex a *Samuele* consecratus sit, ut hæc sit loci sententia: Non auferetur Sceptrum de Juda, donec veniat tempus quo *Saul* in Siloh Rex inaugurabitur. Sed hæc explicatio cum historiæ veritate pariter pugnat. Non enim in Siloh, sed in Ramathain Sophim unctus est *Saul* a *Samuele*, in Maspha vero Rex ab eo renuntiatus est, ut constat ex 1. *Regum cap.9. & 10.* Deinde, Sceptrum non obtinuit *Juda* usque ad id tempus; sed tunc demum cum *David* Rex creatus est. Inepta itaque est hæc expositio: Non auferetur Sceptrum de Juda, donec *Saul* in Regem ungatur.

Cer-

Certe Imperium ex Tribu Juda translatum ad *Saulem*, & tunc Sceptrum *Juda* defecisse insaniunt qui affirmant; cum proxime ante *Saulem* Hebraici Populi Principatus fuerit penes *Samuelem*, & *Heli*, aliosque Judices, qui *Judæ* tribules non fuerunt, & post *Saulem* Imperium in Tribu Juda fundatum sit per *Davidem*, in ejusque posteris per annos ferme quingentos manserit. Tantum abest ut in *Saule* defecerit.

Æque absurda eorum expositio est; qui Jacobæum Vaticinium ad *Jeroboamum* referunt, quasi in Siloh Regem creatum; non enim in Siloh, sed in Sichem Rex creatus est, ut constat ex 3. *Regum Cap.* 12. Deinde nec *Sauli*, nec *Jeroboamo* convenit character ille, quo *Jacob* eum designat, qui Mittendus est: *Et ipse erit Expectatio Gentium*.

Longe etiam a veritate aberrant, qui *Nabuchodonosorem* hoc *Jacobi* Oraculo prænuntiatum volunt, quem Missum esse a Deo ad punienda scelera Judæorum *Jeremias & Ezechiel* Propheta testantur, & qui Judaicum Imperium Tribui Juda eripuit, capto *Sedecia* & Babylonem deportato. Qua enim ratione Nabuchodonosorem *Expectationem Gentium* dictum esse ostendent, qui potius execratio gentium dicendus sit secundum illud If. 14. „ Sumes parabolam istam contra Regem Babylonis, & dices: Quomodo cessavit exactor, „ quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virga dominantium, cæ-

„ dentem Populos in indignatione, ſubjicien-
„ tem in furore Gentes, perſequentem crude-
„ liter. Conquievit & ſiluit omnis terra, ga-
„ viſa eſt & exultavit, & abietes quoque læ-
„ tatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani: Ex quo
„ dormiſti, non aſcendet qui ſuccidat nos. Infer-
„ nus ſubter conturbatus eſt in occurſum adven-
„ tus tui, ſuſcitavit tibi gigantes. Omnes Prin-
„ cipes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes
„ Principes Nationum. Univerſi reſpondebunt,
„ & dicent tibi. Et tu vulneratus es ſicut & nos,
„ noſtri ſimilis effectus es. Detracta eſt ad in-
„ feros ſuperbia tua, concidit cadaver tuum:
„ ſubter te ſternetur tinea, & operimentum
„ tuum erunt vermes. Quomodo cecidiſti de
„ cælo Lucifer qui mane oriebaris? Corruiſti
„ in terram, qui vulnerabas gentes? Qui di-
„ cebas in corde tuo: In cælum conſcendam,
„ ſuper Aſtra Dei exaltabo ſolium meum,
„ ſedebo in Monte teſtamenti, in lateribus
„ Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinam nu-
„ bium, ſimilis ero Altiſſimo. Verumtamen
„ ad infernum detraheris in profundum laci.
„ Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque
„ proſpicient: Numquid iſte eſt vir qui con-
„ turbavit terram, qui concuſſit Regna, qui
„ poſuit orbem deſertum, & Urbes ejus de-
„ ſtruxit, vinctis ejus non aperuit carcerem?
„ Omnes Reges Gentium univerſi dormierunt
„ in gloria, vir in domo ſua. Tu autem pro-
„ jectus es de ſepulcro tuo, quaſi ſtirps inuti-
„ lis, pollutus, & obvolutus cum his qui in-
„ ter-

„ terfecti sunt gladio, & descenderunt ad fun-
„ damenda laci, quasi cadaver putridum. Non
„ habebis consortium, neque cum eis in se-
„ pultura. Tu enim Terram tuam disperdidi-
„ sti, tu populum tuum occidisti. Non voca-
„ bitur in æternum semen pessimorum. Præ-
„ parate filios ejus occisioni in iniquitate Pa-
„ trum suorum. Non consurgent, nec here-
„ ditabunt terram, neque implebunt faciem
„ orbis civitatum.

Objicies: Si illud *Jacobi* Vaticinium ad Messiam pertineret, illud Christus, vel Apostoli & Evangelistæ ad fidem sibi conciliandam adduxissent. At illud in testimonium non protulerunt: ad Messiam igitur non pertinere judicarunt.

Respondetur: Falsam esse Majorem. Non enim omnia Prophetarum Vaticinia, quæ Messiam spectant, Christus protulit, nec eorum omnium auctoritatem Evangelistæ vel Apostoli in Libris Sacris usurparunt. Satis fuit Christo Judæos ad *Moysem*, & Prophetas remittere, quorum Oracula ad ipsum pertinentia in Synagogis legebantur. *Habent*, inquit, *Moysem*, *& Prophetas*, *audiant illos* (Lucæ 16. 29.) *Scrutamini Scripturas*, *quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere*, *& illæ sunt quæ testimonium perhibent de me* (Joan.5.)... *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit* (Ibid.)

Propositio II.

Oraculum illud Jacobi morientis Judæ editum, in Domino Jesu completum est.

Probatur: Illud oraculum in Domino Jesu completum est, cujus partes omnes Domino Jesu conveniunt: Atqui Oraculi Jacobæi partes omnes Domino Jesu conveniunt: Illud ergo in Domino Jesu completum est.

Probatur minor. Ista enim in primis ad Jesum spectant: *Juda, te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii Patris tui.* Filium Judam, quatenus Messiæ Pater est, *Jacobus* alloquitur; vel potius Messiam in Patre *Juda*, ex cujus nimirum Tribu nasciturus erat.... (*Matthæi* 1. 3. 16. *Lucæ* 3. 23. 24. *Hebr.* 7. 14. *Apocalypsis*, 5. 5.) A fratribus suis laudatus & adoratus est Jesus, Christianis videlicet, quos fratrum loco habere se profitetur. Psal.21. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Matthæi 12. 50. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Joan.20.17. *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Ab iis autem primum laudatus est, cum miracula patrantem viderunt. Deinde cum a mortuis redivivum cognoverunt, tunc vere Deum esse professi sunt, ipsumque eo nomine adora-

rarunt. Et divinos ipsi exhibent honores, quicumque Christianam Religionem sunt amplexi. Psal.71. 6. 9. „ Coram illo procident Æthio-
„ pes, & inimici ejus terram lingent . . . Et
„ adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes
„ gentes servient ei. *Matthæi* 28. 16. 17.
„ Undecim Discipuli abierunt in Galilæam in
„ Montem, ubi constituerat illis Jesus. Et vi-
„ dentes eum adoraverunt. *Ad Philippen-*
„ *ses* 2. 10. Ut in nomine Jesu omne genu fle-
„ ctatur, cælestium, terrestrium & inferno-
„ rum; & omnis lingua confiteatur, quia Do-
„ minus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.
„ *Apocalypsis* 5. 11. 12.13. Et vidi, & au-
„ divi vocem Angelorum multorum in circui-
„ tu throni, & animalium, & seniorum; &
„ erat numerus eorum millia millium, dicen-
„ tium voce magna: Dignus est Agnus qui
„ occisus est, accipere virtutem, & divinita-
„ tem, & sapientiam, & fortitudinem, &
„ honorem, & gloriam, & benedictionem.
„ Et omnem creaturam quæ in cælo est, &
„ super terram, & sub terra, & quæ sunt in
„ mari, & quæ in eo: omnes audivi dicentes:
„ Sedenti in throno, & agno, benedictio, &
„ honor, & gloria, & potestas in sæcula sæ-
„ culorum „. Cervices vero inimicorum vel cædit, vel sub jugum mittit, prout de ipso vaticinatus est *Balaamus*, Numerorum 24. 17.
„ & percutiet Duces Moab, vastabitque om-
„ nes filios Seth. *Item* David *Psal.*109. Di-
„ xit Dominus Domino meo, Sede a dextris
„ meis,

„ meis, donec ponam inimicos tuos ſcabel-
„ lum pedum tuorum ... Confregit in die iræ
„ ſuæ Reges. Judicabit in nationibus, imple-
„ bit ruinas, conquaſſabit capita in terra mul-
„ torum. *Joannis* 12. 13. Nunc Judicium eſt
„ Mundi, nunc Princeps hujus Mundi ejicie-
„ tur foras. *Ad Coloſſenſes* 2. 15. Et expolians
„ Principatus & Poteſtates traduxit confiden-
„ ter, palam triumphans illos in ſemetipſo.
„ *Apocalypſis* 19. 13. 15. 16. Et veſtitus
„ erat veſte aſperſa ſanguine, & vocatur no-
„ men ejus, Verbum Dei ... Et de ore ejus
„ procedit gladius ex utraque parte acutus;
„ ut in ipſo percutiat Gentes. Et ipſe reget
„ eas in virga ferrea ... Et habet in veſtimen-
„ to, & in femore ſuo ſcriptum: Rex Re-
„ gum, & Dominus dominantium.

Quæ de Chriſti Jeſu potentia *Jacob* prædixerat, leonis comparatione illuſtrat. *Catulus*, inquit, *leonis Juda: Ad prædam, fili mi, aſcendiſti: Requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna; quis ſuſcitabit eum?* Chriſti fortitudinem & Regium genus hac metaphora ſignificat. Aſcendit ad prædam, cum ex orci faucibus, dæmoniſque tyrannide humanum genus eripuit. Admirabilem ejus prædationem vaticinatus eſt *Iſaias* Cap. 8.: Et dixit Dominus
„ ad me: Sume tibi librum grandem, & ſcri-
„ be in eo ſtylo hominis, velociter ſpolia de-
„ trahe, cito prædare. Et adhibui mihi teſtes
„ fideles, Uriam Sacerdotem, & Zachariam
„ filium Barachiæ, & acceſſi ad Prophetiſ-
„ ſam,

„ sam, & concepit, & peperit filium. Et
„ dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus,
„ accelera spolia detrahere, festina prædari:
„ quia antequam sciat Puer vocare Patrem
„ suum & Matrem suam, auferetur fortitudo
„ Damasci, & spolia Samariæ coram Rege
„ Assyriorum „. De quo & *S. Joannes* Apocalypsis 5. 5. *Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris, ecce vicit Leo de Tribu Juda, Radix David* ... Deinde victoriæ ejus modum *Jacob* describit his verbis: *Requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna; quis suscitabit eum?* Quæ Christi mortem ac resurrectionem exprimunt; ac si dicat: In ipsa morte fortitudinem suam ostendet, hostibusque terrorem incutiet, siquidem devicta morte, redibit ad vitam propria virtute, Patrisque potentia. Psal. 3. 6. „ Ego dormivi, & soporatus sum, &
„ exsurrexi, quia Dominus suscepit me. *Oseæ*
„ 13. 14. Ero mors tua, o mors: Morsus tuus
„ ero, inferne. *Joan.* 2. 19. Respondit Jesus,
„ & dixit eis: Solvite Templum hoc, & in
„ tribus diebus excitabo illud. Dixerunt Judæi:
„ Quadraginta & sex annis ædificatum est Tem-
„ plum hoc, & tu in tribus diebus excitabis
„ illud? Ille autem dicebat de Templo cor-
„ poris sui. Cum ergo resurrexisset a mor-
„ tuis, recordati sunt Discipuli ejus; quia hoc
„ dicebat, & crediderunt Scripturæ, & ser-
„ moni quem dixit Jesus. *Actuum* 2.24. Quem
„ Deus suscitavit solutis doloribus Inferni,
jux-

„ juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab
„ eo. David enim dicit in eum: Providebam
„ Dominum in conſpectu meo ſemper; quo-
„ niam a dextris eſt mihi, ne commovear.
„ Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exul-
„ tavit lingua mea; inſuper a caro mea re-
„ quieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques
„ animam meam in inferno, nec dabis ſanctum
„ tuum videre corruptionem. Notas mihi fe-
„ ciſti vias vitæ, & replebis me jucunditate
„ cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter
„ dicere ad vos de Patriarcha David, Quo-
„ niam defunctus eſt & ſepultus; & ſepulcrum
„ ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem.
„ Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia ju-
„ rejurando juraſſet illi Deus de fructu lumbi
„ ejus ſedere ſuper ſedem ejus, providens lo-
„ cutus eſt de Reſurrectione Chriſti, quia ne-
„ que derelictus eſt in Inferno, neque caro ejus
„ vidit corruptionem. Hunc Jeſum reſuſcita-
„ vit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus.

Pergit deinde Jacob vaticinium ſuum his verbis: *Non auferetur Sceptrum de Juda & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus eſt: ipſe erit Expectatio Gentium.* Quibus verbis Principatus & Regnum, cujus finis in Meſſiæ adventu exiſtet, prænuntiatur; futurumque ut Meſſias, ex Tribu Juda naſciturus, Regnum ſpirituale & æternum conſtituat, non ſolos Iſraelitas regens, ſed Gentes univerſas ditioni ſuæ ſubjiciens. Hæc au-

autem in Christo completa facile demonstrantur. Sive enim ad solam Tribum Juda promissionem illam temporarii Regni referre placeat cum *Origene* & *SS. Epiphanio*, *Cyrillo*, *Augustino*, aliisque: Sive ad totam Gentem Judaicam, in qua præcellens semper fuit Tribus *Judæ* potestas, Messiam orbi daturæ, ut *S. Justino Martyri*, *Eusebio Cæsariensi*, *& S. Athanasio*, *S. Ambrosio*, aliisque Patribus, & Eruditis Viris visum est: Sive *Sceptri & Ducis* nomine Regia Dignitas intelligatur: Sive auctoritas summa Senatus Hebraici ex Septuaginta Viris conflati, quem *Synedrium Magnum*, sive *Domum Judicii Magni Hierosolymitani* appellabant: hæc in Jesum convenire, & in illo adimpleta esse manifestum est, proindeque cæcos esse Judæos qui alium ab ipso Messiam expectent. Sub Christi ortum Regnum in Judaica gente defecerat, idque fiduciario jure a Romanis tenebat *Herodes*, quem alienigenam fuisse, utpote Idumæum genere, constat ex *Josepho Lib.* 14. *Antiquitatum Judaicarum*, Capitibus secundo, vigesimo-septimo, & ultimo, & Lib. 1. *De Bello Judaico*, Cap. 4. *Julio Africano*, *&* *Eusebio* Lib. 1. *Historiæ Ecclesiasticæ* Cap. 6. *S. Epiphanio* Hæresi 20. *S. Hieronymo*, *S. Ambrosio Lib. de Benedictionibus Patriarcharum*, Cap. 4. *S. Augustino Lib.* 18. *De Civitate Dei*, *S. Cyrillo Alexandrino Lib.* 7. *Commentariorum in Genesim*, quorum testimonia proferri solent contra *Nicolaum Damascenum* ignavum *Herodis* assentatorem, *Scaligerum*, *Ca-*

Casaubonum, & alios recentiores, qui in Quæstione de *Herodis* genere ac patria tractanda nimis a veritate aberrarunt. Quæ vero in *Herode* ante Christi ortum cœpta erat abrogatio Regiæ potestatis, non solum a Tribu *Juda*, sed ab ipsa Gente Judaica, cujus illa Tribus pars erat nobilior, in clade Hierosolymis a *Tito* illata consummata est. Synedrium Magnum Hierosolymis Jebanam captivum fuisse abductum quadraginta annis ante secundi Templi excidium, narratur in Thalmude, nempe circa tempora mortis Chisti, ac penitus demum fuisse sublatum constat. Post cladem vero Hierosolymitanam quoquoversum dissipata est Gens infelix, alienis parere coacta legibus, nihil eorum habens, aut attentare ausa, quibus constat Regia potestas, puta Jus reos morte plectendi, Belli denuntiandi ac gerendi, Monetam cudendi, Leges ferendi. Immo vero ludibrio & contemptui ubique habita, velut in celeberrimo universi orbis Theatro mortis Jesu Christo illatæ pœnas luit, divinæ maledictionis manifestissimum signum ferens. Tandem quod Jesus Christus pro caduco & temporario Regno Judaicæ Gentis, Regnum spiritale æternum instituerit, quo non Judæos modo, sed Gentes orbis universi regit, Script. Sacræ Veteris & Novi Testamenti testantur. Psal. 11. „ Ego „ autem constitutus sum Rex ab eo super Sion „ Montem Sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus „ es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & „ dabo

„ dabo tibi Gentes hereditatem tuam , & pos-
„ sessionem tuam terminos terræ . Reges eos
„ in virga ferrea . *Isaiæ* 9. 6.7. Parvulus enim
„ natus est nobis, & filius datus est nobis, & fa-
„ ctus est Principatus super humerum ejus, &
„ vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consilia-
„ rius , Deus , Fortis , Pater futuri sæculi ,
„ Princeps pacis . Multiplicabitur ejus Impe-
„ rium , & pacis non erit finis : Super solium
„ David , & super Regnum ejus sedebit , ut
„ confirmet illud , & corroboret in judicio &
„ justitia , amodo , & usque in sempiternum .
„ *Isaiæ* 11. 14. 10. Et egredietur virga de
„ radice Jesse , & flos de radice ejus ascen-
„ det . Judicabit in justitia pauperes , & ar-
„ guet in æquitate pro mansuetis terræ , &
„ percutiet terram virga oris sui . . . . In die
„ illa , Radix Jessé , qui stat in signum popu-
„ lorum ipsum Gentes deprecabuntur . *Mi-*
„ *chææ* 4. Quia de Sion egredietur Lex , &
„ verbum Domini de Jerusalem . . . Et regna-
„ bit Dominus super eos in Monte Sion , ex
„ hoc nunc & usque in æternum. *Michææ* 5.2.
„ Et tu Bethlehem Ephrata , parvulus es in
„ millibus Juda: Ex te mihi egredietur , qui
„ sit Dominator in Israel , & egressus ejus ab
„ initio , a diebus æternitatis . *Lucæ* 1. 32.32.
„ Hic erit Magnus , & Filius Altissimi voca-
„ bitur , & dabit illi Dominus Deus sedem
„ David Patris ejus , & regnabit in domo Ja-
„ cob in æternum ; & Regni ejus non erit
„ finis . *Apocalypsis* 11. 15. Et septimus An-
„ gelus

„ gelus tuba cecinit, & factæ sunt voces ma-
„ gnæ in Cælo dicentes: Factum est Regnum
„ hujus mundi Domini nostri, & Christi ejus
„ & regnabit in sæcula sæculorum. Amen.

Demum Christo Jesu conveniunt hæc verba, quibus celebre illud, de quo agimus Jacobi Oraculum concluditur: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores*. Hinc enim Vitis vera, ut ipse de se ait, Joannis 11. 1. *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est* .... Item, *Ego sum vitis, vos plamites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Asina autem & pullus ejus, symbola sunt Judæorum & Gentilium: quos cum gratiæ suæ & caritatis vinculis ad se trahit, sibique per fidem devincit & conjungit, tum demum pullum, & asinam ad vitem ligat. *Lavit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, cum suum Corpus in Passione pretioso Sanguine suo, pro omnium hominum fuso salute, cruentavit, prout *Isaias* prædixerat, Cap.63. 1. 2. „ Quis est iste qui venit
„ de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste
„ formosus in stola sua?... Quare ergo rubrum
„ est indumentum tuum, & vestimenta tua si-
„ cut calcantium in torculari „? Quamobrem in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento Sanguinem suum ex vino fieri voluit; & cruenta veste indutus *S. Joanni* visus est, *Apocal.* 19. 13.

Quæ

Quæ de oculorum pulchritudine, & candore dentium sequuntur, Christi Jesu speciem ac decorem commendant; non eum quidem, qui in externa corporis forma, sed qui in animi dotibus ac virtute positus est. De quo David Psalm. 44. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.*

Hoc *Jacobi* Oraculum ad Christum Jesum pertinere egregie ostendunt, & ita fere explicant *S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, Origenes, Eusebius lib.*8. *Demonstrationis Evangelicæ, S. Joannes Chrysostomus Homilia* 67. *in Genesim, Sanctus Augustinus lib.*12. *contra Faustum, cap.*42., *S. Ambrosius lib. de Benedictionibus Patriarcharum, capit.*4. *S. Cyrillus* Alexandrinus *lib. Glaphyrorum in Genesim, Theodoretus Quæst.*110. *in Genesim*, & alii. Unius *S. Augustini* verba hic subjicio, qui recensito Oraculo Jacobi Patriarchæ, ait: „ Falsa sint ista, obscura sint ista, „ si non in Christo evidentissima luce claruerunt. Si non eum laudant fratres ejus Apostoli, & omnes coheredes ejus, non suam „ gloriam quærentes, sed ipsius. Si non sunt „ manus ejus super dorsa inimicorum ejus. Si „ non deprimuntur, atque curvantur ad terram crescentibus Populis Christianis, quicumque illi adhuc adversantur. Si non adoraverunt eum filii Jacob in reliquiis, quæ per „ electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si non „ ipse catulus est leonis, quoniam nascendo „ par-



„ parvulus factus est: Propter hoc additum „ *De germinatione filius meus*. Caussa quippe „ reddita est, quare catulus, in cujus laude „ alibi scriptum est, *Catulus leonis fortior jumentis*: hoc est, etiam parvulus fortior „ majoribus. Si non ascendit in Cruce recumbens, cum inclinato capite reddidit spiritum. Si non dormivit ut leo, quia & in „ ipsa morte non est victus, sed vivit, & ut „ catulus leonis: inde enim mortuus est, unde „ & natus. Si non ille eum suscitavit a mortuis, quem nemo hominum vidit, & videre non potest. Eo enim quod dictum est, „ *Quis suscitabit eum?* satis expressa est tamquam ignoti significatio. Si defuit Princeps „ de Juda, & Dux de femoribus ejus, donec „ venirent opportuno tempore, qnæ promissa tamquam reposita fuerant. Sunt enim literæ certissimæ Historiæ ipsorum quoque Judæorum, quibus ostenditur primum alienigenam Herodem Regem fuisse in Gente „ Judæorum, quo tempore natus Christus est. „ Ita non defuit Rex de semine Juda, donec „ venirent quæ reposita erant illi. Sed quia „ non solis Judæis fidelibus profuit quod promissum est, vide quid sequatur: *Et ipse erit expectatio Gentium*. Ipse alligavit ad „ vineam pullum suum, id est, Populum „ suum, in cilicio prædicans & clamans, *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim Regnum cælorum*. Populum autem Gentium illi subditum cognoscimus pullo asinæ compara-

„ tum,

;, tum, in quo etiam sedit, ducens eum in
„ Jerusalem, id est, in visionem pacis, do-
„ cens mansuetos vias suas. Si non lavit in
„ vino stolam suam: ipsa est enim gloriosa
„ Ecclesia, quam sibi exhibet non habentem
„ maculam aut rugam. Cui dicitur etiam per
„ Isaiam: *Si fuerint peccata vestra sicut phœ-*
„ *nicium, tamquam nivem dealbabo*. Unde
„ nisi de dimissis peccatis? In quo ergo vino
„ nisi in illo de quo dicitur, *Quod pro multis*
„ *effundetur in remissionem peccatorum*? Ipse
„ est enim botrus ille qui pependit in ligno.
„ Propterea & hic vide quid adjungat: *Et in*
„ *sanguine uvæ amictum suum*. Jam vero ful-
„ gere oculos ejus a vino, illa in corpore ejus
„ membra cognoscunt, quibus donatum est
„ sancta quadam ebrietate alienatæ mentis
„ ab infra labentibus temporalibus, æternam
„ lucem Sapientiæ contueri; unde quiddam
„ paullo ante commemoravimus, dicente Pau-
„ lo: *Sive enim mente excessimus Deo*. Hi
„ sunt fulgentes oculi a vino. Sed tamen quia
„ sequitur, *Sive temperantes sumus vobis*:
„ Nec parvuli relinquuntur, adhuc lacte nu-
„ triendi, quia & hic sequitur, *Et dentes*
„ *ejus candidiores lacte*. Quid ad hæc respon-
„ detis insani? Nempe ista manifesta sunt,
„ nempe omnes, non dico calumnias contra-
„ dictionis, sed etiam nebulas dubitationis
„ expellunt.

Objiciunt Judæorum nonnulli, Æchma-
lotarcham quemdam e Tribu Juda oriundum,
quem

quem Patriarcham appellant, Judaicum Imperium in Asia tenere, perpetuaque successione eam dignitatem ad Christum usque extituram, qui proinde nondum venerit. Sic illi in *Seder Olam Zutha*, & apud *Maimonidem in Jad Chazacah*. In eaque persuasione fuerunt jam inde ab *Origenis*, superioribusque temporibus. *Benjamin Tudelensis* in sui Itineris Historia, Æchmalotarcham illum Bagdadi Sedem habere scribit. Infinitas Judæorum copias versus Eurum statuit, sui juris, rerum omnium ubertate affluentes, amplissima & amænissima, uberrimaque loca incolentes, & ab omni reliquorum hominum commercio & aditu seclusas, propter vastissimas solitudines interjectas. *Postellus Historiæ Orientalis*, p. 1. cap. 5. & 6. tradit versus Orientem Solem diu latitasse decem Tribus, Montium angustiis circumclusas, sed tandem prognatos ex his Tartaros & Turcas inde erupisse, vastissimasque regiones armis occupasse. Quod ex *Haythoni* Armeni Historia, Cap. 17. probare conatur. Quin etiam a *Josepho Lib.* 11. *Antiquitatum Cap.* 5. memoriæ proditum est, Decem Tribus trans Euphratem deportatas, in immensam multitudinem sua ætate excrevisse. Idemque testatur *Orosius* lib. 2. cap. 7. Denique lib. 4. *Esdræ* cap. 13. legimus, decem Tribus in longinquas terras abiisse; ut Ritus suos sine impedimento observare possent, transiisse illas aquas Euphratis, & post anni unius iter in regionem imperviam *Arsareth* pervenisse, ibique summa pace frui, donec

Deus

Deus ipsas Hierosolymam reducat. „ Hæ sunt „ (*inquit*) decem Tribus, quæ captivæ factæ „ sunt de Terra sua in diebus Oseæ Regis, quem „ captivum duxit Salmanasar Rex Assyriorum, „ & transtulit eos trans flumen, & translati „ sunt in terram aliam. Ipsi sibi dederunt con- „ silium hoc ut derelinquerent multitudinem „ Gentium, & proficiscerentur in ulteriorem „ regionem, ubi numquam habitavit genus „ humanum: vel ibi observare legitima sua „ quæ non fuerant servantes in Regione sua. „ Per introitus autem angustos fluminis Eu- „ phratem introierunt. Fecit enim eis tunc „ Altissimus signa, & statuit venas fluminis „ usquequo transirent. Per eam enim Regio- „ nem erat via multa itineris, anni unius & „ dimidii: Nam regio illa vocatur Arsareth. „ Tunc inhabitaverunt ibi usque in novissimo „ tempore; & nunc iterum cum cœperint ve- „ nire, iterum Altissimus statuet venas flumi- „ nis, ut possint transire. Propter hæc vidi- „ sti multitudinem cum pace.

Respondeo, mera hæc esse Judæorum figmenta, fabulasque putidissimas. Judæos nusquam gentium jus sceptri, ditionemve ullam aut Imperium obtinere. Frequentes, longinquas, ac celebres illustrium viatorum peregrinationes, quibus accurata satis terræ habitabilis notitia hac ætate percepta est, ipsorum mendacia refellere. Illos jus gladii, quod supremæ potestatis insigne est nullibi habere. Quod post Hierosolymitanum excidium in reos ali-

quando animadvertisse legantur ipsorum Tetrarchæ, ut se expertum affirmat *Origenes Epistola ad Julium Africanum*, id fecisse vel dissimulantibus Romanis, vel id juris ipsis permittentibus. Et id Palæstinis quidem Judæis in Palæstina dumtaxat concessum; non Babyloniis, aut Ægyptiis, ut testatur Maimonides. *Beniamin Tudelensis* de iis, quæ narrat, nihil præter auditum habere se profitetur; & Æchmalotarcham ipsum a Muhammedanorum Calipha potestatem per sigilli traditionem accipere solitum: quod fiduciarii tantum, non supremi dominii argumentum est. Sed ne Synagogas quidem, Collegia, aut Scholas, nisi de licentia Principum habuerunt. Regna illa ex decem Tribubus propagata, quamvis imaginaria non essent, eorum tamen Æchmalotarcham, sive Patriarcham ex Tribu Juda oriundum, quis sibi præter insanos Judæos persuadeat? Quomodo Tribus illæ aliquem ex Tribu Juda apud se reperire semper potuerunt, quem sibi præficerent, ex quo Israel hujus Tribus detrectavit Imperium, seque ab illa segregavit? cum ex illo tempore *Non coutantur Judæi Samaritanis*, ut ait Christus Jesus Mulierem Samaritanam alloquens, *Joannis* 4.9. Præterea celeberrimi Rabbini ingenue fatentur Judæos Regia Potestate, Sceptro, ac Dominio penitus excidisse secundum illud *Oseæ* vaticinium Cap.3.4. *Dies multos sedebunt Filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine Theraphim*

phim. Id agnoſcunt *R. Iſaac Abrahaniel Commentar. in Iſaiam*, *R. David Kimchi in Oſee*, *R. Bechai*, *R. David Ganz*, & *R. Manaſſe*. Diſſertiſſime vero omnium *R. Iſaac Akrich* narrationes hujuſmodi de Aſiacico Judæorum Imperio, & Æchmalotarcha, fictitias eſſe declarat, & ad ſuorum ſolatium excogitatas. Denique *Origenes* Lib.4. Περὶ Ἀρχῶν, Cap.1. Judæorum vanitatem his verbis redarguit, de Chriſto Jeſu loquens: „ Quid vero inde dicendum eſt quod Prophetæ de ipſo ante prædixerant, Non ceſſaturos Principes ex Juda, neque Duces de femoribus ejus, uſquequo veniat Ille cui repoſitum eſt, Regnum ſcilicet; & uſquequo veniat expectatio Gentium? Manifeſtiſſime enim ex ipſa Hiſtoria apparet, ex his quæ hodie pervidentur, quia ex temporibus Chriſti ultra Reges apud Judæos non extiterunt. Sed & illæ omnes ambitiones Judaicæ, in quibus ſe jactabant quamplurimi, & in quibus exultabant, vel de Templi decore, vel de Altaris inſignibus, atque omnibus illis Sacerdotalibus Infulis, Indumentiſque Pontificum, ſimul deſtructa ſunt. Completa eſt enim Prophetia quæ dixerat: *Per dies multos ſedebunt Filii Iſrael ſine Rege, ſine Principe, non erit Hoſtia, nec Altare, nec Sacerdotium, nec Reſponſa*. His ergo teſtimoniis utimur adverſus eos, qui videntur aſſerere de his quæ in Geneſi ab Jacob dicta ſunt, quod de Juda dicta ſint, & dicunt perma-

 „ nere

„ nere adhuc Principem ex genere Judæ ,
„ illum videlicet qui est Gentis eorum Princeps , quem nominant Patriarcham ; nec
„ deficere posse de semine ejus qui permaneat
„ usque ad adventum ejus Christi , quem sibi
„ ipsi describunt . Sed si verum est quod ait
„ Propheta : *Quia dies multos sedebunt Filii*
„ *Israel sine Principe , nec erit Hostia , nec*
„ *Altare , nec Sacerdotium* ; & utique ex
„ quo subversum est Templum , nec hostiæ
„ offeruntur , nec Altare invenitur , nec Sacerdotium ; constat & certissimum est defecisse Principes ex Juda , sicut scriptum est ,
„ & Ducem ex femoribus ejus , usquequo
„ veniet Ille cui repositum est . Constat ergo
„ quia venit Ille cui repositum est , in quo expectatio Gentium est . Quod manifeste videtur impletum de moltitudine eorum , qui
„ per Christum Deo ex diversis Gentibus crediderunt „ . Quæ de decem Tribubus Scriptor libri quarti *Esdræ* Apocryphus habet , ceu mera figmenta rejicimus , sicut & Thalmudis Hierosolymitani narrationem , in quo scriptum est, Decem Tribus nubibus protectas , & a reliquis mortalibus hujusmodi sepimento separatas . Esto vero trans Euphratem deportatas in immensam multitudinem excrevisse , cum *Josepho* & *Orosio* concedamus , ipsas tamen Reges Judæos habuisse negamus , neque id *Josephus* vel *Orosius* asserunt . Immo illas Barbarorum Imperiis fuisse subjectas , *Sulpitius Severus* observat *Lib.* II. *Historiæ Sacræ* .

Obji-

Objiciunt alii: Vocem Hebræam *Sheveth* quam Latinus Interpres vertit *Sceptrum* sive *Virgam*, non significare summum Imperium quod in Tribu Juda, vel in Judaica Gente ad Messiæ adventum permansurum sit; sed sævum & impotentem dominatum, quo misera ipsorum Gens ab alienis Principibus premitur & vexatur. Quæ calamitas finem accipiet, cum Christus advenerit.

Respondetur, Vocem *Sheveth* solitarie sumptam significare dominationem generatim, tam æquam & legitimam, quam tyrannicam. Hanc vero non designare, nisi adjuncto epitheto determinetur ut Psalmo II. *Reges eos in virga ferrea*. Præterea, his verbis, *Et Dux de femore ejus*, non externos Principes, sed eorum gentiles ac tribules designari. Tertio, falsum esse quod duris semper Imperiis afflicti fuerint, cum mitissimis & æquissimis Regibus sæpe paruerint. Quarto, Tribum Juda a *Davide* usque ad *Sedeciam* annorum fere quingentorum spatio Regiam Potestatem habuisse; adeoque falsum esse quod ad hæc usque tempora iniquum externorum Principum dominatum passa sit: post Sedeciam vero ac reditum ex Captivitate Ducibus, & Regibus ex propria Gente paruisse usque ad *Herodem*. Igitur si calamitas ipsorum & dura servitus a *Jacobo*, ut volunt, prædicta finem acceptura non erat, donec Messias veniret, Messiam jamdudum venisse contra ipsos conficitur: siquidem ante Christi Jesu adventum tribulibus suis ac gentili-

bus paruerunt, & florentissimum potentissimumque Imperium sub *Davide* & *Salomone* habuerunt.

At, inquiunt, hæc verba, *Donec veniat Qui mittendus est*, non significant Principatum a Tribu *Juda* non auferendum donec venerit Messias, sed post adventum Messiæ nusquam deinceps Sceptrum *Judæ* auferendum. Et sane hæc ditio *donec*, non semper finem ac cessationem notat ejus rei, de qua sermo fit, sed ejus nonnumquam continuationem, cum interventu alterius, cui dictio *donec* adjungitur. Sic octavo Genesis de corvo dicitur: *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram*. Quo non significatur corvum esse reversum postquam siccatæ sunt aquæ, sed numquam reversum, ne post siccatas quidem aquas. Sic vigesimo octavo *Genesis* Deus ait Jacobo: *Nec dimittam te donec fecero quod locutus sum tibi*. Quo non significatur quod *Jacobum* deserturus esset Deus postquam ea complevisset quæ spoponderat; immo vero nusquam ipsum deserturum. Sic *Job* vigesimo septimo capite: *Donec deficiam*, inquit, *non recedam ab innocentia mea*. Quo non significat *Jobus* se ab innocentia sua recessurum cum defecerit; immo vero se nusquam ab ea discessurum. Sic *Libri 2. Regum Cap. sexto* legimus: *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*. Quibus verbis non significatur *Michol* die mortis suæ filium tandem parituram: Immo vero perpetuo sterilem fore. Sic de *Josepho*

ſepho & *Maria* ſcripſit *Matthæus* Cap. 1. 25. *Et non cognoſcebat eam , donec peperit Filium ſuum primogenitum* . Quibus verbis non ſignificatur quod poſt *Mariæ* partum eam cognoverit *Joſephus* , ut impius *Helvidius* aſseruit ; ſed perpetuo Virginem fuiſse cum interventu partus , quo Primogenitum ſuum edidit . Hujus itaque vocis *donec* ſimilis eſt ſignificatio in Jacobæo Vaticinio , ſcilicet Sceptrum a *Juda* nuſquam ablatum iri , poſtquam ſemel venerit Meſſias . Atque hanc Jacobæi Vaticinii interpretationem , non ſolum Judæi plerique recentiores amplectuntur , ſed etiam inter Chriſtianos & Catholicos Theologos *Cajetanus Commentar. in Geneſim* , cui ex parte ſuffragatur Doctiſſimus Præſul Daniel Huetius *Demonſtrationis Evangelicæ Propoſitione* 9.

Reſpondetur , vocem *donec* , deſignare finem Judaici Imperii quo tempore venturus erat Meſſias ; alioqui nota & ſignificatio temporis ipſius adventus Jacobæo Vaticinio nulla inerit , nulla *Jacob* ſigna demonſtraverit quibus agnoſci poſſit . Adde priſcos Judæos vocem *donec* in vulgari ſignificatione hic intellexiſſe , quatenus ceſſationum importat ejus rei , de qua ſit ſermo . Sic illam accepiſſe Chaldaicarum Paraphraſum Auctores , nec non *R. Salomonem* , & *R. Kimchi* . Sic intellexiſſe *Joſephum* , cum hujus Oraculi exitum *Veſpaſiano* adulatorie adſcripſit *Lib.* 3. *De Bello Judaico Cap.* 28. & *Lib.* 8. *Cap.* 31. „ Quod autem (inquit) Ju-„ dæos ad Bellum præcipue incitabat , Vati-

„ cinium erat ambiguum similiter in sacris Co-
„ dicibus repertum, futurum nempe ut hoc
„ tempore ex Religione aliquis eorum toti or-
„ bi impararet. Hoc nonnulli quidem tam-
„ quam sibi proprium accipiebant, & multi
„ e Sapientibus in eo intelligendo hallucinati
„ sunt. „ Hic a *Josepho* notari Oraculum illud Jacobæum, Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium, Doctissimus *Huetius* probat, Demonstrationis Evangelicæ Propositione 7. numer. 32. & ex hoc *Josephi* loco manasse censet quod *Suetonius in Vespasiano* Cap. 4. *&* *Tacitus Historiæ Lib.* 5. scripserunt. Sic enim Suetonius: „ Percrebuerat Oriente toto vetus
„ & constans opinio, esse in fatis ut eo tem-
„ pore Judæa profecti rerum potirentur. Id
„ de Imperatore Romano, quantum eventu
„ postea patuit, prædictum Judæi ad se trahen-
„ tes rebellarunt. „ *Tacitus vero*: „ Pluribus
„ persuasio inerat, antiquis Sacerdotum Lit-
„ teris contineri, eo ipso tempore fore, ut
„ valesceret Oriens, profectique Judæa re-
„ rum potirentur. Quæ ambages Vespasianum
„ ac Titum prædixerant. Sed vulgus more
„ humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum ma-
„ gnitudinem interpretati, ne adversis quidem
„ ad vera mutabantur „. Eminentissimi *Cajetani*, & Illustris *Huetii* opinionem nihil moror; satis est observare quam immensum discrepet a Judæorum interpretatione. Judæi nam-

namque Regni sui tempus a Mesia inchoant: at *Cajetanus* longe vetustiora Regni hujus statuit initia, de quo *Jacob* vaticinatus est. Judæi Regnum temporarium, & cum Mundo finem habiturum intelligunt: *Cajetanus* Regnum primo temporarium signatum esse censet, quod per Mesiam spirituale fiat & æternum, ne ipso quidem Mundi occasu finiendum. Doctissimus vero *Huetius* addens *Cajetani* opinioni & expositioni, quod ipsi deesse putat, eamque majorem proferens in lucem, quatuor notari statuit his Jacobi verbis: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est, & Ipse erit expectatio Gentium*. Primum hanc prædictionis partem, *Non auferetur Sceptrum de Juda*, ait æternam Sceptri possessionem *Judæ* spondere. Alteram, *Et Dux de femore ejus*, temporarium & caducum *Judæ* præsignificare Principatum. Tertiam, *Donec veniat Qui mittendus est*, temporarii hujus Regni finem, & Mesiæ adventum prædicere. Postremam, *Et ipse erit expectatio Gentium*, Mesiæ Regnum non Chananææ Terræ claudendum angustiis, sed quaquaversus per omnem orbem patens, & spiritale futurum nuntiare.

Objicies: Jacobæum istud Oraculum nihil contra Judæos Mesiam adhuc expectantes conficere, si Prophetiam hanc non simplicem & absolutam, sed hypotheticam esse respondeant: ea lege nimirum & omine Imperium usque ad Mesiæ tempora *Judæ* esse promissum,

 si pie-

si modo Legi Divinæ obsequatur; sicut Deus Judæis æternam Terræ Chanaan possessionem & habitationem promiserat, neque tamen hæc promissio exitum habuit, quia hypothetica erat, ea scilicet conditione adimplenda, si pietatem ac justitiam colerent, Deique Legem observarent. Quod cum non præstiterint, non mirum est quod promissionum divinarum fructum non fuerint consecuti. Similiter, inquiunt, Deus Principatum usque ad Messiæ tempora *Judæ* promiserat, non tamen absolute, sed sub conditione, si a Dei cultu & observantia Divinæ Legis non deficeret. Quam quia non implevit, ideo Jacobæi illius Vaticinii eventus dilatus est.

Respondetur, hanc expositionem jure optimo rejici, cum nullo Scripturæ Sacræ testimonio fulciatur. Nullum enim est Prophetarum Vaticinium, quod simili exceptione eludi non posset. Certe Prophetiæ hypotheticæ vel expressam babent conditionem, cujus interventu exitum habituræ sunt, vel ex aliis Scripturæ Sacræ locis ea conditio diserte colligitur. At Jacobæum Vaticinium neque conditionem ullam exprimit, neque quod conditionis alicujus interventu exitum habiturum esset, ullibi in Sacris Litteris significatur. Hæc itaque Judæorum expositio arbitraria & temeraria est. Præterea, quemadmodum Prophetiæ de Messiæ adventu planæ, simplices, & absolutæ fuerunt; sic absoluta fuere Vaticinia, quæ varias ejusdem Adventus circumstantias significabant,
ni-

nimirum ex ſemine *Abrahæ*, ex Tribu Juda, ex Virgine Matre, in Bethlehem naſciturum. Sicut ergo hujuſmodi Prophetiæ ſimplices & abſolutæ fuerunt, non hypotheticæ, ſic etiam illa quæ *Jacobi* verbis continetur, tempus adventus Meſsiæ per defectum Principatus Judaici ſignificans.

PROPOSITIO III.

Jacobæum Oraculum: Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus eſt; & Ipſe erit Expectatio Gentium, *non ad ſolam Tribum Juda, ſed ad totam Gentem Judaicam pertinet*.

PRobatur invicto argumento ex Hiſtoria Sacra petito. A *Jacobi* morientis edito Vaticinio ad *Davidem* uſque plures extiterunt Judaicæ Gentis Duces ac Principes ex Juda minime oriundi. *Moſes* enim, & *Joſue*, qui poſt exitum ex Ægypto primo Populo Judaico imperarunt, tribules Juda non fuere, ſed ille ex Tribu Levi, hic ex Tribu Ephraim ducebat originem. Inter Judices, quorum ſecuta eſt dominatio, duo tantum fuere ex Tribu Juda prognati, *Othoniel*, & *Abeſan*. Judicum Principatum excepit Regium Imperium, quorum primus *Saul* ex Tribu Beniamini extitit. Rurſum decem Tribus a *Roboamo Salomonis* filio defecerunt, & Principum ex Tribu Juda

excusso jugo, *Jeroboamo* ex Ephraimitica Tribu, aliisque Regibus neutiquam ex Tribu Juda ortis paruerunt. Tempore Captivitatis Babylonicæ, Sceptrum a Tribu Juda ablatum est in *Jechonia* & *Sedecia*. Post solutam Captivitatem Babylonicam, Aristocratiæ formam assumpsit Judæorum Respublica, & summa rerum penes Sacerdotes fuit usque ad Natale Christi per quingentos & amplius annos. Quæ potestas per Assamonæos in eo ordine adeo firmata est, ut tandem *Aristobolus* Pontifex Maximus regimen illius Reipublicæ in formam Regni mutaverit. Fuit penes *Aristobuli* posteros Regia Potestas ad *Pompejum* usque plena & solida. Umbram & nomen Imperii ipsis reliquit *Pompejus*, re adempta, donec ab *Herode* Regnum Assamonæis ereptum, & genus extinctum est. Verba igitur illa Jacobæi Vaticinii, *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est*, ad solam Tribum Juda non pertinent, sed ad totam Gentem referenda sunt.

Respondent nonnulli, Sceptrum a Tribu Juda ablatum in *Sedecia* non fuisse, sed supremam potestatem in *Zorobabele* Tribus illius Principe, soluta Captivitate Babylonica fuisse suscitatam, ut observat *S. Cyrillus Lib.8. adversus Julianum*. Deinde ad *Zorobabelis* posteros transmissam, in hac eadem Tribu ad Christum usque per Assamonæos perseverasse, qui licet ex Levitica Tribu prognati, maternum tamen genus ex Tribu Juda ducebant. Con-

Conjunctam quippe fuiſse per Matrimonia Tribum utramque, ut probant exempla *Aaronis*, qui filiam *Aminadab*, & *Jojadæ* Pontificis, qui filiam *Jorami* Regis, uxores duxiſse leguntur *Exodi* 6. 7. & 2. *Paralipomenon* Cap. 22. Hac ratione ex iſta difficultate ſe expediunt *Lyranus*, *Toſtatus*, *Dionyſius Carthuſianus*, & alii.

Verum nec Regia poteſtas in Zorobabele fuit; nec Aſsamonæos ex Tribu Juda maternum genus duxiſse probari poteſt. Id enim unum aut alterum initi a Sacerdotibus cum Virginibus e Tribu Juda matrimonii exemplum non demonſtrat. Neque credibile eſt Pontifices Maximos e Tribu ſua uxores numquam duxiſse, ſed ex aliena ſemper, & ex eadem, nempe Judæ. Id cum nullo Scripturæ Sacræ, nullo Judaicæ Hiſtoriæ teſtimonio nitatur, ceu merum figmentum rejiciendum eſt. Secundo, Apoſtoli verbis id repugnat, diſerte aſserentis, Nullum umquam fuiſse Sacerdotem ex Tribu Juda, ex qua Jeſus Chriſtus natus eſt. Ad Hebræos 7. 13. 14. *In quo enim hæc dicuntur, de alia Tribu eſt, de qua nullus Altari præſto fuit. Manifeſtum eſt enim quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Nullius porro eſset roboris argumentum Apoſtoli, ſi Sacerdotes inter tribules Judæ recenſeri jure potuiſsent. Tertio, nulla maternæ ſtirpis apud Judæos habita ratio eſt, ſecundum Thalmudicum illud ſcitum: *Familia Matris non vocatur familia.* Nullum itaque

que jus ad Sceptrum Tribui Judæ proprium, Leviticæ Tribui ex prætenſa illa affinitate acceſſiſset.

Longe magis improbabile videtur quod *Genebrardus* in Chronico, & *Baronius* in Apparatu, aſserere non dubitarunt, Aſsamonæos paternum genus ad *Judam* referre. Eam enim aſſertionem aperte excludunt tum laudatus Apoſtoli locus; tum inſignis ille *Numerorum* 16. 39. 40. ubi legimus, *Eleazarum* Sacerdotem, Deo jubente, impiorum *Core*, *Dathanis*, & *Abironis* thuribula ænea produxiſse in laminas, & affixiſse Altari, *Ut haberent poſtea filii Iſrael quibus comonerentur; ne quis accedat alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron, ad offerendum incenſum Domino, ne patiatur ſicut paſſus eſt Core, & omnis congregatio ejus, loquente Domino ad Moyſen*. Eamdem refellit illud *Jeremiæ* Oraculum de Jechonia, Cap. 22. 30. *Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur: Nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda*. Caduco vero fundamento nitebatur *Baronius*, hoc nimirum loco 1. Macchabæorum, v. 63. *Et Viri Juda magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael*: Quo Macchabæos, Macchabæorumque Patrem Judam ſignificari conſebat. Legitur enim in Græco Textu, ϗ ὁ ἀνὴρ Ἰούδας ϗ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐδοξάσθησαν id eſt. *Et vir Judas, & fratres ejus glorificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael*. Idem habet

bet Versio Syriaca: *Ita Juda, & fratres ejus magis laudati fuerunt apud omnes Israelitas.* Sane Macchabæos ex Tribu Levi, non ex Tribu Juda prognatos, liquet ex Cap.2. Lib.1. *Macchabæorum* 5. 1. in quo *Mathathias* Macchabæorum parens dicitur *Filius Joannnis, filii Simeonis, Sacerdos ex filiis Joarib*: cujus sors prima exiit in descriptione stationum, quas ordine obire debebant Aaronitides familiæ, 1. Paralipomenom 24. 7. 19. *Exivit autem sors prima Joarib, secunda Jedei, &c. Hæ vices eorum secundum Ministeria sua, ut ingrediantur Domum Domini, & juxta ritum suum sub manu Aaron Patris eorum.* Eodem Lib.1. *Macchabæorum* Capite 5. 5. se Phinee oriundum prædicat Matthathias: *Phinees*, inquit, *Pater noster zelando zelum Dei, accepit testamentum Sacerdotii æterni.* Fuit autem *Phinees Eleazari* filius *Aaronis* nepos. Adde, Macchabæos non hereditario jure, sed electione Populi, Judaicæ Reipublicæ clavum tenuisse, ut constat ex 1. Macchabæorum 9. 28. 29. 30. *Et congregati sunt omnes amici Judæ, & dixerunt Jonathæ: Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros. Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in Principem, & Ducem ad bellandum bellum nostrum.* Et Cap.14.41.*de Simone Macchabæo* dicitur: *Judæi & Sacerdotes eorum consenserunt eum esse Ducem suum, & Summum Sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis.* Ne vero Patrum suffragiis destituti vi-

videamur, *S. Cyrillo* opponimus *S. Ambrosium Lib. 3. in Evangelium S. Lucæ* diserte asserentem, Regnum Davidicum in *Jechonia* desiisse. *Jechonia regnante*, inquit, *Judæam Babylonii vastaverunt, neque postea unquam de semine ejus Regnum quisquam in Judæa potuit obtinere. Postea enim populus de Captivitate dimissus sub Sacerdotibus & Tetrarchis fuit.*

Respondent alii: Ex tribu Juda extitisse Principes ad Christi usque tempora, quod Supremus Hebræorum Senatus a *Mose* Dei jussu institutus, *Numerorum* 11. quem *Synedrium Magnum* vocabant, cui commissa erat Cabala, Legisque interpretandæ Munus summa cum auctoritate, totus Senatoribus Tribu Juda prognatis constaret. Ita *Paulus Burgensis in Cap.*49. *Genesis*, *Galatinus Lib.*4. *De Arcanis Catholicæ Veritatis*, *Joannes Annius in Breviario Temporum Pseudo-Philonis* sui, *Joannes Lucidus lib. de Emendatione Temporum & Joannes Mirandulanus*.

At inanis ea Responsio est, nullaque solida probatione fulta. Nec enim Regia fuit Auctoritas, aut summa Potestas in rebus politicis penes Synedrium: Neque verisimile est, una ex Tribu Juda selectos fuisse Senatores, quibus Consessus ille constabat: cum ea fuerit Judaici Populi consuetudo, ut quoties ad publicæ rei negotia certus aliquis virorum prudentium & proborum numerus deligendus esset, ii ex omnibus Tribubus diligerentur; & *Moyses*, auctore Jethro Socero suo, Judices ex toto Is-

Iſrael, id eſt, ex omnibus Tribubus conſtituerit, Exodi 18. 25. *Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos Principes Populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos. Qui judicabant plebem omni tempore*. Et Deuteronomii 2. 9. *Dixique vobis illo in tempore . . . Non valeo ſolus negotia veſtra ſuſtinere, & pondus ac jurgia. Date ex vobis viros ſapientes & gnaros, & quorum converſatio ſit probata in Tribubus veſtris, ut ponam eos vobis Principes, Tunc reſpondiſtis mihi: Bona res eſt, quam vis facere. Tulique de Tribubus veſtris viros ſapientes & nobiles, & conſtituti eos Principes, Tribunos & Centuriones, & Quinquagenarios, ac Decanos, qui docerent vos ſingula. Præcepique eis, dicens: Audite illos, & quod juſtum eſt, judicate*. Nec veriſimilior eſt eorum aſsertio, qui non totum quidem Senatum, ſed Principem tamen Senatus, quem *Caput Scholæ* Judæi vocabant, dicunt ex Tribu Juda delectum fuiſse. Nam ſumma rerum penes illum Senatus Principem nuſquam fuit, ſed penes Reges ante captivitatem; poſt reditum vero ex captivitate, penes Pontifices. Sequeretur ergo, in illa etiam hypotheſi, Sceptrum de Juda, & Ducem de femore ejus ablatum eſse ante Chriſti tempora. Deinde Principem illum Synedrii de Tribu Juda ſemper delectum fuiſse, vel ex ea neceſsario deligendum, nec ipſi Rabbini conſentiunt; nullaque hujus rei probatio proferri poteſt.

Reſpondent alii: Jacobæi Oraculi hunc ſen-

fensum esse. A Tribu Juda non ante ablatum iri Sceptrum, formam nempe Reipublicæ suis legibus utentis, seque ipsam regentis ac gubernantis, postquam semel ad eam pervenerit, quam Messias exoriatur; quo tempore solutum iri communitatem ac regimen Tribus Juda; atque id rerum ipsarum eventum confirmare. Siquidem Tribubus decem in peregrinas ac dissitas regiones expulsis & dissipatis, sola Tribus Juda sedibus propriis, ac pristinis restituta, Jurisdictionem suam, imperium, civilis corporis formam servavit ad Christi usque Adventum. Responsionem suam ex eo confirmant, quod vox *Sheveth*, quam Vulgatus interpres vertit *Sceptrum*, alii *virgam*, interdum in Sacris Litteris *Tribum* seu *familiam* significet, ut Psal. 57. 67. 68. *Tribum Ephraim non elegit: Sed elegit Tribum Juda*. Ubi illi voci, *Tribum*, in Hebræo Textu respondet, *Sheveth*. Eadem porro significatione vocem illam Hebraicam in Jacobæo Oraculo esse positam; ut sensus Prophetiæ sit: *Non auferetur Tribus Juda*, id est, ad Messiam usque permanebit. Ita *Oleaster*, & alii.

Sed hæc Responsio nullo negotio evertitur. Sceptrum enim, Jurisdictionem, Imperium, ad Messiam usque non servavit Tribus Juda, siquidem post Captivitatem Babylonicam fuit penes Assamonæos, aliosque Sacerdotes, tribules Levi. Præterea non minus steterunt ad Messiam usque Benjamitica, & Levitica Tribus, quam Tribus Juda. Nil ergo singulare

re

re & eximium Tribui Juda Jacobæum Oraculum prædixisse, quoad Regni perennitatem, fateri debent. Tertio, etsi Sceptri nomine Tribum significatam daremus, his tamen verbis: *Et Dux de femore ejus*, Tribum notari nemo dixerit, sed singularium quarumdam personarum successionem, quarum interitus gignendo reparatur, quod de tota Tribu dici non potest. Quarto, nulla Scripturæ Sacræ Versio vocem Sheveth hoc in loco Tribum reddidit, sed Sceptrum, Virgam, Imperium, Principatum; & vocem *de femore ejus*, sive, ut Textus Hebræus sonat, *de inter pedes ejus*, Onkelos & Hierosolymitanus Paraphrastes verterunt, *de filiis eorum*: Jonathan, *de semine ejus*: Quo nomine Tribum neutiquam significari, sed singulares de Tribu vel Gente personas, perspicuum est. Cum itaque Regia Potestate in *Sedecia* & *Jechonia* extincta, ut prædixerat *Jeremias* cap. 22. 30. nemo homo ex Tribu Juda in eam successerit post Babylonicam Captivitatem, semper conficeretur contra hujus expositionis Vindices, Sceptrum de Juda fuisse ablatum longe ante Christi tempora.

Respondent alii: Etsi usus fructus Sceptri a Tribu Juda sit aliquando ablatus, ipsam tamen proprietatem, ipsum jus ademptum non fuisse, illiusque aliquando per Messiam de se nasciturum recuperandi spem in ea superfuisse. Atqui jus ad Sceptrum, sive Sceptri proprietas, Sceptrum recte appellari potest & solet. Sic dicimus, Imperium tot annos penes Ro-

ma-

manos fuisse, quamvis plurimi ex aliis Nationibus creati sint Imperatores; quia jus & proprietatem Imperii semper habuerunt, quamvis usumfructum in aliarum Gentium homines interdum transtulerint. Sic Poloniæ Sceptrum penes Polonos semper fuisse dicimus, ex quo Reges habere cœperunt, quia jus & proprietatem Regni retinuerunt, quamvis interdum Reges ex aliis Gentibus sibi delegerint. Sic post Babylonicam Captivitatem jus & proprietatem Sceptri mansisse penes Tribum Juda, quamvis usufructus ad Asamonæos, aliosque Sacerdotes transmissus sit.

Verum hæc Responsio non minus nutat quam superiores; Jus enim ad Sceptrum Judaicum Tribui Judæ ablatum est in *Jechonia*, Deo ita decernente, non usufructus Sceptri dumtaxat; ut apud *Jeremiam* legitur, cap.22. 30. „ Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum „ sterilem, virum qui in diebus suis non pro- „ sperabitur; nec enim erit de semine ejus „ vir, qui sedeat super Solium David, & Po- „ testatem habeat ultra in Juda „. Præterea, Tribus Juda ita Sceptrum amisit, ut illius aliquando per Messiam ex se proditurum recuperandi spem nullam habuerit. Agitur enim hic de Regno terreno & temporali, quod Christus nec sibi vendicavit, nec Tribui Judæ restituit; sed novum instituit, spirituale scilicet ac æternum, cujus in possessionem omnes Tribus & Nationes vocatæ sunt. Regnum enim Christi non fuit de hoc Mundo; & ex *Jechonia* pro-

gna-

gnatum esse Evangelistæ testantur, de quo futurum prædixit *Jeremias*, ut nepotum ipsius nullus Judaicum Imperium teneat. Denique hæc responsio totum infringit robur demonstrationis, quam ex hoc Jacobi morientis Oraculo Judæ edito Christiani contra Judæos conficiunt. Reponent enim, & pertinaciter contendent, solum usumfructum Sceptri, non jus, & proprietatem, Tribui Juda, ac Judaicæ Genti ademptam, spemque illud recuperandi superesse, quia restituet illud aliquando tandem Messias, quem expectant.

Aliorum Responsionibus elisis, nostram propositionem Patrum testimonio, & auctoritate confirmamus, qui Jacobæum Oraculum ad totam Gentem Judaicam, sive ad omnes Tribus in commune, non ad solam Tribum Juda referunt. Præit ceteris *S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo*, pag. 271. „ *Per ipsum etiam Jacobum Patriarcham* (inquit) *prædictum est, duos Christi futuros adventus; eumque in priore perpessionibus subditum fore: atque ubi is venisset, in genere vestro neque Prophetam, neque Regem futurum.* Mox recensito *Jacobi* Oraculo, de quo agimus: *Porro nunquam prius in Gente vestra desiisse neque Prophetam, neque Principem, ex quo Imperium accepit, ne impudenter quidem vel dicere audetis, vel probare potestis. Nam Herodem Ascalonitem, sub quo passus est Christus, allegantes, nihilominus dicitis, in genere vestro fuisse Sacrorum Antistitem, adeo ut etiam*

etiam tum vobis licuerit juxta Legem Moysi offerre oblationes, & legitima alia custodire: Tum autem Prophetas successione sua usque ad Joannem extitisse. Quemadmodum tum quoque cum Babylonem abductus est Populus vester, terra vastata, & sacris vasis sublatis, non desiit esse ex vobis Propheta, qui Dominus, & Dux, & Princeps populi vestri fuerit. Spiritus enim qui erat in Prophetis, Reges vobis unxit & constituit. At post Jesu Christi nostri in genere vestro manifestationem, & mortem, haudquaquam Propheta extitit, nec exstat. Sed & sub Rege proprio esse desiistis. Ad hæc & Terra vestra desolata est, & tamquam custodia pomorum derelicta. Quod autem Verbum per Jacobum dixit, Et ipse erit Expectatio Gentium: *figurate duos ejus denotavit adventus, & futurum esse ut Gentes ei crederent significavit: Quod sero tandem vobis cernere licet.* Memoriæ lapsu ἐφ' τῳ ἔπιτα pro ἐφ' τῳ ἐγγυνητα *Sub quo natus est*, quod omnino postulat Historia, *Sanctum Justinum* scripsisse, Viri eruditi observarunt.

Sequitur *S. Athanasius*, Lib. de Incarnatione Verbi Dei. *Præsente igitur Sancto Sanctorum* (inquit) *merito obsignata est & Visio, & Prophetia, & Regnum Hierosolymitanum desiit. Tamdiu enim ungebantur apud eos Reges, donec ungeretur Sanctus Sanctorum. Et Moyses quoque eodem spatio Regnum Judæorum circumscripsit, idque hujusmodi Vaticinio*: Non deficiet Princeps ex Juda, neque Dux de femoribus

bus ejus, donec venerint ea, quæ reposita sunt ei; & Ipse est expectatio Gentium. *Unde & ipse Salvator clamat dicens*; Lex & Prophetæ usque ad Joannem prophetaverunt. *Si igitur vel nunc nullus est apud Judæos aut Rex, aut Propheta, aut Visio; recte inficiantur advenisse Christum. Sin autem neque Rex, neque ulla Prophetia superest, sed obsignata est in posterum & omnis Prophetia & Civitas & Templum capta, quorsum ista impietas & tergiversatio, ut cum ista ipsa facta videant, Auctorem qui hæc fecit Christum negent?*

Idem confirmatur ex *Eusebio*, cum *Libro* 8. *Demonstrationis Evangelicæ*, quem locum infra proferemus, tum *lib.*1. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap.6. *Per idem tempus* (inquit) *cum Herodes primus ex alienigenis Judaicæ Gentis Regnum obtineret, completa esse videbatur Moysis prædictio, quæ sic habet*: Non deficiet Princeps ex Juda, neque Dux de femore ejus, donec veniat cui repositum est. *Quem etiam expectationem Gentium fore confirmat. Quippe sine effectu semper pendebat prædictio, quamdiu sub domesticis Principibus Judæis agere licebat; qui quidem a Moyse initio ducto, ad usque Augusti tempora permanserunt. Cujus Principatu primus ex alienigenis Herodes Regnum Judææ a Romanis adeptus est; cum, ut a Josepho quidem traditum est, paterno genere Idumæus, Arabs materno esset.* Et infra: *Hyrcano, in quem ultimum Sacerdotum progenies erat devoluta, a Parthis intercepto, primus*

(*ut*

(*ut dixi*) *ex alienigenis Herodes a Senatu*, *&* *Augusto Judææ Regnum accepit*. *Quo tempore cum Christi corporalis præsentia orbi illucesceret*, *expectata illa Gentium salus exitum sortita est*; *&* *Nationum vocatio*, *prout Prophetarum Oraculis prædictum fuerat*, *subsecuta*. *Ex quo etiam tempore cum Principes*, *&* *Duces ex Juda*, *id est*, *ex Judæorum Gente defecissent*, *successio summi Sacerdotii quod per generis continuam seriem proximo cuique hactenus constantissime delatum fuerat*, *consequenter turbari cœpta est*.

Item ex *Sancto Joanne Chrysostomo* Homilia 67. in Genesim : *Postea* (inquit) *&* *tempus quoque manifeste declarat*, *quo adventurus sit Christus juxta dispensationis rationem*. Non deficiet, *inquit*, Princeps de Juda, neque Dux de femore ejus donec veniat, cui repositum est : & ipse erit Expectatio gentium. *Tamdiu* (inquit) *durabunt Judaica*, *&* *Princeps Judæorum*, *quoad ille venerit*. *Et benedixit*, *quoad ille venerit*, *cui repositum est*. *Quasi dicat*, *Ille cui præparatum est Regnum*: *propterea Ipse est Expectatio Gentium*.

Eodem modo hoc vaticinium intellexit *S. Ambrosius* Libro *de Benedictionibus Patriarcharum*, cap.4. *Et ideo donec Ille veniat*, *non deficiet Dux ex Juda*; *ut usque ad ejus ortum regalis successionis fides incorrupta servetur*. *Postea enim*, *ut docuimus Tractatu habito in Evangelium*, *per Herodem*, *adulterata successio prærogativam dignitatis amisit*. *Etenim quia* ve-

verum Regem negaverunt, falsos habere cœperunt. Ergo hoc quod dicit Patriarcha, servabitur in Judicibus vel Regibus Judæorum intemeratæ successionis hereditas ducta per Reges: Donec veniat cui repositum est: *ut Ecclesiam Dei congreget ex conventu Nationum omnium, & Gentilium devotione Populorum, hoc est, ipsum manet, ipsi debitum reservatur, ipsi tantæ gratiæ prærogativa defertur.*

Ita etiam intellexisse videtur *S. Augustinus lib.18. de Civitate Dei* cap.55. ubi cum præmisisset, Judæos, ex quo de Captivitate Babyloniæ reversi sunt, non Reges, sed Duces vel Principes habuisse ex Ordine Sacerdotali, donec *Aristobolus*, assumpto diademate, & Rex & Pontifex factus est; subdit: *Deinde post paucos annos etiam Herodem alienigenam Regem habere meruerunt, quo regnante natus est Christus. Jam enim venerat plenitudo temporis significata Prophetico Spiritu per os Patriarchæ Jacob, ubi ait:* Non deficiet Princeps ex Juda, neque Dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est, & Ipse expectatio Gentium. *Non ergo defuit Judæorum Princeps ex Judæis, usque ad istum Herodem, quem primum acceperunt alienigenam Regem. Tempus ergo jam erat, ut veniret Ille cui repositum erat, quod novo promissum est Testamento, ut ipse esset expectatio Gentium.*

Ita *Theodoretus* Quæstione 110. in Genesim. *Prænuntiat etiam* (inquit) *tempus adventus Illius:* Non deficiet Princeps ex Juda,

& Dux de femore ejus, donec veniat cui repositum est, & Ipse est Expectatio Gentium: *Hoc adventus Domini indicium est clarissimum. Nam ut Prophetiæ finis ostenderetur, defecerunt non tantum Judæorum Reges, sed Principes Sacerdotum, & Prophetæ. Si quidem cum Salvator noster nasceretur, allophyli Reges imperabant ut æternus Rex declararetur, qui erat Gentium Expectatio, secundum promissionem ab omnium Deo Patriarchis factam.* Qui Sceptrum de Juda usque ad Messiæ ortum propterea non defecisse asserunt, quo Judæi usque ad *Herodem* Principes ex sua Gente habuerint, Jacobæum Oraculum ad totam Gentem, non ad unam Tribum Juda referunt: Sed Patres supra laudati Sceptrum de Juda usque ad Messiæ ortum propterea non defecisse asserunt, quod Judæi usque ad Herodem Principes ex sua gente, ex suo genere habuerint: Jacobæum igitur Oraculum ad totam Gentem Judaicam, non ad unam Tribum Juda referendum censent.

Objiciunt contrariæ sententæ Vindices, *Jacobum* morti proximum convocatis filiis suis singulis viritim, speciatim, & distincte prædixisse, quæ ipsis eorumque posteritati olim eventura erant, Genesis 49. 28. *Omnes hi in Tribubus Israel duodecim; Hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis Benedictionibus propriis.* Porro si ad totam Gentem Judaicam, seu ad omnes Tribus in commune, non ad unam Judæ Tribum Oraculum *Judæ* editum referatur, nulla Benedictio propria erit Tribui Juda;

da ; nulla ipſius ſingularis prærogativa aut dignitas.

Præterea: Ad eumdem referenda eſt pars illa Jacobæi Vaticinii, ad quem præcedentia, & ſequentia verba referuntur; cum nulla ratio proferri poſſit cur prima, & poſtrema pars Prophetiæ ad Tribum Juda proprie ſpectet, media vero ad duodecim Tribus, ſive ad Gentem totam detorqueatur. Nemo vero dixerit vel cogitaverit, primam Prophetiæ partem ad Tribum Juda proprie non pertinere: *Juda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii Patris tui. Catulus Leonis Juda: Ad prædam, fili mi, aſcendiſti*. Et ſequentia, quæ fertilitatem indicant regionis, quam inſedit Tribus Juda: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*. Igitur & media illa pars Prophetiæ: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus; donec veniat Qui mittendus eſt: & Ipſe erit Expectatio Gentium*; ad unam Tribum Juda proprie pertinet.

Reſpondetur: Hanc Prophetiam ad Tribum Juda proprie referri ſecundum priorem & poſteriorem Oraculi partem: Ad ſecundum mediam illam, *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus; donec veniat Qui mittendus eſt*, ad eamdem ſeparatim, & proprie non pertinere, neque ad eam referri, ſed quatenus cum aliis Tribubus conjuncta eſt, ac præſtantia nihilominus ſingulari, ac dignitate, nominiſ-

que celebritate præcellens. Multiplex enim vero ratio fuit cur ad *Judam* hæc etiam verba *Jacob* dirigeret, illaque ipsi potius quam aliis Tribubus accommodaret. Prima, quod Tribus esset Regno destinata, penes quam scilicet Judaicum Imperium per annos amplius quingentos futurum esset, idque sub *Davide*, & *Salomone* florentissimum. Secunda, quod universus Populus Israeliticus a Tribu Juda nomen accepturus esset post Captivitatem Babylonicam. Tertia, quod eo ipso tempore quo summa rerum futura erat penes Asamonæos, aliosve Sacerdotes, regio ipsa, qua continebatur Imperium, tota aut maxima ex parte ad sortem Tribus Juda pertinere deberet, & subditi futuri essent de Tribu Juda. Quarta, quod Tribus Juda ceteris præstantia quadam, & excellentia singulari præire semper deberet, cujus excellentiæ testimonia colligit *Eusebius lib.8. Demonstrationis Evangelicæ*, *Cap.1.* Ut cum *Numerorum* 13. 3. & 10. 14. in Castris ponendis ceteris antefertur: Cum *Cap.12.* 17. in ordine offerentium reliquis anteit: Cum *Josue* 15. 1. in divisione Terræ Chanaan primam sortem tulit: Cum mortuo *Josue* in Bellis adversus Chananæos gerendis ducatum Belli, Deo jubente, accepit: *Judicum* 1. 2. cum toto Judicum tempore singularem quamdam honoris prærogativam semper servavit: Unde & 1. *Paralipomenon* 2. Tribules Judæ inter Israelitas primo loco recensentur: Quam Tribus Juda præstantiam prænoscens *Jacob*, *Judæ* nomen toti

toti Genti accommodavit, & partem Judaici Populi nobilissimam pro toto Populo posuit; quemadmodum Jerusalem, & Sion pro Judæis, Samaria pro Regno decem Tribuum seu Israelis, Babylon pro Chaldæis, frequenter in Sacris Litteris posita sunt. Quinta ratio, cur hoc Vaticinium Jacob ad Judam direxerit, est, quod natalium prærogativam prioribus Oraculi verbis Judæ attribuisset: *Juda, te laudabunt fratres tui: Adorabunt te filii Patris tui...* Hæc scilicet prærogativa *Rubeno* ablata ob scelus illud commissum: *Ruben Primogenitus meus..... Prior in donis, major in Imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas, qui ascendisti cubile Patris tui, & maculasti stratum ejus*: Bona & facultates Primogenito destinatæ in *Josephum* translatæ sunt. Quicquid vero honoris erat, & dignitatis attributum est *Judæ*, ut constat ex 1. *Paralipomenon* Cap.5. 2. *Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus Principes germinati sunt: Primogenita autem reputata sunt Joseph*. Sexta, omniumque potissima ratio, cur hanc de Messia venturo, ejusque adventus tempore Prophetiam *Jacob* ad *Judam* direxerit, quamvis illa verba, *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est*, ad totam Gentem, sive ad omnes Tribus in commune pertinere probe nosset, ea est; quod ceteræ Tribus, interventu Tribus Juda id honoris, & beneficii habituræ essent, ut Christus ex sua Gente nasceretur; ex Tribu quippe Juda pro-

diturum *Jacob* prænoverat ; quam felicitatem auguratus, Judæ benedicit his verbis : *Juda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii Patris tui.*

Hanc Responsionem cum *Eusebio* debeamus, insignis ejus ea de re locus ex Libro 8. *Demonstrationis Evangelicæ* hic exhibendus est. *Cum* (inquit) *tam multa de vocatione Gentium Oracula Jacob antea percepisset, & liberos mares duodecim numero genuisset, omnibus illis extremo suo tempore convocatis, circumspiciebat de cujus illorum propagatione divina Oracula finem suum essent acceptura. Deinde cum tribus primis crimina propria objecisset, docuit deinceps quemadmodum propter scelera, quæ ipsi ausi fuerant, non in ipsis complenda essent, quæ in prioribus Oraculis eventa continebantur. Cum autem venisset ad quartum qui Judas fuit, tum vero Oraculum quod ipsi olim responsum fuerat,* Reges de lumbis tuis egredientur, *ex hujus posteritate finem suum accepturum planissime cecinit. Constat enim quemadmodum de Tribu Juda Regium genus extiterit, & simul Dei responsa, gentiumque promissa quibus instarent temporibus ostendit. Atque ex eo proditurum esse docuit eum, qui esset omnibus Gentibus cunctisque Tribubus terræ, similis ipsi Abraham benedictionis Auctor futurus. Hæc igitur universa fuerunt, quæ ipsi Juda reposita erant, ea videlicet quæ de ipsis Gentibus olim responsa fuerant : & illud,* Reges de lumbis tuis egredientur. *Quare etiam reliquis fratribus antepositus,*

ſitus, *Regiam ipſam*, *ceteriſque illuſtriorem Tribum ſortitus eſt*. *Continuo enim in totius Populi ordinatione*, *ipſius Moyſis temporibus*, *reliquis Tribubus hanc præeſſe imperat Deus*. *Scriptum eſt enim*: Et locutus eſt Dominus ad Moyſem, & Aaron dicens: Singuli per turmas, ſigna, atque vexilla, & domus cognationum ſuarum, caſtrametentur filii Iſrael in conſpectu Domini, per gyrum Tabernaculi teſtimonii, & caſtrametantes primi ad Orientem, acies caſtrorum filiorum Juda cum copiis ſuis. *Ac deinceps in iis quæ ad invocationem Tabernaculi referuntur*: Dixit Dominus ad Moyſem: Princeps unus per ſingulos dies offeret munera ſua, & fuit offerens primo die munus ſuum, Naaſſon filius Aminadab Princeps Tribus Juda. *Et in libro Jeſu Nave; cum Terra promiſſionis ſorte ceteris Tribubus diſtributa eſſet, ſine ſorte, omniumque prima Tribus Juda propriam Terræ partem accepit*. *Sed etiam poſt mortem Jeſu regnaverunt filii Iſrael in Domino dicentes*: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit Dux belli in eum? Et dixit Dominus, Judas aſcendet: Ecce dedi Terram in manus ejus. *Plane igitur omni Iſrael præeſſe Tribum Juda*, *Deus his verbis jubet*. *Quocirca deiceps ſcriptum eſt*: Et aſcendit Judas, & tradidit Dominus Chananæum, & Pherezæum in manum ejus. *Et rurſus*; Et bellaverunt filii Juda in Hieruſalem, & comprehenderunt eam & deſcenderunt filii Juda in Chananæum... *Itaque cum in Libro Judicum*, *diverſis temporibus* (*tametſi*

 diver-

diversarum Tribuum esse videbantur) Judices Populo praeessent ; Tribus tamen Juda in universum totius Gentis dux erat. Idipsum vero temporibus David, Successorumque ejus multo magis, quippe cum plane de Tribu Juda illi existerent, & Regnum usque ad Babylonicam ipsorum cladem produxerint : post quam cladem iis, qui de ea servitute in patriam terram reversi sunt, rursus praefuit Zorobabel, Salathiel filius de Tribu Juda. Inde etiam Scriptura, quae Paralipomenon dicitur, duodecim Tribuum Israel sortem generis enarrans, ab ea, quae est ipsius Juda, fecit initium. Ergo ipso ordine sequitur ut etiam posterioribus temporibus fateamur, eamdem Tribum reliquis praefuisse, quamvis in parte aliqua varii diversique Populo praeficerentur, quorum singillatim genus enarrare solita diligentia nequaquam nos possumus, propterea quod nullus amplius fertur divinus Liber, qui ex illo usque ad tempora Salvatoris nostri narrationem continuaverit. Verumtamen & fama, & ratio dictabit durasse tamdiu Tribum Juda, quamdiu tota Gens libertate, & suis legibus utens, sub domesticis Principibus Ducibusque vitam egerit. Porro hoc illis contigit ab initio usque ad tempora Augusti, in quibus cum Salvator noster Jesus hominibus se videndum praebuerit, tum vero in servitutem Romanis universa Gens cessit ; & pro patriis, ac legitimis Ducibus primus Herodes externus illis praefuit, & Rex Augustus. Quamdiu igitur non defecit Princeps de Juda, neque Dux de femore ejus, Pro-

Prophetiarum tempora appositis Principum gentis nominibus notabantur . . . Sed ubi defecit Princeps de Juda, & Dux de femore ejus, cum Expectatio Gentium, de qua Prophetæ locuti fuerant jamjam per Christum vitam esset illustratura, non amplius Reges Juda censeri, neque Duces Israel cœpere, sed his ipsis, quemadmodum Prophetiæ significaverant, suo certo & finito tempore deficientibus, primus quidem Augustus, secundus autem Tiberius, & aliarum & Judaicæ Gentis nuncupati sunt Reges; necnon alii secundum hos ipsos Judææ Procuratores atque Tetrarchæ, quibus adnumeretur Herodes, a Judæorum genere, ut jam antea dixi, alienus, qui etiam ipse a Romanis Judæorum Principatum accepit.

Subinde ostendit *Eusebius*, hanc Prophetiam, *Non auferetur Sceptrum de Juda*, ad singularem Judæ Tribum referendam non esse. *Multis enim sæculis* (inquit) *Principes ac Duces in Judaica Gente extiterunt, qui de illius Viri genere profecti non sunt. Primus namque ipse Moyses Dux Populi fuit, qui non de Juda, sed de Levi natus est: Deinde Jesu de Tribu Ephraim, post quem præfuit Debbora de Tribu item Ephraim, deinde Samson de Tribu Dan: postea cum sine Principe essent, præfuit ipsis Heli Sacerdos de Tribu Levi. Hi cuncti Judices qui judicabant Israel, non de genere ipsius Juda, sed ex diversis Tribubus ex alia alius oriundi; & qui post hos primus apud eos Regiam Dignitatem accepit Saul, de Tribu fuit*

Benjamin. *Quomodo igitur illud*, Non deficiet Princeps de Juda, neque Dux de femoribus ejus, (*ut quispiam fortasse putaverit*) *ad Principes de Tribu Juda, ac Duces referetur, quando videntur ex quo tempore mortuus est Jacob, totis propemodum mille annis, non ex una Tribu ipsius Juda profecti, sed ex alia alius usque ad tempora David? Quod si post tam multos, & David, & qui ipsi David in Regno apud Judaicam Gentem successerunt, de Tribu Juda nati sunt, sciendum tamen tibi est, quod hi ipsi ne totos quidem quingentos annos totius Gentis regnum obtinere potuerunt, sed trium dumtaxat Tribuum, ac ne harum quidem solidarum, quippe cum iisdem temporibus alii quidam in parte Gentis ampliore, & in totis novem Tribubus regnaverint, nam post mortem Salomonis, cum tota Gens a Juda divisa fuerit, ipsius David Successores trium, ut dicebam, Tribuum, ac ne harum quidem solidarum, in in Jerusalem Reges fuerunt usque ad Babylonicam cladem. Iisdem vero temporibus in Civitate quæ vocatur Samaria novem Tribuum Duces non de Tribu Juda, sed ex aliis alii extiterunt: Quorum primus Jeroboam fuit, de Tribu Ephraim, ac deinceps qui hunc secuti sunt, ut ne mediis quidem temporibus a David usque ad tempus quo in Babylonem captivi ducti sunt, ulli de Tribu Juda universæ Genti præfuerint. Porro autem quid dicendum est, quemadmodum post reditum de Babylone rursus quingentis annis amplius usque ad Christi ortum vixerint, eo statu*

tu Civitatis utentes, in quo soli Optimates rem administraverint, Pontificibus utique toti Genti imperantibus, quorum nullus plane de Tribu Juda oriebatur? Ut jam ex his omnibus perspici possit non ad primum illum Judam, neque ad illius Successores referendum esse Oraculum illud dicens: Non deficiet Princeps de Juda, neque Dux de femoribus ejus; *sed ea quæ ad hunc locum pertinent, uno dumtaxat modo constare posse, si secundum ea quæ prius a nobis de tota Tribu exposita sunt, hæc ipsa intelligenda esse dixerimus. Hæc enim Tribus ab initio, & ab ipsius usque Moysis temporibus, universæ Gentis Dux fuit: itaque secundum hujus principatum, utpote quam Deus ceteris ab initio præfecerit, & ipsa regio etiam nunc ab ea ipsa Tribu Judææ vocabulum obtinet, & omnis illorum conventus Judæorum appellatur. Sic igitur intelligamus, quod dictum est, tamquam si manifestius dixisset. Non desinet toti Genti præesse Tribus Juda. Ex quo Symmachus:* Non auferetur, *inquit,* Potestas de Juda; *Sic utique juris cujusdam amplioris, & Principatus auctoritatem ejus, quæ postea futura esset Tribus Juda, nobis intelligendam proponens. Hujus enim neque sceptrum, ut Aquila inquit, (Regii porro Principatus signum hoc erat) neque potestatem, ut Symmachus, sublatum iri vaticinatur, donec veniat, inquit, cui repositum est, atque ipsum fore Expectationem Gentium.*

Primum igitur admirari operæ pretium fuerit, quid ita, cum 12. Tribus essent, a nulla alia

nisi una ipsius Juda, Gentis etiam nunc appellatio usurpetur. Quod ego quidem non ob aliud contigisse arbitror, quam ob ipsius Prophetiæ oraculum, quod uni Tribui Juda Principatus dignitatem attribuit. Quin etiam patria ipsorum terra eadem de caussa Judææ appellationem sortita est ... sic sane istud; Non deficiet Princeps de Juda, *ad ipsam Tribum a nobis relatum est, & hoc uno dumtaxat modo Oraculi veritas locum habet. Namque a Moysis usque temporibus deinceps non defecerunt particulares quidem ipsorum Principes, qui ex diversis Tribubus Genti præfuerint; in universum autem Tribus Juda quæ totius Gentis Principatum tenuerit. Exemplo id Tibi apertius liquebit. Ut enim in Romano Imperio singularum Gentium Procuratores, & Præsides, Prætoresque, & Castrorum Præfecti, & qui omnes dignitate anteeunt, Reges, non omnino omnes de ipsa Romana Urbe capiuntur, neque de Remi sive Romuli genere, sed ex innumerabilibus aliis aliunde Nationibus; omnes tamen & Reges, & qui post ipsos secundo loco Principes, Præsidesque habentur, Romanorum appellatione notantur, & Romanorum denominatur Imperium, & eamdem denominationem in universum omnes Magistratus attingunt. Sic etiam in rebus Hebræorum constituere intelligereque oportet, tamquam una quidem in universum Tribus Juda totam Gentem de suo nomine illustrem reddiderit, particulares vero Duces, ac Reges ex diversis extiterint Tribubus, qui tamen communi illa Juda appellatione honorem acceperint.* Ar-

ARTICULUS II.

De LXX. Danielis Hebdomadibus.

DUdum Eruditos exercuit celeberrimum *Danielis* de Christo intra Septuaginta Hebdomadas venturo vaticinium, quod legitur Cap.9. vers.24. & sequentibus. *Septuaginta Hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum & super Urbem Sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, Hebdomades septem, & Hebdomades sexaginta duæ erunt; & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post Hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis Hebdomada una, & in dimidio Hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Et erit in Templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Multis intricatum difficultatibus hoc Vaticinium est, quoad septuaginta Hebdomadum a

Daniele hic prædictarum exordium, exitumque. Unde variæ natæ sunt circa illius explicationem sententiæ. Hebdomadas annorum hic intelligi certum est, id est annos nonaginta & quadringentos. Septuaginta enim Hebdomades dierum, nonaginta dumtaxat, & quadringentos dies continent. Quo temporis intervallo nihil contigit eorum, quæ *Gabriel* Archangelus *Danieli* viro Desideriorum intra septuaginta Hebdomades eventura prædixit. Neque vero de Hebdomadibus decenniorum, quarum quælibet annis constat septuaginta; quod *Origeni* Tractatu 29. in *Matthæum* visum est. Aut de Jubilæorum vel sæculorum hebdomadibus, quod Rabbinorum quorumdam delirium fuit, referente *Galatino* lib. 4. *De Arcanis Catholicæ Veritatis* cap. 14. hæc *Danielis* Prophetia intelligenda est: in sacris enim Scripturis duplex tantum invenitur Hebdomadis acceptio, scilicet dierum, & annorum. Septem Hebdomades dierum a Paschate ad Pentecostem numerantur Levitici 23. 15. 16. *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem Hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis Hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies*. Tres Hebdomades dierum se jejunasse Daniel memorat anno tertio *Cyri* Regis, Cap. 10. 2. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium Hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium He-*

Hebdomadarum dies. Septem Hebdomadas annorum numerari jubet Deus *Levitici* 25. & annum quinquagesimum, qui Jubilæus est, celebrari. *Numerabis quoque tibi septem Hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem... sanctificabisque Annum quinquagesimum, & vocabis Remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; Ipse est enim Jubilæus*. Cum itaque in hoc *Danielis* Vaticinio dierum Hebdomades intelligi non possint, superest ut annorum Hebdomades intelligantur. Qua in re Christiani Patres, & doctiores Hebræorum Magistri consentiunt.

At circa initium, exitumque harum Hebdomadum variæ fuerunt ac pugnantes Patrum, aliorumque Auctorum Ecclesiasticorum, & Hebræorum sententiæ. *Hyppolitus Martir*, ut *S. Hieronymus* refert in cap. 9. *Danielis*, septuaginta Hebdomadum exordium statuit anno quinquagesimo ante solutionem Babylonicæ Captivitatis, idest, Olympiade quadragesima-prima: Exitum sexaginta novem Hebdomadum constituit in Natali Christi: Ultimam vero Hebdomadem refert ad consummationem Mundi; eamque partitur inter prædicationem *Enoch*, & *Eliæ*, & Regnum Antichristi. *Clemens Alexandrinus* Libro 1. *Stromatum* septuaginta Hebdomadum initium ducit a primo anno Cyri, quo soluta est Babylonica Judæorum Captivitas, & facultas instaurandi Templi Judæis concessa: Exitum vero statuit in Excidio Hie-

Hierosolymitano per *Titum* Imperatorem. *Origenes* Libro 10. *Stromatum* (ut S. Hieronymus refert) Septuaginta Hebdomadas exorditur ab anno primo *Darii Medi*, quo Vaticinium istud a *Daniele* editum est: illarum vero finem in Natali Christi statuit. Nec tamen in ea opinione constans fuit. Tractatu enim 29. in Matthæum Hebdomades illas decenniorum esse censet: harum initium ducit ab *Adamo*: novem & sexaginta Hebdomadas in Christi Natali finitas asserit, septuagesimam, & ultimam Hebdomadam a Nativitate Christi ad eversionem usque Hierosolymorum sub *Tito* extendit. *Julius Africanus*, referentibus *Eusebio* Libro 8. *Demonstrationis Evangelicæ*, & S. Hieronymo in cap.9. *Danielis*, septuaginta Hebdomadas numerat ab anno vigesimo *Artaxerxis Longimani*, *ad mortem Christi*, quam refert ad annum 15. *Tiberii Cæsaris*, quem concurrere ait cum Olympiadis ducentesimæ secundæ anno secundo. Annorum autem Lunarium Hebdomades fuisse vult, non Solarium: Ideoque dictas esse ab Angelo Abbreviatas. Quadringenti autem & nonaginta anni Lunares, quot septuaginta Hebdomadibus continentur, annis Solaribus septuaginta-quinque & quadringentis æquivalent. *Tertullianus* Libro *adversus Judæos*, a *Dario Medo* ad Nativitatem usque Christi Hebdomadas sexaginta duas & dimidiam, id est, annos triginta septem & quadringentos; reliquas vero septem Hebdomadas cum dimidia, id est, annos quinquaginta tres, ab ortu Chri-

Chriſti ad excidium Hieroſolymitanum numerat. *Euſebius Cæſareenſis* Libro 8. *Demonſtrationis Evangelicæ* tres ſeptuaginta Hebdomadum interpretationes proponit; prima initium illarum ducit ab anno primo *Cyri*, quo ſoluta Captivitas eſt, Templique permiſſa inſtauratio: Finem autem Hebdomadum novem & ſexaginta refert ad *Hyrcani* Pontificis tempora, cui *Pompejus* captis Hieroſolymis Pontificatum confirmavit. Hunc ultimum Chriſtum, id eſt, ultimum Pontificem legitime inſtitutum fuiſſe. Poſtquam enim *Herodes*,interfecto *Hyrcano*,Regnum Judæorum Senatuſconſulto accepit, & primus alienigena Judæis præfuit, Pontificatum alieni generis hominibus, ad breve tempus, ob gratiam & pretium, divinam Legem contemnens, tradebat. Secunda Interpretatio *Euſebii* Hebdomadarum Septuaginta initium figit anno ſexto *Darii Hyſtaſpis*,quo Templi inſtauratio abſoluta eſt: Et inde uſque ad *Herodem* & *Cæſarem Auguſtum* numeratHebdomades ſeptem & ſexagintaduas, id eſt, annos quadringentos octogintatres,quando *Hyrcanus* noviſſimus Pontifex de genere Macchabæorum, quem Chriſtum interpretatur, ab *Herode* jugulatus eſt, & ceſſavit legitima Pontificum ſucceſſio. Septuageſimam vero Hebdomadam longo a ceteris disjungens intervallo, duas in partes dividit. In priori Chriſtum baptizatum ait, Evangel. ſuum prædicaſſe tribus annis & ſex menſibus: & ſic pactum ſuum, ſive novum fœdus confirmaſſe. In poſteriori occiſum eſſe Chriſtum,& in ejus morte hoſtiam

ſtiam & Sacrificium defeciſſe. Quidquid enim in Templo poſtea factum eſt, non fuit Sacrificium Dei, ſed cultus Diaboli, cunctis in commune clamantibus, *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Tertia *Euſebii* Expoſitio eo tantum a prioribus differt, quod Hebdomadæ ſexaginta novem ſint Hebdomadæ annorum, ſeptuageſima vero ſit Hebdomada decenniorum quæ annos ſeptuaginta contineat. Ita *Euſebium* intellexit *S. Hieronymus*. Priorem illius Hebdomadæ partem a Paſſione Domini ad *Neronis* Imperium, quando contra Judæos Romana primum arma commota ſunt: Alteram a *Veſpaſiano*, & *Tito*, quando everſa Hieroſolyma, Templumque ſuccenſum eſt, uſque ad *Trajanum* extendit. Et hanc eſſe Hebdomadam ait, de qua Angelus *Danieli* loquitur: *Confirmabit autem pactum multis Hebdomada una*. In toto enim orbe per Apoſtolos Evangelium prædicatum eſt, qui uſque ad illud tempus perſeveraverunt: tradentibus Eccleſiaſticis Hiſtoriis, *S. Joannem* uſque ad *Trajani* tempora vixiſſe. *S. Cyrillus Hieroſolymitanus* Cathecheſi 12. Septuaginta Hebdomadum initium arceſſit ab exordio Regni *Darii Medi* quem cum *Dario Hyſtaſpis* confundit: indeque ad ortum Chriſti annos octoginta tres & quadringentos numerat: Hebdomadam ſeptuageſimam alto involvit ſilentio. *S. Joannes Cryſoſtomus* Oratione contra Judæos 2. ab anno vigeſimo *Artaxerxis Longimani* ad Excidium Hieroſolymitanum ſub *Tito*, ſeptuaginta *Danielis* Hebdomadas computat.

Sul-

Sulpitius Severus Libro 2. *Historiæ Sacræ*, Septuaginta Hebdomadum initium statuit anno secundo *Darii* Regis, sub quo Templum instauratum est, quem D*arium Nothum*, seu *Ochum* (ut vocat) esse censet. Fine vero sexaginta-novem Hebdomadum ad Excidii Hierosolymitani tempus rejecto, de septuagesima silet. *Theodoretus* in Caput 9. *Danielis*, has Hebdomadas annorum Lunarium esse statuit, easque ab anno *Artaxerxis Longimani* vigesimo exorditur. Sexaginta duas in nece *Hyrcani* completas opinatur. Inde usque ad Baptismum Christi Jesu septem Hebdomadas reliquas numerat. In septuagesima & ultima Christum per tres annos & dimidium prædicasse, & absoluta predicatione mortuum esse ait in medio Hebdomadæ: Reliqua vero ejusdem Hebdomadæ parte Evangelium ab Apostolis in Judæa prædicatum. Veteres quidam Hebræi, referente *S. Hieronymo*, Hebdomadum *Danielis* exordium a primo anno *Darii Medi* repetebant, quo vaticinium istud editum est: Finem vero collocabant in prima clade Jerosolymis ab *Hadriano* illata; cum tamen istud temporis intervallum centum septuaginta quatuor Olympiades, id est, annos sexcentos nonaginta-sex, qui faciunt Hebdomadas Hebraicas nonaginta-novem, & annos tres contineat, ut observat *S. Hieronymus*. Alii Hebdomadum initium in prima Templi eversione per *Nabuzardanem* anno *Sedeciæ* undecimo; finem in Excidio Hierosolymitano per *Titum*, anno *Vespasiani* secundo constituunt,

non

non animadvertentes hoc temporis intervallo nonagintaquatuor Hebdomades contineri. *Aben-Ezra* Hebdomadum exordium ducit *Ab exitu sermonis in oratione*, nempe ab anno primo *Darii Medi*, quo *Daniel* orationem hanc fudit ad Deum, quæ nono ipsius Capite habetur. Inde septem Hebdomadas numerat ad profectionem *Nehemiæ* quæ in annum vigesimum *Artaxerxis Longimani* incidit, cum tamen Hebdomades amplius quindecim intercedant. Inde sexaginta duas Hebdomades cum dimidia computat ad secundi Templi conflagrationem, cum tres & septuaginta interfluxerint. Posterioris ætatis Commentatores de Septuaginta Hebdomadum initio & fine varie senserunt. *Nicolaus de Lyra*, *Paulus Burgensis*, *Vatablus*, *Galatinus*, Hebdomadas illas ab anno quarto *Sedeciæ* Regis numerare incipiunt, & in Christi Passione absolvunt. Sed calculus ille vitiosus est, cum annos septuaginta & sexcentos illud temporis intervallum contineat, ab Olympiade nempe trigesima-quinta ad Olympiadem ducentesimam-secundam. *Driedo* Lib. 3. *De scripturis Sacris* Cap. 5. & *Cornelius Jansenius* in *Concordia Evangelica*, Cap. 122. septem priores Hebdomadas numerant ab ædificatione Templi sub *Dario Hystaspis*, usque ad instaurationem mœnium & Urbis Jerusalem sub *Artaxerxe Longimano*. Inde vero usque ad mortem Christi sexaginta duas Hebdomadas, id est, annos quatuor & triginta supra quadringentos numerant. Quorum calculus in eo deficit,

cit, quod prius intervallum, non ſeptem dumtaxat Hebdomadas, id eſt, annos quadraginta-novem, ſed amplius ſeptuaginta contineat, quot nempe ab Olympiade ſexageſima-quinta uſque ad octogeſimam-quartam intercedunt. Poſterius vero non annos tantum quatuor & triginta ſupra quadringentos, ſed ſex & ſeptuaginta complectatur, quot nempe intercedunt ab Olympiadis octogeſimæ tertiæ anno tertio, ad Olympiadis ducenteſimæ-ſecundæ annum quartum. *Scaliger* Libro 6. *De Emendatione temporum*, Septuaginta Hebdomadum exordium ſtatuit in anno ſecundo *Darii Nothi*. Finem refert ad annum *Neronis* duodecimum, quo Judæos inter & Romanos bellum flagrabat: ex quo ſi tres annos cum dimidio numeres, incides in Excidium Hieroſolymitanum. *Darium* autem illum cujus anno ſecundo inchoatam ſecundi Templi fabricam, ſexto abſolutam eſſe docet Liber *Eſdræ*, vult eſſe *Darium Nothum*, Artaxerxis Longimani Succeſſorem, non *Darium Hiſtaſpis*. Qua in re egregie fallitur, ut facile a nobis oſtendi poſſet. Septem autem Hebdomadas, ſexaginta duas, & unam ſingulariter ab Angelo commemoratam, continuari negat *Scaliger*, ſed a diverſis capitibus aſſerit proficiſci, nec eodem conſpirare. Sexaginta & duas Hebdomadas ductas ab anno quinto *Ataxerxis Memoris*, quo Edictum de reſtauranda Urbe promulgatum perperam cenſet, ad annum Paſſionis Dominicæ porrigit. Septem priores Hebdomades ab anno ſecundo *Da-*

Darii Nothi ad annum trigesimum-primum *Artaxerxis Memoris* pertingere vult. Septuagesimam Hebdomadem duas in partes tribuit: priorem annorum quatuor cum semisse, a Baptismo Christi ad ejus Passionem extendit; reliquum biennium cum sex mensibus ab anno duodecimo *Neronis* ad bellum Judaicum confectum. Ita quidem ille in editione prima sui operis. At in secunda totam Septuaginta Hebdomadum seriem ab anno secundi *Darii Nothi* ad Excidium Templi perducit, adjectis annis tribus & semisse. Opinionis hujus absurditatem demonstrat *Petavius* Libro 12. *De Doctrina Temporum* Capite 31. *Jacobus* & *Ludovicus Capelli*, ille in *Historia Sacra*, hic in *Chronographia Sacra Not. ad Tab.* 11. & alii, Septuaginta Hebdomadum initium ponunt in *Artaxerxis Longimani* anno septimo, & easdem in Christi Morte concludunt. *Joannes Lucidus* Libro *De Emendatione Temporum* ab anno 20. *Artaxerxis Longimani* Septuaginta Hebdomadum initium ducit; in quarto post Christi Mortem anno exitum ipsarum constituit: sed in medii intervalli numerandis annis illum toto decennio aberrare *Pererius* ex accurata Olympiadum supputatione demonstrat Lib. 11. in *Danielem* Parte 2. Cum *Lucido* sensit *Petavius* Lib. 12. *De Doctrina Temporum*. At vigesimum annum *Artaxerxis* non numerat a *Xerxis* obitu, sed ab eo tempore quo in Regni communionem ab ipso vocatus est, anno circiter duodecimo Regni ipsius; cum forte ad bellum extra Persidem ge-

gerendum proficiſceretur. *Petavii* conjecturam inanem eſſe, nulloque fultam fundamento probavit Doctiſſimus Præſul *Daniel Huetius* Demonſtrationis Evangelicæ Propoſitione 9. Capite 7. §.8. Eamque, cum ſibi in mentem veniſſet, olim exſuflaverat *Pererius*. Hic Libro 11. in *Danielem*, 3. parte Diſputationis de Septuaginta Hebdomadibus, cenſet illas fuiſſe annorum Lunarium. Non aliunde ipſarum initium ſumi debere ait, quam ab anno *Artaxerxis Longimani* vigeſimo. Exitum vero collocari poſſe ait, vel in quarto anno poſt Chriſti Domini Paſſionem; vel in ipſo Dominicæ Paſſionis anno. Si primum aſſeratur, non Septuaginta dumtaxat Hebdomades, ſed dimidiam inſuper in illo temporis intervallo agnoſcit, ideſt, annos quadringentos nonaginta-tres. Sed Angelum numerum dumtaxat maximum plenum & integrum Hebdomadum Septuaginta expreſſiſſe, minutum & imperfectum dimidiæ Hebdomadis numerum prætermiſiſſe, more Scriptoribus Sacris ſollemni. Si poſterius ſtatuatur, Hoſtiam & Sacrificium defeciſſe ait in medio Hebdomadæ, quando Chriſtus baptyzatus eſt. Tunc enim inſtituto Baptiſmo, primo Legis Evangelicæ Sacramento, datum eſſe ſignum defectionis mox futuræ Cæremoniarum Legalium. Vel certe ſeptuageſimam Hebdomadam in duas partes æquales dividendam: poſteriori parti Baptiſmum, Prædicationem & Mortem Chriſti eſſe illigandam, quam Legalium Sacrificiorum abrogatio conſecuta eſt.

Quod

Quod itaque ait Angelus: *In dimidio Hebdomadis deficiet Hostia & Sacrificium*; id de posteriori & extrema parte septuagesimæ Hebdomadis esse intelligendum.

Tam variarum, ac repugnantium opinionum examen operosum nimis ac molestum esset, immo & inutile, cum pleræque exoleverint. Quamobrem ab illis sigillatim discutiendis ac refellendis supersedeo, tum quia hæc Provincia occupata est ab Interpretibus, & Theologis Eruditis: tum quia illam adstruendo, quæ omnium maxime probabilis videtur, ceteræ satis confutatæ manebunt & convictæ: tum quia *S. Hieronymi* observantiam erga Patres, qui ipsum præcesserant, imitari religiosum est: quorum interpretationes referre satis habuit, dijudicare noluit. „ Scio (*inquit*) de „ hac Quæstione ab eruditissimis viris varie „ disputatum, & unumquemque pro captu „ ingenii sui dixisse quod senserat. Quia igi- „ tur periculosum est de Magistrorum Ecclesiæ „ judicare sententiis, & alterum præferre al- „ teri, dicam, quod unusquisque senserit Le- „ ctoris arbitrio derelinquens, cujus expo- „ sitionem sequi debeat „. Ne tamen jejunum omnino Lectorem dimittamus, totam de septuaginta *Danielis* Hebdomadibus Quæstionem duabus Propositionibus expediemus. Prima exordium ac finem Hebdomadum explicabit: Altera Oraculi Prophetici cum eventu convenientiam, ejusque in Christo consummationem.

Pro-

PROPOSITIO I.

Septuaginta Hebdomadum Danielis exordium probabilius ducitur ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani: Finis vero earumdem statuitur post Passionem Christi: ita ut in medio septuagesimæ & ultimæ Hebdomadis occisus fuerit Christus.

PRobatur prima pars Propositionis. Septuaginta Hebdomadum exordium peti debet *ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem*; id est a promulgatione Edicti, quo Judæis instaurandæ Urbis data potestas est. Illud porro Edictum ab *Artaxerxe Longimano* promulgatum est anno Regni ejus vigesimo: Inde ergo peti debet Septuaginta Hebdomadum exordium.

Probatur Minor. Quatuor leguntur a Regibus Persarum data in gratiam Judæorum Edicta: Primum *Cyri* (1. Esdræ cap. 1.) Alterum *Darii Histaspis*. (1. Esdræ 6.) Tertium *Artaxerxis Longimani* anni Regni ejus septimo (1. Esdræ 7.) Quartum ejusdem *Artaxerxis* anno Regni ejus vigesimo. (2. Esdræ 2.) At *Cyri* & *Darii Hystaspis* Edicta Templi dumtaxat restaurandi, non reparandæ Urbis potestatem faciunt Judæis. Primum etiam *Artaxerxis*, Templum tantum & Sacrificia spectat. Quartum vero Urbis ædificationem permittit antea non concessam. Illud itaque Edictum

 est,

eſt, a cujus promulgatione Septuaginta Hebdomadum exordium duci debet.

Probatur Minor ipſius *Nehemiæ* teſtimonio: „ Ex dixi Regi, Rex in æternum vive: „ Quare non mæreat vultus meus, quia Civitas domus ſepulchrorum Patris mei deſerta „ eſt, & portæ ejus combuſtæ ſunt igni? Et „ ait mihi Rex: Pro qua re poſtulas? Et oravi Deum Cæli, & dixi ad Regem: Si videtur Regi bonum, & ſi placet ſervus tuus „ ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam „ ad Civitatem ſepulchri Patris mei, & ædificabo eam... Et placuit ante vultum Regis, „ & miſit me... Et dixi Regi: Si Regi videtur bonum, Epiſtolas det mihi ad Duces „ regionis trans Flumen, ut traducant me, „ donec veniam in Judæam, & Epiſtolam ad „ Aſaph Cuſtodem Saltus Regis, ut det mihi „ ligna, ut tegere poſſim portas Turris Domus, & Muros Civitatis... Et dedit mihi Rex juxta manum Dei bonam mecum „: Et infra, poſtquam Hieroſolymam pervenit, ſe Sacerdotibus, & Optimatibus, & Magiſtratibus Judæis dixiſſe memorat; „ Vos „ noſtis afflictionem in qua ſumus, quia Jeruſalem deſerta eſt, & portæ ejus conſumptæ „ ſunt igni. Venite & ædificemus Muros Jeruſalem, & non ſimus ultra opprobrium „. Narrat deinde cap. 4. quomodo *Sanaballat*, & *Tobias Ammanites*, & Arabes, & Ammànitæ, & Azotii ipſis inſidiati fuerint, & opus interturbare conati ſint armata manu, ut neceſ-

ſe

ſe fuerint ædificiis & bello ſimul intendere.
„ Factum eſt autem, cum audiſſet Sanaballat
„ quod ædificaremus murum, iratus eſt valde,
„ & motus nimis ſubſannavit Judæos, & di-
„ xit coram fratribus ſuis, & frequentia Sa-
„ maritanorum: Quid Judæi faciunt imbecil-
„ les? ... Numquid ædificare poterunt lapi-
„ des de acervis pulveris, qui combuſti ſunt?
„ *Et infra:* Factum eſt autem, cum audiſſet Sa-
„ naballat, & Tobias, & Arabes, & Am-
„ manitæ, & Azotii, quod obducta eſſet ci-
„ catrix muri Jeruſalem, & quod cœpiſſent
„ interrupta concludi, irati ſunt nimis. Et
„ congregati ſunt omnes pariter, ut venirent
„ & pugnarent contra Jeruſalem, & moliren-
„ tur inſidias &c. *Et infra:* Et factum eſt a
„ die illa, media pars juvenum eorum facie-
„ bat opus, & media parata erat ad bellum,
„ & lanceæ, & ſcuta, & arcus, & loricæ,
„ & principes poſt eos in omni domo Juda,
„ ædificantium in muro, & portantium one-
„ ra, & imponentium: Una manu ſua facie-
„ bat opus, & altera tenebat gladium „. Tandem completum eſt opus brevi temporis intervallo ſcilicet quinquaginta duobus diebus, frequentibus circumquaque hoſtibus, qui inſidiis & inſultibus illud impedire fruſtra conati fuerant. Hoc eſt quod ab Angelo, & Propheta prænuntiatum fuerat his verbis: *Et rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum.* Non ſolum autem muros, turres, propugnacula, plateas ædificarunt Judæi permit-

tente *Artaxerxe*, duce *Nehemia*, sed & publica ædificia, strata viarum, fora, porticus, cisternas, aqueductus, aliaque hujus generis quamplurima, quæ Chaldæi disturbaverant. Domus etiam tumultuario opere antea exstructæ, in meliorem formam directis ordinibus compositæ sunt, ut colligitur ex *Ecclesiastici* cap.49. 15. *Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas & seras; qui erexit domos nostras.* Sed hæc opera longiori temporis intervallo absoluta sunt, quam muri & propugnacula, sicut & templi ædificatio, cui quadraginta sex annos impensos fuisse Judæi testantur, (*Joannis* 2. 20.)

Frustra vero quis objiciat. *Artaxerxem* anno Regni sui septimo Esdræ omnem petitionem ejus dedisse, ut dicitur 1. Esdræ 7. 6. *Ipse Esdras ascendit de Babylone ... & dedit ei Rex secundum manum Domini Dei ejus super eum omnem petitionem ejus*: adeoque, & facultatem instaurandæ Urbis concessisse. Nihil enim *Esdram* tunc a Rege postulasse quod mœnium & Urbis restaurationem spectaret; sed tantum quæ ad cultum Templi, Legis observationem, & politiam pertinerent, petiisse, & & impetrasse, constat ex cap.7. lib.1. *Esdræ*, & ex verbis Edicti tunc dati. „ Artaxerxes „ Rex Regum, Esdræ Sacerdoti, Scribæ Legis Dei Cæli doctissimo, salutem. A me „ decretum est, ut cuicumque placuerit in „ Regno meo de Populo Israel, & de Sacer- „ do-

„ dotibus ejus, & de Levitis ire in Jerusalem,
„ tecum vadat. A facie enim Regis, & se-
„ ptem Consiliatorum ejus missus es, ut visi-
„ tes Judæam & Jerusalem in Lege Dei tui,
„ quæ est in manu tua: Et ut feras argentum
„ & aurum, quod Rex & Consiliatores ejus
„ sponte obtulerunt Deo Israel, cujus in Je-
„ rusalem Tabernaculum est. Et omne argen-
„ tum & aurum quodcumque inveneris in uni-
„ versa Provincia Babylonis, & Populus of-
„ ferre voluerit, & de Sacerdotibus quæ
„ sponte obtulerint Domui Dei sui, quæ est in
„ Jerusalem, libere accipe ... Sed & cete-
„ ra quibus opus fuerit in Domum Dei tui,
„ quantumcumque necesse est ut expendas,
„ dabitur de thesauro & de fisco Regis, & a
„ me. Ego Artaxerxes Rex statui, atque de-
„ crevi omnibus Custodibus Arcæ publicæ,
„ qui sunt trans Flumen, ut quodcumque pe-
„ tierit a vobis Esdras Sacerdos, Scriba Le-
„ gis Dei, absque mora detis, usque ad ar-
„ genti talenta centum, & usque ad frumen-
„ ti coros centum, & usque ad vini batos cen-
„ tum, & usque ad batos olei centum, sal
„ vero absque mensura. Omne quod ad ritum
„ Dei Cæli pertinet, tribuatur diligenter in
„ Domo Dei Cæli: ne forte irascatur contra
„ Regnum Regis, & filiorum ejus. Vobis
„ quoque notum facimus de universis Sacer-
„ dotibus, & Levitis, & Cantoribus & Jani-
„ toribus, Nathinæis, & Ministris Domus Dei
„ hujus, ut vectigal, & tributum, & anno-

,, nas non habeatis potestatem imponendi super
,, eos . Tu autem Esdra , secundum sapien-
,, tiam Dei tui , quæ est in manu tua , consti-
,, tue Judices & Præsides , ut judicent omni
,, Populo qui trans Flumen , his videlicet qui
,, noverunt Legem Dei tui , sed & imperitos
,, docete libere . Et omnis qui non fecerit Le-
,, gem Dei tui , & Legem Regis diligenter ,
,, judicium erit de eo , sive in mortem , sive
,, in exilium , sive in condemnatinem substan-
,, tiæ ejus , sive in carcerem ,, . Ex his verbis , & ex totius Historiæ serie constat , *Artaxerxem Longimanum* anno Regni sui septimo Urbis ædificandæ facultatem Judæis non concessisse .

Quod autem *Artaxerxes* ille , cujus anno vigesimo promulgatum Edictum est de Urbe instauranda , fuerit *Longimanus* , non *Memor* , ut *Scaligero* visum est , facile probatur . Nam *Artaxerxes Memor* Regnum obtinuit anno periodi Julianæ quater millesimo trecentesimo-decimo , ante Æram Christianam quarto supra quadringentesimum : adeoque annus ejus vigesimus concurrit cum anno Periodi Julianæ quater millesimo trecentesimo vigesimo-nono , ante Æram Christianam ter centesimo octogesimo-quarto : Quo anno superstes non fuit *Nehemias* , nisi vitam illius ad annum ætatis nonum & trigesimum supra ducentesimum producamus . Siquidem unus fuit eorum qui sub *Cyro* cum *Zorobabele* ascenderunt anno Periodi Julianæ quatermillesimo centesimo septuagesimo-octa-

octavo, ante christianam Æram sexto & trigesimo supra quingentesimum.

Probatur secunda pars Propositionis. Statuamus *Artaxerxem Longimanum* Regnum iniisse anno Periodi Julianæ quater millesimo ducentesimo quadragesimo primo; vigesimus ejus annus inciderit in annum Periodi Julianæ quater millesimum ducentesimum sexagesimum, Mundi ter centesimum quingentesimum quinquagesimum. Si adjeceris sexaginta-novem Hebdomades annorum, hoc est, annos tres & octoginta supra quadringentos, habebis annum Mundi quater millesimum trigesimum-tertium, Periodi Julianæ quater millesimum septingentesimum quadragesimum-tertium, Æræ Christianæ trigesimum, quo anno Baptismum Christi poni debere probant graviores Auctores cum Natali Alexandro. Tunc temporis Christus *Ducem* agere cœpit, Prædicationem auspicando suam, Novamque Legem sensim condendo & promulgando. Cum igitur Mense Nisan exierit Edictum illud Artaxerxis *Nehemiæ* datum, ab eodem Nisan anni hujus, hoc est, a primo Paschate, quod Christus post Baptisma celebravit (*Joannis* 2.) incipit primus annus septuagesimæ & ultimæ Hebdomadæ; *In qua fœdus confirmatum est multis*. Pascha autem nostrum Christus, legalibus omnibus Sacrificiis hoc unum præfigurantibus fine imposito, immolatus est ineunte anno quarto, sive in medio postremæ ejusdem Hebdomadæ: Tunc-

que defecit Hoſtia & Sacrificium, ut Angelus *Danieli* prædixerat. Annus ille quartus fuit Olympiadis ducenteſimæ-ſecundæ, Julianus quadrageſimus octavus, Æræ vulgaris trigeſimus-tertius, *Tiberii Cæſaris* decimus-nonus, Hebdomadum *Danielis* quadringenteſimus octogeſimus-ſeptimus. Poſt triennium exitum habuere ſeptuaginta Hebdomades. Hæc ſententia, quatenus ab anno vigeſimo *Artaxerxis Longimani* ſeptuaginta Hebdomadum *Danielis* ducit exordium, nobiles ex antiquis Patribus Patronos habet, *Julium Africanum*, *S. Joannem Chryſoſt.*, *Theodoretum*, *Bedam*, *S. Thomam*. Quamquam vero Syſtema illud, ſeptuaginta Hebdomadum per annos lunares probabiliter explicari poſſit; ad illos tamen confugere minime neceſse eſt, cum incertum ſit an Hebræi lunari anno uſi fuerint, immo uſos non fuiſſe probabilius ſit; aut certe ad lunarem annum ſolari coæquandum ſecundo aut tertio quolibet anno menſem intercalaſſe, ſeu quolibet octennio tres Menſes emboliſmos adjeciſſe. Quod jam olim a *Moſis* temporibus uſitatum tradit *Aben-Ezra*. Neque lunares annos intelligere cogit Angelica & Prophetica locutio, qua ſeptuaginta Hebdomades *Abbreviatæ* dicuntur. *To* enim *Abbreviatæ*, idem eſt ac *deciſæ*, ſeu *definitæ*: quod nempe ex incerto & infinito tempore ad certum & conſtitutum ſpatium prophetico Vaticinio, ac divina ordinatione contractus ſit adventus Meſſiæ: ſive quod

quod ex longiore intervallo, quod Orbis initio fluxit, breviſſimum reſtabat; quemadmodum in ſenectute vita hominis abbreviata dicitur.

Propositio II.

Undecumque Septuaginta Hebdomadum numerandarum exordium ſumatur, ex hoc Danielis Oraculo veniſſe Meſſiam demonſtratur contra Judæos; Eumque non alium eſſe quam Chriſtum Jeſum.

PRobatur prima pars. Undecumque illarum Hebdomadum petatur initium, plane elapſas eas eſſe neceſſe eſt: Atqui iis elapſis ungi debuit *Sanctus Sanctorum*, & *occidi Chriſtus*: Ergo negari abſque ſumma cæcitate & pertinacia non poteſt, unctum eſſe Sanctum Sanctorum, natum & occiſum fuiſſe Chriſtum. Poſt ejus vero mortem, dirui debuerunt Templum & Urbs, ſecundum Oraculi Prophetici verba: *Et Civitatem & Sanctuarium diſſipabit Populus cum Duce venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio*. Atqui Templum & Urbs diruta ſunt: Judæi Templi reſtaurationem fruſtra ſunt aggreſſi *Juliano Apoſtata* imperante; cæleſtibus prodigiis cœptum opus diſturbatum eſt, ut certam fidem faciunt *S. Gregorius Nazianz.* Oratione 4. *S. Joannes Chryſoſtomus* Orat.3. in Judæos, Homilia 4. in Matth. Homil.41. in Acta. Sermone 2. in S.Babylam. *Philoſtorgius* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ

Lib.12. Cap.9. *Theodoretus* Lib.3. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap.20. *Sozomenus* Lib.5. Cap.22. *S. Ambrosius* Ep.29. ad Theodosium. *Ammianus Marcellinus* Lib.23. ubi de *Juliano* Imperatore ita scribit : „ Ambitiosum quondam „ apud Hierosolymam Templum, quod post „ multa & internecina certamina, obsidente „ Vespasiano, posteaque Tito, ægre est op- „ pugnatum, instaurare sumptibus cogitat im- „ modicis, negotiumque maturandum Aly- „ pio dederat ... Cum itaque rei instaret Aly- „ pius, juvaretque Provinciæ Rector, me- „ tuendi globi flammarum prope fundamenta „ crebris assultibus erumpentes fecere locum, „ exustis aliquoties operantibus, inaccessum: „ Hocque modo elemento destinatius repel- „ lente, cessavit inceptum. „ Nulla ab Excidii Hierosolymitani tempore Judæorum Respublica. Sedibus suis exterminati, & toto orbe dispersi, servilem vitam agunt. Contriti sunt *sicut vas figuli, quod non potest ultra instaurari*, ut prædixerat *Jeremias*, Cap.19. Completum est & *Isaiæ* Vaticinium Cap.25. „ Do- „ mine Deus meus es tu, exaltabo te, & „ confitebor nomini tuo : Quoniam fecisti mi- „ rabilia, cogitationes antiquas, fideles, Amen. „ Quia posuisti Civitatem in tumultum, Ur- „ bem fortem in ruinam, domum alienorum : „ Ut non sit Civitas, & in sempiternum non „ ædificetur „. Illa itaque Templi & Urbis vastitas in perpetuum tempus duratura, Christum venisse, & occisum fuisse probat. Præte-

terea in medio poſtremæ Hebdomadis abrogari debuerunt Sacrificia & Cæremoniæ Veteris Legis, juxta verba Angelici & Prophetici Oraculi. *Et in dimidio Hebdomadis deficiet Hoſtia & Sacrificium*. Cum itaque a tot Sæculis abrogata ſint, negari non poteſt, poſtremam Hebdomadam præteriiſſe.

Probatur ſecunda pars Propoſitionis. In illo completum eſt hoc Archangeli Gabrielis, & Danielis Prophetæ Oraculum, qui Juſtitia Sempiterna eſt, & Sanctus Sanctorum a Deo unctus: Per quem finem accipit peccatum, & deletur iniquitas: In quo Viſio & Prophetia impletur. His enim characteribus deſcribitur Meſſias, qui poſt Hebdomadas ſexaginta novem occidendus erat: „ Septuaginta Hebdo-
„ mades abbreviatæ ſunt ſuper Populum tuum,
„ & ſuper Urbem ſanctam tuam, ut conſum-
„ metur prævaricatio, & finem accipiat pec-
„ catum, & deleatur iniquitas, & adducatur
„ Juſtitia ſempiterna, & impleatur Viſio &
„ Prophetiæ „: Hi porro characteres Chriſto Jeſu conveniunt. Illud itaque *Danielis* Oraculum in Chriſto Jeſu completum eſt.

Probatur Minor. Se enim a Deo unctum, quemadmodum Prophetæ prædixerant, Jeſus ipſe teſtatur *Lucæ* 4. 17. & ſequentibus: „ Et
„ traditus eſt illi Liber Iſaiæ Prophetæ. Et ut
„ revolvit Librum, invenit locum ubi ſcri-
„ ptum erat, Spiritus Domini ſuper me, pro-
„ pter quod unxit me . . . Cœpit autem dice-
„ re ad illos. Quia hodie impleta eſt hæc Scri-

,, ptura in auribus vestris. *Idem docent Christi*
,, *Discipuli Actum* 4. 26. 27. Adstiterunt Re-
,, ges terræ, & Principes convenerunt in unum
,, adversus Dominum, & adversus Christum
,, ejus. Convenerunt enim vere in Civitate
,, ista adversus Sanctum Puerum tuum Jesum,
,, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus.
,, *S. Petrus, Actuum* 10. 37. 38. Vos scitis
,, quod factum est verbum per universam Ju-
,, dæam, incipiens enim a Galilæa, post ba-
,, ptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a
,, Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spi-
,, ritu Sancto & virtute. *S. Paulus ad He-*
,, *bræos* 1. 8. 9. Ad Filium autem: Thronus
,, tuus Deus in Sæculum Sæculi, virga æqui-
,, tatis, virga Regni tui. Dilexisti justitiam,
,, & odisti iniquitatem, propterea unxit te
,, Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ
,, participibus tuis. *Jesus Sanctus & Justus,*
,, *immo Justitia ipsa. Lucæ* 1.35. Quod nasce-
,, tur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.
,, *Actuum* 2. 27. *de ipso dictum explicatur,*
,, Quoniam non derelinques animam meam in
,, inferno, nec dabis Sanctum tuum videre
,, corruptionem. *Actuum* 3. 14. Vos autem
,, Sanctum & Justum negastis, & petistis virum
,, homicidam donari vobis. *Ad Romanos* 3.26.
,, Ut sit ipse Justus; & justificans eum, qui est
,, ex Fide Jesu Christi. I. *ad Chorinth.* 1. 30.
,, Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui
,, factus est nobis Sapientia a Deo, & Justitia,
,, & Sanctificatio, & Redemptio. Et 2. *ad Co-*
,, *rin-*

„ *rinthios* 5. 21. Eum qui non noverat pecca-
„ tum, pro nobis peccatum fecit, ut nos ef-
„ ficeremur Justitia Dei in ipso „. Per Christum Jesum delentur peccata, in idque venit, ut hominum noxas elueret, Deumque Sanguine suo propitiaret. *Lucæ* 24. 45. & sequentibus: „ Tunc aperuit illis sensum, ut intellige-
„ rent Scripturas, & dixit eis: Quoniam sic
„ scriptum est, & sic oportebat Christum pati,
„ & resurgere a mortuis tertia die; & prædi-
„ cari in nomine ejus pœnitentiam, & remis-
„ sionem peccatorum in omnes gentes. *Actuum*
„ 13. 38. 39. Notum igitur sit vobis, viri fra-
„ tres, quia per hunc vobis remissio peccato-
„ rum annuntiatur, & ab omnibus, quibus
„ non potuistis in Lege Moysi justificari; in
„ hoc omnis qui credit justificatur. *Vide etiam*
„ *Actuum* 10. 43. *Ad Romanos* 3. 24. &
„ *sequentibus*: Justificati gratis per gratiam
„ ipsius, per redemptionem, quæ est in Chri-
„ sto Jesu, quem proposuit Deus propitiatio-
„ nem, per Fidem, in sanguine ipsius, ad
„ ostensionem justitiæ suæ, propter remissio-
„ nem præcedentium delictorum, in sustenta-
„ tione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in
„ hoc tempore, ut sit ipse justus, & justifi-
„ cans eum qui est ex Fide Jesu Christi. *Et ad*
„ *Colossenses* 2. 13.24. Et vos, cum mortui es-
„ setis in delictis, & præputio carnis vestræ,
„ convivificavit cum illo, donans vobis omnia
„ delicta, delens quod adversus nos erat chi-
„ rographum decreti, quod erat contrarium
„ no-

„ nobis, & ipsum tulit de medio, affigens il-„ lud cruci „. Christo nato, finis Prophetiis impositus est: Nullus deinceps apud Judæos Propheta. Unde ipse ait Matthæi 11. 13. „ Omnes enim Prophetæ, & Lex usque ad „ Joannem prophetaverunt. *Et S. Paulus ad* „ *Hebræos* 1. 1. 2. Multifariam, multisque „ modis olim Deus loquens Patribus in Pro-„ phetis, novissime diebus istis locutus est no-„ bis in Filio „. Omnes etiam Prophetiæ in Christo Jesu sunt impletæ, qui de se ipso ait Matthæi 5. „ Nolite putare quoniam veni sol-„ vere Legem aut Prophetas; non veni sol-„ vere, sed adimplere. *Idemque testatur San-* „ *ctus Paulus ad Romanos* 10.4. Finis enim Le-„ gis Christus ad justitiam omni credenti.„ Quæ spectans *Tertullianus* Libro *adversus Judæos*, ait: „ Itaque quoniam impleta est Pro-„ phetia per adventum ejus, id est per Nati-„ vitatem & Passionem, propterea & Daniel „ signari Visionem & Prophetiam dicebat, „ quoniam Christus est signaculum omnium „ Prophetarum, adimplens omnia quæ retro „ erant de eo nuntiata. Post enim Adventum „ ejus & Passionem ipsius, jam non Visio, „ neque Prophetia. Unde firmissime dicit Ad-„ ventum ejus signare Visum & Prophetiam. Christus Jesus Dux est a *Daniele*, aliisque Prophetis prædictus, qui verum Israelem spiritaliter recturus erat, & ab hostibus invisibilibus, scilicet Dæmonibus, vindicaturus, atque ad æternam felicitatem perducturus. Matt. 2. 4. 5.

„ Sci-

„ Sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Judæ. Sic enim scriptum est: Et tu Bethleem „ Terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda: Ex te enim exiet Dux qui regat Populum meum Israel „. Hic a Judæis occisus est, sub *Pontio Pilato* crucifixus, quemadmodum *David* prædixerat Psal.21. „ In „ pulverem mortis deduxisti me, quoniam „ circumdederunt me canes multi. Concilium „ malignantium obsedit me. Foderunt manus „ meas & pedes meos „. Et Isaias Cap.53.7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur*. Unde Jesus ipse Discipulis Emmauntem euntibus „ Aperuit sensum ut intelligerent Scripturas, & „ dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic „ oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus „ pœnitentiam, & remissionem peccatorum „ in omnes Gentes „. Hinc Eunucho *Candacis* Reginæ Æthiopum, mox laudatum *Isaiæ* locum legenti, cum occurrisset *Philippus*, *incipiens a Scriptura ista*, *evangelizavit illi Jesum*; ut refertur *Actuum* 9. Pactum quod multis confirmandum prædixit *Daniel*, sanxit & confirmavit Jesus, Novi & Æterni Fœderis a Deo cum hominibus initi Mediator & Sequester, ut S. Paulus docet ad Hebræos scribens Cap.8. „ Nunc autem melius sortitus est Mini- „ sterium, quanto & melioris Testamenti Me- „ diator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est, &c. *Cap.9*. Et ideo Novi „ Te-

„ Testamenti Mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hereditatis. Ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, cum adhuc vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. „ Sanguine itaque suo novum & æternum Pactum Deum inter & homines Jesus confirmavit. Unde ipse ait Matthæi 26. Marc. 14. Lucæ 22. *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. In morte Jesu defecit Hostia & Sacrificium, quantum ad jus, etsi nondum quantum ad rem, nisi post excidium Templi & Urbis Hierosolymorum. Sacrificia secundum Legem abrogata sunt, oblato immaculati Agni, qui tollit peccata Mundi, vero Sacrificio. Qua de re S. Paulus Epist. ad Hebræos Cap. 10. scribit: „ Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam haberent conscientiam peccati cultores semel mundati; sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo „ in-

„ ingrediens Mundum dicit : Hostiam & obla-
„ tionem noluisti : Corpus autem aptasti mihi :
„ Holocautomata pro peccato non tibi placue-
„ runt. Tunc dixi : Ecce venio : In capite
„ Libri scriptum est de me, ut faciam, Deus,
„ voluntatem tuam. Superius dicens : Quia
„ hostias, & oblationes, & holocautomata
„ pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi,
„ quæ secundum Legem offeruntur, tunc di-
„ xi ; Ecce venio, ut faciam, Deus, vo-
„ luntatem tuam : aufert primum, ut sequens
„ statuat. In qua voluntate sanctificati sumus
„ per oblationem corporis Jesu Christi semel.
Id significabat Christus Jesus, cum moriens diceret (Joannis 19. 30.) *Consummatum est*. Ideo cum peracto Sacrificio emisisset spiritum, *Velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum*, ea quæ pridem cerni non poterant, omnibus conspicua faciens, & quæ contingi, aut ad quæ adiri non licebat, ad ea aditum aperiens. „ Cum enim (inquit *Theodo-*
„ *retus* Commentario in Danielem) velum se-
„ pararet a Sanctis Sancta Sanctorum, in qui-
„ bus erant Propitiatorium, & Cherubim, &
„ Arca, fractum totum velum rebus ipsis
„ ostendit, quemadmodum ab interioribus par-
„ tibus, quæ ibi custos assidebat, gratia reces-
„ serit, & communia illa facta sint, ad quæ
„ pridem soli Principi Sacerdotum aditus pa-
„ tebat. Hoc autem contigit cum Sacrificium
„ pro universo Mundo esset oblatum „. Judæi Christum Jesum negarunt, cum rogante Pila-

to,

to, *Regem vestrum crucifigam?* responderunt: *Non habemus Regem nisi Cæsarem. Tolle, tolle, crucifige eum.* Et rursus: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Negationem illam Christi Jesu a Populo suo, id est, a Judaica Gente, *S. Joannes* his verbis expressit Evangelii sui Cap. 1. *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Ideo reprobati sunt, & dispersi, impletaque est Dei per *Osee* Prophetam comminatio: *Quia vos non Populus meus, et ego non ero vester.* Confer cum Epist. ad *Romanos* Cap. 9. Desolationem Templi, & Excidium Urbis a *Daniele*, aliisque Prophetis prædictam, Christus Jesus perfidæ Genti denuntiavit, Matthæi 23. 37. 38. „ Jerusalem, Jerusalem quæ „ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te „ missi sunt, quoties volui congregare filios „ tuos, quemadmodum gallina congregat pullos „ suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. *Matthæi* 24. 1. Et egressus Jesus de Templo, „ ibat. Et accesserunt Discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes Templi. Ipse autem „ respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? „ Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis „ super lapidem, qui non destruatur ... Cum „ ergo videritis abominationem desolationis, „ quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem „ in loco sancto: Qui legit intelligat: Tunc „ qui in Judæa sunt, fugiant ad Montes. *Lucæ* 24. 41. *& sequentibus*: Et ut appropinquavit videns Civitatem, flevit super illam, „ di-

„ dicens; Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, „ nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. „ Quia veniet dies in te, & circumdabunt te, „ & circumdabunt te inimici tui vallo, & „ coangustabunt te undique: & ad terram „ prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, „ & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ „. Id quomodo in Excidio Hierosolymit. completum sit, constat ex Hist. Josephi *De Bello Judaico* Lib.7. & ex Jo: Xiphilino *Epitom. Dionys. in Tito.* Dei vindicis manum in Excidio illo agnovit *Josephus* cap.3. libri mox laudati. *Deus profecto*, inquit, *Deus ipse cum Romanis ignes lustrales ipsi* (Templo) *injicit, & Civitatem tot piaculis plenam exscindit.* Et cap.10. *Templum invito Tito exuritur.* Agnovit *Titus* apud eumdem *Josephum* cap.16. ejusdem libri, cum solida murorum altitudine conspecta, & singulorum lapidum magnitudine, & accurata compage, & quantum hi in altum, quantum item in latum paterent; *Deo*, inquit, *favente bellum gessimus, & Deus ab istis munitionibus Judæos detraxit: Nam quid manus hominum, vel machinæ possunt adversus has turres?*

Stupenda Judæorum cæcitas, & pertinacia est, qui Christum Ducem *Cyrum* esse statuunt, aut *Jesum Josedec* Sacerdotem, aut *Zorobabelem*, vel *Agrippam Juniorem*. Nemini enim illorum Messiæ characteres a *Daniele* delineati conveniunt

niunt. Nemo illorum *Sanctus Sanctorum* & *Justitia sempiterna* merito dici potest. Nemo illorum Christus, seu *Messias Nagid*, id est, *Princeps*, sive *Dux* fuit. Nullus enim Christi nomine in Scriptura invenitur appellatus, qui unctus non fuerit vel sacro illo corporali oleo, quo Reges & Sacerdotes ungebantur, ut *Aaron* & *Saul*; aut spirituali, id est Spiritu Sancto, & Gratia Prophetiæ, quod in Psalmo dicitur *Oleum lætitiæ*. Corporali autem oleo uncti non fuere Sacerdotes & Reges qui post solutam Captivitatem Judæis præfuerunt. Quinque enim rebus Templum primum secundo antecelluit, ut tradunt Judæi, nempe Igne sacro, Arca, Urim & Thummim, Oleo unctionis, & Spiritu Sancto. Cum iis ergo Templum secundum caruerit, Reges aut Pontifices qui eo cadente Populo Judaico præfuerunt, Christi jure ac proprie dici non possunt. Ita contra Judæos disserit *Raymundus Martini* in *Pugione* Fidei, p.2. Cap. 3. §.29. Frustra vero Judæi objicerent, Cyrum *Isaiæ* 45. 1. Christum appellatum, quamvis neutro oleo unctus esset: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus Gentes*, &c. Præterea quosdam alios Christos vocari Psalmo 105. *Nolite tangere Christos meos*. Nam *Cyro* Christi nomen a Deo propterea tributum est, quia electus ab ipso fuit, ut Populum ipsius e captivitate solveret, ac libertate donaret, eaque in re Messiæ typus fuit, hominum genus a Dæmonis captivitate li-

liberaturi, & in libertatem filiorum Dei vindicaturi. Unde *Isaias* loco laudato statim a *Cyro* Christo typico, ad verum Messiam assurgens, in has voces erupit: *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant Justum: Aperiatur terra & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul. Ego Dominus creavi eum.* Præterea *Cyrum* verum Messiam non esse Judæi agnoscunt, & hæc *Isaiæ* verba ad Messiam ipsum, non ad *Cyrum* referunt. Sic enim habetur in *Thalmud*, in Libro qui dicitur *Megilla*, Distinctione quæ incipit, *Megilla Nikrath*, ut refert Raymundus Martini: *Quid est quod scriptum est Isaiæ* 45. 5. 1. Hoc dixit Dominus Messiæ suo, &c. *Numquid Cyrus Messias est? sed Deus sanctus & benedictus dicit Messiæ: Opponens ego te Cyro, quem fortificavi in dextera sua, Ego dixi: Ille ædificabit mihi domum.* Et *R. Selomoh* hunc Isaiæ locum exponens, ait: *Magistri nostri dixerunt*, Dixit Deus Regi Messiæ, Opponens ego te Cyro &c. *Sicut est in libro Megilla.* Denique *Aben-Ezra* in c.9. *Danielis*, ait: *Opinio ejus qui dixit, quod Cyrus est Messias Domini, non est congrua.*

Quod spectat Versum 15. Psal.105. *Nolite tangere Christos meos*, illum de *Abraham*, *Isaac* & *Jacob* interpretatur *R. Barachias* in *Midrasch*. Hos autem unctos fuisse oleo spirituali, id est, Spiritu Prophetico, certum est. Unde subdit Psalmista. *Et in Prophetis meis nolite malignari.* Veteres præterea Judæi recentiorum cæcitatem arguunt. Illi enim ingenue con-

confeſſi ſunt *Danielis* Oraculum, quod hujuſce Articuli ſecundi argumentum eſt, ad Meſſiam pertinere, ut refert *S. Hieronymus*. Idem fatetur *R. Moſes* filius Nachman Gerundenſis, in Danielem: *Sanctuarium*, inquit, *Sanctuariorum*, ſive *Sanctus Sanctorum*, *eſt Meſſias ſanctificatus de filiis David*. De cujus unctione Pſalmo 45. dicitur: *Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga Regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*. Quod *Targum* de Meſſia diſerte exponit. Tertio nec *Cyrus*, nec *Jeſus Joſedec*, nec *Zorobabel* poſt Hebdomadas ſexaginta duas ab edicto de Urbis Jeruſalem ædificatione promulgato ſunt occiſi, nec eorum temporibus Hoſtia & Sacrificium defecerunt: nullus igitur illorum eſt Chriſtus ab Angelo prænuntiatus. Nec etiam is fuit *Agrippa Junior*, quippequi Romanorum partes ſecutus ſit, Belloque Judaico ſuperſtes fuerit, teſtibus *Joſepho* Libro 2. *de Bello Judaico*, Cap. 16. & *Tacito* Libro 5. Hiſtoriæ. Hunc Articulum opportune claudet ſincera confeſſio, quam *R. Samueli* vis veritatis extorſit, in epiſtola ad *Regem Iſaac*, quam in *Dioniſii Carthuſiani* Commentariis legere eſt, „ Videtur, Domine mi, „ Danielis Prophetia, quæ ſcribitur nono Ca„ pite, jam completa eſſe; ubi ſic dicitur: „ *Poſt ſexaginta duas Hebdomadas occidetur* „ *Chriſtus; & veniet Populus cum Principe ven*„ *turo, deſtruetque Civitatem & Domum, &*

„ *erit*

„ *erit consummata destructio desolationis perpe-*
„ *tuæ*. Et non est, Domine mi, dubium,
„ quin destructio perpetuæ desolationis sit hæc
„ Captivitas in qua jam sumus. Nam jam sunt
„ mille anni, & aperte dicit Dominus per
„ Prophetam, quod erit desolatio perpetua
„ propter occisionem Christi: sicut est desola-
„ tio nostra post occisionem Christi. Non enim
„ comminatus est desolationem perpetuam,
„ nisi post occisionem Christi. Et si volueri-
„ mus dicere quod ante occisionem Christi fue-
„ rimus in desolatione: Respondent nobis
„ Christiani, quod ante illam mortem non
„ fuit desolatio nisi septuaginta annis; & post
„ hoc fuimus reducti in Terram promissionis,
„ & fuimus apud Deum in gratia & honore.
„ Certe, Domine mi, non video evasionem.
„ De facto enim probatur nobis, quod post-
„ quam a reædificatione Templi completæ fue-
„ runt septuaginta Hebdomades annorum,
„ tunc fuit Jesus occisus a Patribus nostris; &
„ postea venit Dux, scilicet Titus; & Popu-
„ lus, scilicet Romani, & fecerunt nobis secun-
„ dum Prophetiam istam. Hodie sunt mille
„ anni, & nihilominus in ira Dei sumus; &
„ tamen nos in ipso speramus, exspectantes
„ adhuc venturum Messiam, & reversuros
„ nos in Terram Promissionis; & Civitatem
„ atque Templum instauraturos, futurosque
„ in gratia & honore apud Deum: nec deso-
„ lationem hanc fore perpetuam, sed tempo-
„ ra-

„ ralem. Heu, mi Domine, non eſt iſta ex-
„ cuſatio, & evaſio conſona; & vana vide-
„ tur talis expectatio.

ARTICULUS III.

De Vaticiniis Aggæi, & Malachiæ.

JUdæi anno Darii Hyſtaſpidis ſecundo, ob Templi, quod Duce Zorobabele extruebant, tenuitatem, mœrori ſe dabant effuſius. Quorum animos erigendi cauſa, quantus hujuſce poſterioris Templi, Meſſiæ præſentia decorandi, ſplendor futurus eſſet, ore Aggæi Propheta Deus in hunc modum magnifice prænuntiat. *Adhuc unum modicum eſt, & Ego commovebo Cælum, & Terram, & Mare, & Aridam, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis Gentibus*, (Hebraice, *veniet deſiderium cunctarum gentium*, plurali numero per emphaſim uſurpato pro ſingulari): *& implebo Domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum eſt aurum, & meum eſt argentum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum; & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Non abſimile quoque habetur Vaticinium apud Malach. cap.3. v.1. *Ecce Ego*, inquit Dominus, *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim ad Tem-*

Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus Exercituum.

Duo illa oracula, quæ ideo conjungi voluimus, quia sese invicem mirifice illustrant, perspicuum adversus Judæos suppeditant argumentum, quod nunc exponendum est.

PROPOSITIO I.

Ex Prophetiis Aggæi, & Malachiæ efficaciter astruitur, tempora adventus Messiæ jamdudum esse præterita.

PRob. Illius adventus jam pridem præteriere tempora, qui juxta Vaticinia Aggæi, & Malachiæ, stante secundo Templo venire debuit, siquidem ab annis prope septingentis, supra mille Templum illud a Tito combustum; & funditus eversum est. Atqui ex laudatis Aggæi, & Malachiæ Vaticiniis Messias venire debuit secundo Templo stante.

Ac istud quidem conficitur ex Vaticinio Aggæi. Is enim, a quo Aggæus prædicit gloriam Templi secundi esse orituram, profecto venit, si Aggæo fides, hoc Templo stante: atqui gloriam Templi secundi a Messia esse orituram Aggæus prædixit. Namque I. In Aggæi Vaticinio de Templo secundo agi demonstrant tum circumstantiæ temporis, quippe ædificabatur Templum secundum, cum illud Aggæi Vaticinium editum est: tum series conte-

xtus, & scopus Vaticinii; scilicet mox dixerat Propheta v.4. Templum cujus extructioni Zorobabel instabat, *tamquam non esset* visum esse oculis eorum qui templi Salomonici gloriam conspexerant; quocirca ad solandos Judæos Vaticinium, de quo disserimus, continuo subjicitur: tum pronomen demonstrativum *istius*, *istam*, *isto*, non alia de causa ibi multoties adhibitum, nisi ut illud quod tunc condebant Judæi Templum indicaretur. Ergo de Templo secundo agitur in Vaticinio Aggæi. Atque id confitentur Judæi. II. Is a quo Aggæus ejusmodi Templi gloriam vaticinatur orituram, ipse est Messias. Quatuor quippe caracteribus soli Messiæ propriis ille designatur, de quo in hac Prophetia sermo est. Nimirum 1. quo tempore is est venturus, magna rerum immutatio eventura prænuntiatur ab Aggæo his verbis: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet &c.* 2. *Desideratus cunctis gentibus*, seu, ut Hebræi habent, *venient desiderium cunctarum gentium*, id est, ille qui maxime exoptandus est gentibus, *& implebo domum istam gloria &c.* 3. nomine pacis etiam indicatur: *Et in loco isto dabo Pacem dicit Dominus exercituum*. 4. Ab ejusdem præsentia Templum secundum prædicitur sortiturum gloriam Templi Salomonis magnificentiæ longe superiorem: *Meum est aurum, & meum est argentum dicit Dominus exercituum*; idest, si vellem auro,

& ar-

& argento Templum illud exornare, id facile exequerer: sed alia ratione longe excellentiori illud decorare intendo, præsentia videlicet illius, qui pacem perfectam allaturus est: *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum; & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Atqui solus Messias quatuor illis characteribus designari potuit. Enimvero nonne in tempora Messiæ per se, & per Discipulos suos tot prodigia edituri, totque nationes Religioni suæ addicturi, aptissime quadrat maxima illa rerum immutatio, gentiumque omnium commotio, quam Deus splendidis verbis jam citatis describit: *Commovebo Cælum, & Terram, & Mare, & Aridam, et movebo omnes Gentes?* Certe quoties in Scripturis adhibetur ejusmodi loquendi modus, ut Psalm. 17. v. 8. Isaiæ 24. v. 19. Jerem. 49. v. 21. Ezech. 38. v. 19. Aggæi ejusdem 2. v. 22. & alibi sæpe, toties de prodigiis insignibus, ac nobilissimis verba fiunt. Pariter, nomine *Desiderati cunctis Gentibus*, quis alius significari potuit præter Mesiam aliis in locis Scripturæ eadem nota insignitum, tantorumque bonorum hominibus collatorum auctorem? Ad hæc, an non etiam pacis nomen maxime convenit Messiæ, qui, & alibi appellatur *Pax*, & *Princeps pacis*, quique ut veræ pacis largitor ubique exhibetur? Nec sane pacem secundo Templo eo loci promissam, interpretari queunt Rabbini temporaneam pacem Templo Zoroba-

belico præ Salomonico concedendam. Nemo enim nescit Templum Zorobabelicum a Seleuco, ab Antiocho, a Pompejo violatum fuisse, ac a Tito dirutum & solo æquatum; dumque illud stetit, dissensiones diras inter Judæos exortas esse, & eorum Rempublicam gravissimis bellis fuisse exagitatam, quibus tandem penitus extincta est; ergo. Denique, an ab alio quam a Messia Templum secundum valuit tantum decus consequi, ut Templi Salomonici gloriam superaret? Etenim non modo Templum posterius longe minori quam prius magnificentia enituit, sed præterea, ut ipsimet Rabbini tradunt, rebus sanctissimis, ac maximis ornamentis caruit, quibus Templum prius decorabatur, Urim, & Tummim videlicet, Arca, & Tabulis fœderis, Virga Aaron, igne cælesti, oleo Divinæ unctionis, præsentia Divinitatis, & Spiritu prophetiæ; quæ tanta profecto re nulla compensari, ac suppleri potuerunt, nisi Messias Templum secundum adierit. Quam ex his rebus Templum prius præ posteriori dignitatem consecutum est, hanc inæstimabilem R. Azarias appellat; atque earumdem habita ratione doctus R. Menasseh pronuntiat Templum Salomonicum tanto excellentius fuisse Zorobabelico, quanto Sol est Luna præstantior. Ergo ex Vaticinio Aggæi, Messiam stante secundo Templo venire debuisse, omnino conficitur.

Jam vero idem quoque ex Vaticinio Malachiæ evincitur. Nam *Dominator*, quem Ma-

la-

lachias ait a Judæis quæsitum, & *Angelus*, seu Legatus fœderis ab iis exoptatus, ipse est procul dubio Messias, & Liberator illis promissus, & ab iisdem tantopere expetitus, ut agnoscunt ipsi Judæi cum R. Maimonide in *Hilchoth melachim*, seu *Tract. de Regibus*; & R. David Kimchi in hunc Malachiæ locum. *Dominator*, inquit Kimchius, *ipse est Rex Messias, idemque Angelus fœderis*. Templum autem quod is *Dominator*, & *Legatus* præsignificatur ingressurus, non aliud esse quam Zorobabelicum monstratur 1. Quia eodem nomine donatur quo Templum a Judæis solebat designari. Scilicet Judæi consueverant Templum appellare *Templum Domini*. Atqui Malachias Templum de quo vaticinatur æquivalenti indigitat appellatione; nempe illud vocat *Templum Dominatoris quem* Judæi *quærebant*, id est Messiæ, qui Dominus in sacris litteris non semel nuncupatur; ergo. 2. Quia Templo secundo extante, aut saltem dum illud absolvebatur, vaticinatus est Malachias; proclive igitur est, ut de ejusmodi Templo intelligatur ejus Prophetia, utpote intra *tempus modicum* adimplenda. 3. Quia Malachiæ oraculum de Templo secundo explicari exigit affinitas, quæ Vaticinium illud inter, & Prophetiam Aggæi intercedit. Quemadmodum qui gentes omnes commoturus, gentibus desideratus, pacemque ipsis allaturus dicitur ab Aggæo, idem ipse est ac *Dominator*, & *Legatus* fœderis a Judæis expetitus, cujus meminit Malachias; ita Templum de quo apud

Malachiam agitur, censendum plane est quid unum cum Domo Dei in Aggæi Vaticinio memorata. 4. Quia vel de Templo secundo loquitur Malachias, vel de tertio quodam olim extruendo. Atqui tertium Templum, quod Rabbini quidam restaurandum fingunt, commentitium est: spem enim illius non modo nullus Scripturæ locus firmat, ut deinde ostendetur; sed contra Daniel cap. 9. Templum a Tito evertendum prædicens, eadem, ut jam notavimus, voce utitur, qua Moyses Sodomæ, Gomorrhæ dissipationem expressit; additque futurum, ut abolitis Sacrificiis, & visa in loco sancto abominatione, desolatio in consummationem, & finem perseveret. Aggæus etiam in mox adducto Vaticinio satis aperte indicat Templum Zorobabelicum futurum esse ultimum, dum ejus gloriam tam splendide exprimit, dum desiderabilem gentibus ad illud venturum esse, & pacem in eo concedendam docet, tuncque Cælum, & Terram, Mare, & Aridam a Deo agitanda, ac Gentes omnes movendas prænuntiat. Et vero, ut quid Templum tertium extrueretur cum juxta Prophetarum oracula, ut postea dicetur, ritualia Legis Mosaicæ, & Sacrificia abolita nunquam debeant in posterum obtinere? Hinc frustra tentarunt non semel Judæi Templum suum denuo suscitare, atque flammis e terra erumpentibus, aliisque prodigiis sub Juliano Apostata deterriti sunt, ne facta sibi ab illo Imperatore in odium Christianæ Fidei, Templi Jerosolymis ex-

extruendi facultate uterentur. Cujus rei testes sunt non solum SS. Patres qui tunc temporis vixere, sed etiam Ammianus Marcellinus scriptor Ethnicus, & coætaneus. Ergo intelligendus Malachias de Templo secundo, proindeque &c.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Etsi Templum secundum præsentia Messiæ non fuisset illustratum, vicisset tamen prioris gloriam 1. Ratione durationis; nam decennio amplius duravit quam Templum a Solomone extructum; 2. ratione celebritatis; si quidem Templum secundum exteris Nationibus magis innotuit, atque ab earum Regibus Dario, Artaxerxe &c. donis splendidissimis exornatum est. 3. Ratione decoris, & magnificentiæ, postquam scilicet ab Herode in majus auctum, & magnificatum fuit; ergo. Ita R. Salomon Jarchi, R. Kimchi, R. Menasseh &c. Adde Josephum lib. 15. *Antiq.* cap. 11. alias 14. num. 3. testari, majoribus sumptibus Templum ab Herode quam ab alio quovis fuisse exornatum.

1. Nego antecedens præsertim quantum ad tertiam partem, quæ præcipua est. Fatemur itaque Templum secundum non modo annis decem, ut Judæi putant, sed revera annis 169. juxta accuratiores calculos, diuturnitatem Templi prioris excessisse. Quod tamen levioris est momenti: ubi namque de ædificiorum ad se

invicem collatorum splendore quæstio est, illa potissimum in se spectantur, & ad durationem eorum majorem, minoremve parum attendi solet, nisi quatenus ea majoris, aut minoris ædificiorum, quæ vetustate pereunt, soliditatis indicium esse potest: utrumque autem Templum vi & flammis, non vetustate destructum est. Quamquam posterius etiam postquam ab Herode est instauratum, priori minus solidum fuit, si Josepho fides, qui viginti cubitos, id est pedes triginta ex ejus altitudine, pressis nimia mole fundamentis, retrocessisse auctor est. Fatemur etiam donis eximiis a Dario Hystaspide, ab Artaxerxe Longimano, & ab aliis Gentilibus Templum Zorobabelicum locupletatum fuisse. Verum constat 1. ipso durante, Judæos ab exteris gentibus fuisse oppressos, & vexatos; 2. hoc ipsum Templum non semel violatum fuisse, & spoliatum, quod priori non contigerat; 3. idem Templum, ut ipse Abravanel in Aggæum observat, nullo pacto, etiam ubi ab Herode auctum est, accessisse ad magnificentiam Templi, quod Salomon Regum ditissimus, & sapientissimus immenso apparatu, stupendisque impensis, ac structura supra modum mirabili ædificaverat; in quo *nihil erat*, Scriptura teste III. Reg.6. v.22. *quod auro non tegeretur*; cujusque ibid. cap.7. sumptuosissima, ac tota aurea erat suppellex. Vide etiam I. Paralip.22. & II. Paralip. 2. 3. & 4. & confer quæ a Josepho referuntur de utroque Templo. Enim vero ex Josepho, cui concinunt Jose-

sephus ben Gorion, Hegesippus, S. Hieronymus &c. habemus mille carros ad vehendos lapides ab Herode comparatos, & decem peritissimorum opificum millia ad opus perficiendum electa, cuncta vero octo annis ædificata: qui apparatus quidem etsi immensus in se, attamen si comparetur iis quæ idem Josephus *Antiq.* lib.8. cap.2. & 3. de Templo Salomonico post Scripturas refert, nihil magni continere videbitur. Nam I. Paralip.22. v.14. David legitur *auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, æs vero, & ferrum cujus non erat pondus .... Ligna, & lapides ad universa impendia &c.* ad Templum ædificandum præparasse. Salomon autem III. Reg.5. v. 13. 14. 15. & 16., & II. Paral.2. adhibuit *operarios de omni Israel triginta millia virorum, mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim &c.* insuper vero *septuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte: absque præpositis, qui præerant singulis operibus, numero trium millium &c.* Nec tamen Domum Dei ad culmen perduxit ante annum ab ejus fundatione septimum III. Reg.6. v.38. ergo.

Quod de Josepho objicitur, nullum negotium facescit. Non ibi comparatur Templum Herodianum cum Salomonico, sed Herodes cum iis confertur qui antea ad Templi secundi decorem adjumento fuerant. 2. Nego conseq. 1. Evidentissimum est quæcumque Templo se-

cundo deerant, nempe Arcam fœderis, Tabulas legis, & alia modo enumerata, nulla duratione, celebritate, & magnificentia compensari, & suppleri potuisse. Ergo. 2. Series horumce verborum, *Meum est aurum, & meum est argentum .... Magna erit gloria Domus istius novissimæ plusquam primæ ..... & in loco isto dabo pacem*, manifestum faciunt non de gloria caduca ab auro, & argento donisque gentium profecta Vaticinium explicandum, sed de gloria veriori, & præstantiori, quæ exoritura esset a pace in templo isto danda, id est, a Messia pacis auctore ad Templum illud offerendo 3. Non minus perspicuum est ex Vaticinii contextu eamdem Templi secundi gloriam, ut dictum est, ab adventu *Desiderati cunctis gentibus*, seu Messiæ repetendam, ac proinde Messiæ ejusdem in hocce Templo coram Domino sistendi, maxime hic habendam esse rationem. Licet ergo potuerit, quod falsum est, Templum posterius priori quantum ad famam, & magnificentiam æquipararari, nihilominus ex Vaticinio Aggæi evincitur, Messiam jamdudum advenisse.

Inst. Ubi habet Vulgata nostra: Veniet *Desideratus cunctis gentibus*, Hebræi legunt: *Venient desiderium cunctarum gentium*, quæ juxta R. David Kimchi in hunc sensum explicanda sunt. *Venient cunctæ Gentes cum desiderabilibus*, id est cum donis; supplendo nempe præpositionem ante vocem *chemedath*, *desiderium*, & legendo *bechemedath*, *cum desiderabi-*

li-

libus. Et certe dici nequit *desiderium*, seu *desiderabilia gentium venire*, bene vero *gentes venire cum desiderabilibus* ac donis; ergo.

Nego antecedens, nempe hanc Kimchii expositionem adhibendam. Etenim male hic supplet Kimchius præpositionem, quæ in Hebræo non legitur, & qua emphasis illius loci, & sublimitas penitus evanescit.

Ad id quod adjicitur, dici non posse *desiderium gentium venire*, id fateor, si nomine *desiderii* significarentur opes, & munera gentium: at nihil in sacro contextu sensum hunc Rabbinorum recentiorum sapit. Num autem Messias bona summa populis allaturus, ipsisque ideo maxime desiderrbilis, *Desiderium cunctarum gentium* simpliciter nuncupari nequit? aut potius, ubi Propheta magnifice exprimit, futurum ut aliquando veniat *Desiderium cunctarum gentium*, quidquamne aliud intelligere licet, præter Messiam, qui in Scripturis ut populorum salus, & gentium expectatio semper exhibetur? Quod si de muneribus gentium, de auro, & argento ad Templum afferendis, Aggæum interpreteris, quomodo ista expones, quæ in Vaticinio præmittuntur: *Adhuc unum modicum est,& ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes Gentes?* An commotio illa insignis, quæ hac magniloquentia a Deo præsignificatur, ad munera quædam, ad aliquod argenti, & auri pondus a Gentilibns offerenda referri, & accomodari potest? Postremo, nec patiuntur hæc

verba, *Et in loco isto dabo pacem*, ut Aggæi oraculum de muneribus Gentilium explicetur; nec ejusmodi donis effici potuit, ut Templum Zorobabelicum gloriam Salomonici superaret; ergo.

Instabis iterum. Ille non potuit appellari *Desideratus cunctis gentibus*, seu *Desiderium gentium*, quem Gentes ignorabant: atqui Gentes ignorabant Messiam; ergo.

Nego Majorem; & dico Messiam potuisse dici *desiderium Gentium*, etsi illum explicite non cognoscerent gentes; nam ad hoc satis est quod ipse futurus esset Gentium spes, & salus maxime desideranda.

Objicies 2. Ex circumstantiis, in quibus Aggæus de gloria Templi secundi vaticinatus est, patet eam in ubertate, ac copia bonorum esse collocandam. Cum enim Judæi ob suam in construendo Templo negligentiam, agrorum sterilitatem essent experti, ut ex v. 13. perspicuum est, Propheta, ut eos simul exstimularet, ac solaretur, prædicit Cælum, Terramque commovenda, frugesque uberes Templo absoluto concedenda; ergo.

Nego antecedens. Nec ad fruges Terræ possunt aptari splendida hæc Dei verba: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum &c. movebo omnes Gentes*: nec ubertas Terræ major fuit stante secundo Templo, quam fuerat primo existente; ac tandem evidens est, ut diximus, sermonem in hoc Vaticinio de Messia institui, Templique posterioris, compa-

parate ad Salomonicum, fere nullam fuisse gloriam, nisi Messiæ ratio habeatur.

Objicies 3. Nihil obstat, quominus Aggæus explicetur de Edicto Regis Persarum, nempe Darii Histaspidis, quo pax data est Judæis, & facta Templi ædificandi facultas; ergo.

Nego antecedens. Nunquam in Scripturis, uti jam observatum est, Deus cælum, Terramque commoturus dicitur, nisi ubi de stupendis, & maximis prodigiis sermo fit. Quid autem apparet prodigii in Decreto quo Darius Edictum a Cyro jam concessum confirmavit? Præterea, illud Decretum Darii *ad Desideratum cunctis Gentibus* nihil contingit, nec eo data est eximia illa pax juxta Vaticinium in Templo secundo concedenda, qua effici debebat, ut gloria hujus Templi gloriam alterius longe superaret; Ergo.

Propositio II.

Quæ adductis Aggæi, & Malachiæ Vaticiniis continentur, in Christo Domino evenere.

Prob. Nam 1. juxtà Vaticinium Aggæi, tempore adventus Messiæ Cælum, & Terra, Mare, & arida a Deo commovenda sunt, gentes & omnes agitandæ. Atqui id in Christo effectum est. Ipso enim nascente Sydus novum in Cælo apparuit Matth. 2. v. 2. & *facta est .... multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelsis Deo &c.* Luc. 2.

Luc.2. v.13. Dum baptizatus est a Joanne, *Apertum est Cælum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de Cælo facta est: Tu es Filius meus dilectus &c.* Luc.3. v.21. & 22. Similiter cum transfiguratus est, *vox facta est de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Luc.9. v.35. &c. Ipso prædicante, seu per se seu per Apostolos, miracula summa terra, marique edita sunt. Ipso moriente, Sol miraculosè obtenebratus est, *velum Templi scissum est, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*, Matth.27. v.45. 51. & 52. Ad hæc, ipse resurrexit Matth. ult. & alibi, & Cælos ascendit Marc.16. v.19. &c. Tandem Christus Nationum Religionem immutavit, earum Idola confregit, populosque omnes sibi devinxit. Ergo tempore Christi Cælum, & Terra, Mare, & arida, atque omnes Gentes a Deo commota sunt.

2. Juxta Aggæum, & Malachiam Messias Templum secundum ingressurus erat, atque ita ex Aggæo futura erat *magna gloria Domus istius novissimæ plusquam primæ*. Quod Christus quoque adimplevit, quippe in Templo præsentatus est coram Domino Luc.3. v.22., & in eadem æde docuit, Matth.26. v.55. Marc.12. vers.35. &c. atque inibi innumera Miracula edidit.

3. Christus fuit pax quæ in Templo secundo juxtà Aggæum dari debuit; Si quidem ad Templum

plum coram Domino ſe ut victimam ſiſti voluit præludens ſacrificio pleniori, quo Deus *pacificavit per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in Terris, ſive quæ in Cælis ſunt*, Coloſſ. 1. v. 20. ergo &c.

Dices 1. Chriſtus non intravit in ſecundum Templum, quod a Zorobabele extructum fuerat, ſed in Herodianum. Narrat enim Joſephus lib. 15. *Antiq.* cap. 11. aliàs 14. num. 3. Templum ab Herode fuiſſe de integro reædificatum, *ſublatis* nempe *veteribus fundamentis, & jactis aliis*; ergo.

Nego antetedens, & dico Templum ab Herode reſtauratum idem cum Zorobabelico juxtà omnium tunc exiſtentium æſtimationem habitum fuiſſe. Rabbini in Thalmude, & in aliis operibus ſuis Herodianum Templum a Zorobabelico numquam diſtinguunt, ſemper ſupponunt, aſſeruntque Templum ſecundum fuiſſe dirutum a Romanis, atque ubi agunt de Templo quod a Meſſia ædificandum fingunt, illud non Templum quartum appellant, ſed tertium. Nec ſane his Joſephus diſſonat, quippe qui facile explicetur de maximæ tantùm Templi, ac ejus fundamentorum partis inſtauratione, atque reædificatione ſucceſſive intra octo annos ab Herode peracta; adeo ut Herodes Templum ſecundum non æquaverit Solo, ut novum extrueret, ſed per partes illud reparaverit, jactiſque novis fundamentis, ei ampliorem ambitum dederit, & in majorem altitudinem illud erexerit, ac tandem *Templo univerſo circumdederit porticus in-*

ingentes, aliaque ornamenta adjecerit. Et verò si Templum fuisset ab Herode ex integro dirutum, ut aliud ejus loco ædificaretur, cessasset igitur Sacrificium perpetuum quod in solo Templo offerri poterat: num autem ejusmodi defectionem passi essent Judæi? Num illius nullam Josephus mentionem fecisset? Ergo &c.

Dices 2. Non potuit præsentia sua Christus majorem Templo secundo gloriam conferre quam quæ prioris fuit. Nam 1. quis dixerit majorem alicujus Templi gloriam inde potissimum repeti, quod in illud semel aut iterum aliquis ingressus fuerit? 2. In Templo priore semper aderat præsens Dei responsa dantis majestas; at Jesus aliquoties tantum in Templum secundum introivit; ergo &c.

Nego antecedens. Christus in Templo secundo docuit, miracula edidit, ut diximus, atque in eo stetit, ut mediator, ut victima, ut pacem afferens, Deoque homines reconcilians; ergo. Pax illa firma, & constans hæc reconciliatio tempore Messiæ, ac stante secundo Templo futura significatur his Prophetiæ Aggæi verbis: *Et in loco isto dabo pacem*. Atque id procul dubio intellexerat auctor Libri II. Machab. de templo secundo hæc habens cap. 5. v. 20.: *In Magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur*. Inde patet responsio ad utramque antecedentis probationem.

Ar-

ARTICULUS IV.

De Prophetia Michææ de loco Nativitatis Messiæ.

MIchæas c.5. prædicta imminente a Chaldæis Jerosolymorum vastatione, quo loco Messias nasciturus sit his præsignificat verbis v.2. & seqq. *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es* (supple locum) *in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio a diebus æternitatis . . . Et stabit, & pascet in fortitudine Domini in sublimitate nominis Domini Dei sui: & convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos Terræ. Et erit iste pax.*

Omnes consentiunt in hoc Vaticinio nomine Bethleem designari oppidum Tribus Judæ, appellatum quoque Ephrath seu Ephrata, duobus circiter milliariis ab Jerusalem distans, juxta quod Rachel sepulta fuerat, & ex quo David erat oriundus, ab altero ejusdem nominis Bethleem oppido in Tribu Zabulon sito valde diversum. Hoc observato, sit

PRO-

Propositio.

Prophetia Michææ de Messia Bethleemi nasciturо in Christo est adimpleta.

Prob. prima pars, nempe Messiam eum esse qui Bethleemi nasciturus eo Vaticinio prædicitur. Nam 1. is appellatur *Dominator in Israel* exoptandus, *cujus egressus ab initio, à diebus æternitatis*; quod soli Messiæ competit, quem alloquens Deus apud Psaltem Regium, jam dixerat Psal. 109. v. 4. *Ex utero ante Luciferum genui te.* 2. Dicitur *Pastor*, homines *in fortitudine Domini, & in sublimitate nominis Domini Dei sui recturus, eruditurus, conversurus*, quibus graphicè describuntur fructus ex Messiæ adventu colligendi. 3. *Dicitur magnificandus usque ad terminos terræ*, id est, nationibus universis imperaturus. 4. Dicitur *pax*, & quidem sine addito, quam appellationem soli Messiæ antonomastice competere jam non semel advertimus. Ergo nonnisi de Messia intelligi potest Prophetia Michææ, proindeque &c.

Atque eam fuisse veterum Judæorum sententiam, constat ex Paraphraste Jonathan, ex Thalmude utroque, Jerosolymit. quidem, tract. *Berachoth* fol. 5. Babylonico verò, tract. *Sanhedrin* cap. ult., & tract. *de Paschate ex Bereschit rabba*, & ex *Midrasch thehillim*; quibus concinunt R. Judas Haccadosch in *Galerazia*, R. Sa-

R. Salomon Jarchi, Aben Ezra, David Kimchi &c. Sanè Judæi ætate Christi non dubitabant Bethleem futurum esse Messiæ patriam. Matth.enim 2. v.4. interrogati ab Herode Principes Sacerdotum, & Scribæ: *ubi Christus nasceretur*; respondent illi v.5. & 6. *In Bethleem Judæ*, idque probant adducto Michææ Vaticinio, quod tractamus. Et Joan.7. v.42. alii Judæi sic loquuntur: *Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David, & de Bethleem Castello, ubi erat David, venit Christus?* hoc autem *Scriptura* non *dicit* nisi apud Michæam; ergo &c.

Et verò, vel Dominator ex Bethleem juxtà Michæam egressurus Messias dicendus est, vel designat Zorobabelem, uti sentiunt Judæi recentiores, quibus hac in parte male accedit Grotius, Prophetiam de Christo mysticè tantum, & spiritualiter exponens. Atqui is Dominator non est Zorobabel.

Nam 1. Zorobabel non Bethleemi, sed Babylone natus est, atque inde nomen suum duxit, quippe *Zorobabel* idem est ac *semen Babylonicum*, ut observat Theophilact. in Matth.2. Respondit Grotius Zorobabelem censeri Bethleemo ortum, quod ex Davidis Bethleemitæ familia esset oriundus. At inquit Huetius Prop.7. n.25. *Id si accipimus, jam ergo multiplex nobis patria erit, totque natales terras numerabimus, quot loci majoribus nostris ortum dederunt. Ergo & Zorobabel, præter Babylonem, in qua natus est, Jerusalem quoque patriam*

triam habebat, in qua tot Reges ipsius decessores sunt procreati; & Bethleemum, in qua David, & Booz, & Obed, & Jesse; & Ægyptum, in qua Aminadab, & Nahasson; & Haran Mesopotamiæ, in qua Judas &c..... quod neque dici, neque ferri potest.

2. De Zorobabele nequaquam dici potuit: *Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis*: sive ut habetur in Hebræo, *ab olim a diebus æternitatis*: quæ geminata ejusdem rei significatio aliquid procul dubio amplius designat, quam diuturnitatem temporis a Davide ad Zorobabelem, uti Grotius explicat.

3. Michæas apertè significat propter ortum Dominatoris quem prænuntiat, futurum ut Bethleemum, hactenus exigui nominis locus, celeberrimum fieret. Ergo ab illius Dominatoris ortu tantam sibi famam debuit conciliare, ut comparatè ad eam nulla ferè esset celebritas, quam a Davide, & Regibus ab eo ad usque Michææ tempus prolatis consequi potuerat. Atqui tantum decus ipsi afferre par non fuit Zorobabel, qui David nullo pacto æquiparari potuit, qui in gentem pene excisam ab exilio redeuntem auctoritate regiæ longè inferiori potitus est. Ergo.

4. Is quem Michæas prænuntiat, dicitur v.4. & 5. *magnificandus usque ad terminos terræ*, & futurus *pax* per antonomasiam. Atqui Zorobabel non legitur *magnificatus usque ad terminos terræ*, neque potuit singulari modo *pax* appellari. Quid? quod ipse Samaritanorum insi-

insidiis, & criminationibus fuit obnoxius, Judæique post captivitatem a finitimis, & extraneis populis multoties lacessiti fuerunt, multisque cladibus afflicti, donec eorum Respublica penitus evanuerit; ergo.

5. *Regnum illud filiæ Jerusalem, potestas* illa *prima*, quæ tam splendidis verbis pinguntur cap.4. quæque eodem manifestè pertinent, ac prophetia capitis 5. ad Zorobabelem profecto non spectant, sed ad solum Messiam; ergo.

Probatur altera pars, Prophetiam videlicet Michææ in Christo ad eventum perductam. Nam Matth.2. v.1. expressè legitur, *natum esse Jesum in Bethleem Juda*. Et Luc.2. exponitur quomodo Christus Dominus, licet Nazarethi in Galilæa conceptus, Deo tamen sic providente, Bethleemi natus sit. *Ascendit autem, & Joseph*, inquit Evangelista v.4., & seqq. *a Galilæa de Civitate Nazareth, in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eò quod esset de Domo, & Familia David, ut profiteretur* (sicut ab Augusto fuerat imperatum) *cum Maria desponsata sibi Uxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, & peperit filium suum primogenitum*.

Porro aliis omnibus quæ de Messia præcinit Michæas, cohæret quoque Evangelium. Istis enim. *Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis*, respondet v.1. & 14. cap.1. Joan. *In principio erat Verbum .... & Verbum caro factum est*, plurimaque alia novi Fœderis testimo-

monia. Istis: *Magnificabitur usque ad terminos terræ*, cohæret potestas, & imperium, quod, ut jam diximus, & aliquando amplius exponemus, Christo datum est *in cælo*, *&* *in terra* Matth. ult. v. 18. Philip. 2. v. 10. &c. Denique Christus Dominus est *pax*. *Ipse est pax nostra*, inquit Apostolus Ephes. 2. v. 14. & seqq. .... *interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem iis qui prope: quoniam per ipsum habemus accessum in uno spiritu ad Patrem.*

Articulus V.

De Prophetia Isaiæ, & de Prophetarum, & Evangelistarum circa Messiæ Passionem & Mortem consensione.

Propositio.

Quæ de Christi Passione, & Morte ab Evangelistis narrantur, Vaticiniis Prophetarum Messiam contingentibus plane respondent.

Prob. 1. Ex Vaticinio Isaiæ capit. 53. ubi Propheta postquam cap. præcedenti a v. 7. ad finem de Messia splendidissimis verbis locutus est, contexte sic habet: „ Quis credidit „ auditui nostro, & brachium Domini cui re- „ velatum est? Et ascendet sicut virgultum „ coram eo, & sicut radix de terra sitienti: „ Non est species ei, neque decor: & vidi- „ mus eum, & non erat aspectus, & desi- „ de-

„ deravimus eum : despectum , & novissi-
„ mum virorum , virum dolorum , & scien-
„ tem infirmitatem : & quasi absconditus vul-
„ tus ejus & despectus , unde nec reputavi-
„ mus eum . Vere languores nostros ipse tu-
„ lit , & dolores nostros ipse portavit : & nos
„ putavimus eum quasi leprosum , & percus-
„ sum a Deo , & humiliatum. Ipse autem vul-
„ neratus est propter iniquitates nostras , attri-
„ tus est propter scelera nostra: disciplina pacis
„ nostræ super eum,& livore ejus sanati sumus.
„ Omnes nos quasi oves erravimus , unus-
„ quisque in viam suam declinavit : & posuit
„ Dominns in eo iniquitatem omnium no-
„ strum . Oblatus est quia ipse voluit , & non
„ aperuit os suum : sicut ovis ad occisionem
„ ducetur , & quasi Agnus coram tondente se
„ obmutescet , & non aperiet os suum . De
„ angustia , & de judicio sublatus est : gene-
„ rationem ejus quis enarrabit ? quia abscissus
„ est de terra viventium : propter scelus po-
„ puli mei percussi eum . Et dabit impios pro
„ sepultura & divitem pro morte sua , (*Hebr.*
„ *clarius* , & dedit cum impiis sepulturam
„ ejus , & cum divite in morte sua) : eo
„ quod iniquitatem non fecerit , neque dolus
„ fuerit in ore ejus . Et Dominus voluit con-
„ terere eum in infirmitate : si posuerit pro
„ peccato animam suam videbit semen longæ-
„ vum , & voluntas Domini in manu ejus di-
„ rigetur . Pro eo quod laboravit anima ejus ,
„ videbit, & saturabitur : in scientia sua justifi-

ca-

„ cabit ipſe juſtus ſervus meus multos, &
„ iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſ-
„ pertiam ei plurimos: & fortium dividet ſpo-
„ lia pro eo quod tradidit in mortem animam
„ ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt; &
„ ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſ-
„ greſſoribus rogavit.

Perlongum hunc Prophetæ textum exſcribere non pinguit, cui tam accurate conveniunt quæ de Chriſti paſſione, & morte ab Evangeliſtis exponuntur, *ut eo* præſertim loco *non putes de futuro vaticinari, ſed de præteriis hiſtoriam texere*, quemadmodum advertit S. Hieronymus Præfat. ad Iſaiam, aliique Sancti Patres paſſim. Et quidem Meſſiam doloribus traditum, propter hominum peccata in ſe libenter ſuſcepta percuſſum a Deo, & humiliatum, livoribus, quibus nos ſanavit, deformem, deſpectum, opprobiis opertum, vitæ innocentia mirabilem, & in perferendis tot malis patientia & manſuetudine cum ove, & agno obmuteſcente comparandum, ad aliorum iniquitates delendas ſeipſum in victimam ultro neci objicientem, cum ſceleratis reputatum, de terra viventium abſciſſum, cum impiis in ſepultura poſitum, nempe in loco impiorum ſuppliciis deſtinato mortuum, & tamen *cum divite in morte ſua*, id eſt, in ſepulchro divitis conditum, pro tranſgreſſoribus orantem, ſpontanea morte ſua multos juſtificantem, ejuſdem mortis merito ſemen longævum, ſeu innumeros ſpirituales filios generantem, inde et-

etiam in plurimos, id est, Judæos, & Gentiles dominium acquirentem, fortesque spoliantem ac vincentem describit isto in capite Vates sacer. Atqui his simillima sunt quæ de Christi Domini passione narrant Evangelistæ; ergo &c.

Vim illius argumenti non alio modo elidere conantur Judæi recentiores, quam adductum Isaiæ caput Messiæ abjudicando. At vero Messiam ibi immediate designari, facillime, & manifestissime adstruitur, tum ex Isaiæ contextu, tum Paraphrastarum, & Judæorum veterum auctoritate, tum etiam quia ad nullum alium Regem, aut Prophetam Vaticinium, de quo agimus, potest accomodari.

Atque id apparet quidem ex contextu Isaiæ. Nam allato cap.53. evidens est de eodem agi, de quo cap. præcedenti v.7. & seqq. hæc leguntur: „ Quam pulchri super montes
„ pedes annuntiantis, & prædicantis pacem,
„ annuntiantis bonum, prædicantis salutem,
„ dicentis Sion: Regnabit Deus tuus. . . .
„ Ecce intelliget servus meus, exaltabitur,
„ & elevabitur, & sublimis erit valde. Sicut
„ obstupuerunt super te multi, sic inglorius
„ erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus
„ inter filios hominum. Iste asperget gentes
„ multas, super ipsum continebunt Reges os
„ suum; quia quibus non est narratum de eo,
„ viderunt: & qui non audierunt, contempla-
„ ti sunt „. Cum enim his prolatis continenter pronuntiet Isaias, quæ ex cap.53. adduximus, cumque præsertim hæc verba proxime

laudata, *sic inglorius erit inter viros aspectus ejus &c.* istis capitis 53. *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus*, & aliis ejusmodi omnino congruant; clarum est de una, eademque persona in utroque capite esse sermonem. Et vero, cui bono negarent Rabbini, caput 53. ad Messiam attinere, si semel faterentur exponendum de eo laudatum capitis 52. versiculum 14. *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus*, qui summam capitis 53. repræsentat? Atque illa duo capita eodem pertinere ita certum visum est Hebræis veteribus, ut caput 52. a versu 7. cum integro capite 53. conjunctum, unica ipsis fuerit, numero trigesima, Isaiæ Prophetia.

Porro adducta verba capitis 52. de Messia accipienda sunt. Etenim ille Domini *servus* sapientia, & prudentia eximius, qui citatis cap. 52. vers. 13. & 14. dicitur *exaltandus*, *elevandus*, *sublimis valde futurus*, hominesque *obstupefacturus*, ille idem dicitur v. 7. etiam citato *annuntians, & prædicans pacem, annuntians bonum, prædicans salutem, dicens Sion, regnabit Deus tuus*: dicitur v. 10. is in quo *paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*: dicitur v. ultimo *aspersurus*, seu in admirationem rapturus *gentes multas, & Regum ora* compressurus. Atqui hæc totidem sunt Messiæ speciales, ac maxime proprii characteres; ergo.

Adde,

Adde, verba hæc quæ v.1. capitis 53. Prophetiæ de qua agimus præmittit Isaias: *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?* & ista v.8. *Generationem ejus quis enarrabit?* illa denique v.12. *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia*, indicare de re maxima, de mysterio summo, de persona eximia fieri sermonem, ac proinde ibi intelligendum Messiam. Et re ipsa adeo sublimia sunt, ac supra omnem humanam cogitationem posita, quæ de redemptione generis humani, de satisfactione pro peccatis Deo per unius oblationem, & mortem impendenda, de pretio tanti sacrificii &c. eo loci ab Isaia proferuntur, ut in solum Messiam ea cedere posse nemini dubitandum sit. Soli igitur Messiæ competere, quæ in hoc Isaiæ oraculo continentur, ex ipso Vatis sacri contextu adstruitur.

Idem etiam evincitur ex Paraphrasi Jonathanis, qui utrumque illud caput de Messia explicat, quem etiam expresse nominat vers.13. capitis 52. & cap.53. v.10. atque ex Judæis antiquis *in Siphre*, in Thalmude Tract. *Sanhedrin*, in *Bereschith rabba* R. Mosis Hadarsan &c. quos laudat Huetius Prop.7. n.15. & quorum testimonia refert Raym. Martin. in *Pugione fidei* part.2. cap.9. n.25. & part.3. dist.1. cap.10. n.3. & 4. & dist.3. cap.8. n.5. cap.16. num.20. &c. & D. de Voisin ad Proæmium.

Jam porro quæ recentiores Rabbini fingunt, ut Vaticinium aliorsum detorqueant, aper-

aperte falsa, & absurda sunt, ac facillime refelluntur.

Etenim 1. nihil infelicius interpretatione R. Mosis Alschech, qui postquam versiculos præcedentes Regi Messiæ applicuit, genuinam cujuslibet justi imaginem v.2.& seqq. capit.53. effingi, Moysemque nominatim v.9. exprimi arbitratur. Num igitur ista: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra ... & livore ejus sanati sumus ... oblatus est quia ipse voluit ... Generationem ejus quis enarrabit?* & alia ejusmodi, ad justum quemlibet, & ad Moysen ipsum ulla ratione accommodari queunt? Ultro quidem fatemur *Justum* aliquem ibi designari, sed *Justum* hunc præcellentem, qui simpliciter, & antonomastice *Justus*, & *Justitia* a Prophetis appellatur, id est, ipsum Messiam.

2. Non magis feliciter R. Abravanel in secunda sua hujus loci expositione, idem caput interpretatus est de pio Rege Josia, qui in Campis Megeddo pugnans adversusNechaonem Regem Ægypti, vulnus a sagittariis accepit, quo brevi confectus est, ut narratur IV. Reg. 23. v.29. & fusius II. Paral. 35. v.20. & seqq. EnimveroJosiæ mortis causam imprudentia ejus attulit, non iniquitas Populi. *Noluit Josias reverti*, ait Auctor Paral.II. capit. laudato versic.22. .... *nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei*: *verum perrexit* inconsulto, *ut dimicaret in Campo Mageddo, ibique a sagittariis*,

riis mortifero vulnere ictus est. Tunc fuga conatus est morti se subtrahere. *Vulneratus a sagittariis*, ait sacer contextus v.23. *dixit pueris suis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum. Qui .... asportaverunt eum in Jerusalem, mortuusque est &c.* Itaque pius ille Rex nullo pacto dici potest *propter scelus populi* fuisse *vulneratus*, *attritus*, & a Deo *percussus*, atque ad delendas populi iniquitates voluntarie in victimam *oblatus*. Non *posuit pro peccato animam suam*, non *ductus est quasi ovis ad occisionem*, non *obmutuit*, non *reputatus est cum sceleratis*, *fortium spolia* non tulit &c.

3. Aperte etiam falsa est interpretatio quam plerique celeberrimi Judæorum recentiorum Doctores, Lipmanus, Salomon Jarchi, Aben-Ezra, Kimchius &c. tradiderunt. Hi vaticinium Isaiæ de Populo Israelitico in præsenti captivitate afflicto exponendum censent, voluntque Judæos iis, quibus afficiuntur calamitatibus, Deo alioqui mundum destructuro pro peccatis Gentium satisfacere. Verum is de quo Isaias sermonem habet non est cœtus hominum, sed persona singularis: si quidem v.3. appellatur *vir dolorum*; de eo dicitur v.8. *Generationem ejus quis enarrabit?* de morte, & sepultura ejus &c. verba facit Propheta; quæ omnia profecto ad personam singularem, non ad cœtum pertinent. Præterea de illo ibi agitur, qui v.9. *iniquitatem non fecit*, *neque dolus fuit in ore ejus*: sed hanc ab omni dolo, & iniquitate immunitatem, nec Isaias sane, nec alii

 Pro-

Prophetæ populo Israelitico adscribunt, quippe qui hujusce gentis obcæcationem, & perfidiam sæpissime coarguunt; ipsique non diffitentur Rabbini apud suos etiam multa vitia obtinere; ergo &c. Deinde num populus Israeliticus dici potest victima, & oblatio spontanea pro peccatis Gentium? *Oblatus est*, inquit Propheta v.8. *quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur &c.* An in præsenti captivitate voluntarie detinentur Judæi? nonne ex ipsorum historia constat eos sæpissime variis locis rebelasse, & toties quidem, quoties alicujus prosperi exitus sese obtulit occasio? Ad hæc, pro Gentibus non orant Judæi; is autem de quo Isaias, *pro transgressoribus rogavit*. Postremo ista vers.4. & seqq. *Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit... vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra... livore ejus sanati sumus... Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum... Justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit... et ipse peccata multorum tulit*: ista, inquam, significantne solum jejunam hanc Judæorum pro gentium peccatis satisfactionem nullum iis salutis medium afferentem, quam comminiscuntur Rabbini?

4. Illorum pariter rejicienda veterum Rabbinorum expositio, qui duplicem distinxerunt Messiam, alterum obscurum, doloribus affligendum, & occidendum, alterum victoriis, ac imperio conspicuum. Qui enim in adducto Isaiæ

Isaiæ Vaticinio vir dolorum pro peccatis nostris atterendus dicitur, ille idem characteribus soli Messiæ glorioso propriis ibid. exprimitur: Scilicet ca.52. v.7. sic de eo legitur: *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et prædicantis salutem* v.10. appellatur *Salutare Dei nostri* v.13. præsignificatur *exaltandus, et elevandus, et sublimis futurus valde* v.15. *aspersurus gentes multas*, & reges in admirationem rapturus. Cap.53. v.12. dicitur imperium in plurimos accepturus, & *fortium divisurus spolia*; ergo &c.

Confirmatur maxime istud argumentum concentu aliorum Vaticiniorum, in quibus dolores, opprobria, & occisio Messiæ prædicuntur. Nempe Psal.21. omnes passiones Christi circumstantiæ describuntur, & simul ipse exhibetur gloria conspicuus, & gentes universas ad Dei cultum adducturus. Idem quoque Messias qui Daniel 9. dicitur occidendus, ibidem prænuntiatur peccata deleturus, justitiam sempiternam adducturus, visionem, & Prophetiam completurus, in Sanctum Sanctorum ungendus, pactum multis confirmaturus; ergo.

Accedit hanc duplicis Messiæ distinctionem non nisi ad eludenda Christianorum argumenta esse excogitatam, & ab ea plerosque Rabbinos hodie recedere.

5. Tandem non minoribus laborat vitiis Rab-Saadiæ Gaonis sententia, juxta quam Vaticinium de Jeremia intelligendum est; inanemque operam sumit Grotius, dum in commentario

suo in Isaiam ad sacrum Prophetiæ contextum enititur hanc aptare opinionem, quam ex parte sequitur, cæteroqui tamen sensu *sublimiori*, *sæpe & magis* κατὰ λέξιν (ad verbum), Christum ibi significari observans. Enim vero nonne absone vir doctissimus v.4. *languores nostros ipse tulit &c.* significari vult Jeremiam *non talia meritum mala tulisse, quæ* Judæi *erant meriti?* Supponit illa explicatio propter perpessos a Jeremia dolores, & eorum causa, populum calamitatibus, quas meruerat immunem fuisse: atqui tamen constat Judæos ob iniquitates suas a Chaldæis fuisse obsessos, & partim interfectos, partim in captivitatem abductos, paucissimis relictis, iisque pauperrimis, & itidem Chaldæorum servis; ergo.

Istud pariter v.5. *Vulneratus est propter iniquitates nostras &c.* male interpretatur Grotius de peccato, quo Judæi in Jeremiam desævierunt, perinde atque si esset dictum: *Male tractatus est nostro crimine ... attritus est per nostram culpam*. Namque præpositio Hebraica ibi usurpata, idem sonat ac *propter*, *ob*, nec voce *per* reddi potest. Quod si illud Hebræum vocabulum duplicem haberet intellectum, ad eum, quem defendimus contextu Vaticinii evidenter determinaretur, & præsertim versu 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, & vers. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam*; denique vers. 12. *Ipse peccata multorum tulit*. Hinc Grotius ipse lib.5. *De Relig. Christiana* cap.19. nobis consentiens sic verterat.

rat. *Ob nostra peccata vulneratus est, attritus ob nostra crimina*.

Illud autem v.7. *Non aperuit os suum . . . quasi agnus . . . obmutescet, & non aperiet os suum*, qua ratione ad Jeremiam accomodabitur? certe non modo non obmutuit Jeremias, sed contra in Phassurem, a quo in carcerem missus fuerat, mala maxima vaticinatus est, ac coram Deo gemitibus sese dedit, dieique suo natali maledixit. Dandum quidem Grotio iracunde nihil esse locutum Prophetam: sed quid inde? hunc non peccasse? fatemur: an vero sequitur illum *ad occisionem* ductum, *quasi agnum obmutuisse, et os suum non aperuisse*? ergo.

Hæc deinde v.8. *Generationem ejus quis enarrabit*? quis sustinebit Grotium ita frigide interpretantem: *Erit valde longævus*?

Denique, ut alia plura omittam, is de quo apud Isaiam agitur, *ad occisionem ductus est* v.7. *abscissus est de terra viventium* v.8. *posuit pro peccato animam suam* v.10. *tradidit in mortem Animam suam* v.12. Hæc autem Jeremiæ non competunt, quippe quem Judæi neci non tradiderunt, sed tantum in carcerem, & in cænosum lacum detruserunt, unde post breve tempus ereptus est. Consultius igitur ac verius in citato L.5. cap.19. *De Relig. Christ.* Grotius totam hanc Prophetiam soli Christo applicans recitatis Isaiæ verbis sic habet; *Quis potest nominari aut Regum, aut Prophetarum, in quem hæc congruunt? Nemo sane*.

Articulus VI.

De Celebri Josephi Testimonio Christum Jesum spectante.

Testimonium istud habetur Lib.18. Antiquitatum, Cap.4. quod ita vertit *Sanctus Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: *Eodem tempore fuit* Jesus *vir sapiens, si tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, & Doctor eorum qui libenter vera suscipiunt. Plurimos quoque tam de Judæis, quam de Gentibus, sui habuit Sectatores, & credebatur esse Christus. Cum invidia nostrorum Principum Cruci eum Pilatus addixisset, nihilominus, qui eum primum dilexerant, perseveraverunt. Apparuit enim eis tertia die vivens. Multa, & hæc & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus; & usque hodie Christianorum gens ab hoc sortita non defecit.* Quod quidem testimonium adulterinum, & a priscis Christianis Historiæ *Josephi* assutum opinati sunt *Osiander*, *Gifanius*, *Montacutius*, *Capellus* uterque, *Cloppenburgius*, *Blondellus*, *Tanaquillus Faber*, aliique intemperantioris Criticæ Auctores. Contra vero genuinum propugnant *Galatinus*, *Junius*, *Sixtus Senensis*, *Possevinus*, *Baronius & Bellarminus* Cardinales, *Casaubonus*, *Usserius*, *Petitus*, *Vossius* uterque, *Henricus Valesius*, *Huetius*, aliique Viri Eruditi.

Propositio.

Præclarum illud de Christo Jesu testimonium, quod apud Josephum legitur, genuinus Josephi fœtus est.

Probatur primo ex constanti & perpetua hujus testimonii lectione in Codicibus omnibus *Josephi* tum manuscriptis, tum editis. Deinde ex Operum *Josephi* distractione, quo tempore hunc locum assutum volunt, sub finem scilicet tertii sæculi. Codices enim omnes *Antiquitatum Judaicarum* penes Christianos non erant, ut eos interpolare possent, ac illud testimonium pio dolo inserere. Tertio, *Josephi* diligentia in tradenda Historia sui temporis, & rebus memoria dignis, quæ apud Judæos contingerant, referendis, non patitur de Jesu Nazareno ipsum siluisse existimemus, cujus occasione maximi in Judæa motus excitati, cujus nomen Orbe toto celeberrimum, qui Christus appellatus est, de cujus nomine nova Christianorum Secta prodiit, & longe lateque per ejus Apostolos & Discipulos propagata est. Quarto, cum *Joannis Baptistæ*, & *Jacobi fratris Jesu* meminerit, eosque laude dignos censuerit, incredibile est de Christo Jesu siluisse, cujus nomen longe clarius fuit. Quinto, series orationis, locus appositus mentionem faciendi de Jesu Nazareno, ubi de *Pilato* agit, styli similitudo & locutiones *Josepho* familiares, hoc te-

ſtimonium intruſum & adulterinum non eſſe probant, ſed *Joſephi* genuinum fœtum. Sexto illud tamquam genuinum & legitimum laudant, & iiſdem verbis repræſentant *Euſebius* Lib.3. *Demonſtrationis Evangelicæ*, pag.124. & lib.1. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap.11. *S. Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, in Joſepho, *S. Iſidorus Peluſiota* Lib.4. Ep.225. *Sozomenus* Lib.1. Cap.1. *Cedrenus* Hiſtor.Compend. pag. 196. *Nicephorus Calliſtus* Lib. 1. Cap.39. *Suidas* in Lexico, verbo Ἰώσηπος.

Objicitur, Veteres Patres qui Chriſtianæ Religionis veritatem adverſus Judæos propugnarunt, numquam hoc *Joſephi* teſtimonium protuliſſe, non *Juſtinum* in Dialogo cum Tryphone, non *Tertullianum* Libro adverſus Judæos; qui certe illud prætermiſſuri non videntur, utpote ad Cauſſæ Chriſtianæ defenſionem validiſſimum, ſi tunc in *Joſephi* Codicibus extitiſſet. Accedit *Photii* ſilentium, qui cum *Joſephi* ſummarium & cenſuram dederit Themate 238. hujus teſtimonii nullatenus meminit.

Præterea, *Origenes* Jeſum a *Joſepho* pro Chriſto agnitum non fuiſſe diſerte teſtatur, Tom.11. in Matthæum. „ Et vero (*inquit*) „ mirabile eſt, quod cum Jeſum noſtrum non „ agnoſceret eſſe Meſſiam, nihilominus tale „ juſtitiæ teſtimonium Jacobo dederit. *Et lib.1.* „ *Contra Celſum*: Idem quamvis Jeſum parum „ agnoſcens pro Chriſto, dum quærit cauſſam „ Hieroſolymorum Excidii, Templique de- „ molitionis (cum debuiſſet dicere id accidiſſe

„ pro-

„ propter ejus Populi contra Jesum insidias, „ quia Christum a Prophetis promissum interemissent) quasi invitus haud procul a veritate discedens, ait hæc contigisse Judæis in „ ultionem Jacobi cognomento Justi, fratris „ Jesu qui dicitur Christus, quia justissimum „ hominem occiderant „. Idem *Theodoretus* asserit, nec injuria. Vaticinia enim Prophetarum Messiæ prænuntia *Josephus*, sive adulatorie, sive ex animi sententia, *Vespasiano* accommodavit: cum tamen in hoc loco Jesus clarissimis verbis Messias esse dicatur. *Hic erat Christus*.

Tertio, Testimonii hujus Auctor hominem dici non vult Jesum. Deum igitur esse vult; quod de Messia suo Judæi numquam crediderunt.

Quarto, Jesum plurimos e Gentibus ad se pertraxisse dicit, cum ex Ethnicis unam tantum alteramve mulierem ad suam Sectam Jesus Christus traduxerit.

Quinto, absurdum est *Josephum*, cujus in Ethnicorum superstitionem magis quam in Religionem Christianam inclinabat animus, fatentem inducere, Prophetas prædixisse casus, gesta, miracula, & Resurrectionem Christi Jesu.

Sexto, verisimile non videtur, *Josephum* Secta Pharisæum Jesum laudasse, qui Pharisæos palam fuerat insectatus.

Septimo, hæc periocha cum antecedentibus & consequentibus minus cohæret.

Octa-

Octavo, styli discrepantia testimonium istud assutum probat.

Respondetur ad primum, inficialis argumenti nullam aut exiguam esse vim. *Justinum Martyrem*, *Tertullianum*, priscos alios Patres, Judæorum pertinaciam Prophetarum Vaticiniis convincendam sibi proposuisse, testimonium *Josephi* recentioris Auctoris, cujus non magnam apud Judæos auctoritatem esse noverant, prætermisisse, maxime cum exploratum haberent, illud probe intellectum nihil adversus Judæos conficere, sed quæ de Jesu Nazareno esset Christianorum opinio dumtaxat exponere. *Photium* quod spectat, non mirum quod illius testimonii non meminerit, nec illud in suis Excerptis retulerit, cum *Judaicarum Antiquitatum* absolutissimam Epitomen dare non instituisset, cujus quatuordecim priores Libros prætermisit; & Themate 238. selecta quædam de *Herode* tantum excerpsit, ut ipse profitetur. Et hæc quidem non ea fide descripsit, ut detrahere aliquid vel addere religio ipsi fuerit. In exemplum sit hæc periocha, quæ apud *Josephum* non habetur: *Hic est Herodes, Antipatri Idumæi, & Arabissæ (Cypris autem nomen ipsi fuit) filius: sub quo Christus Deus noster pro salute nostri generis virgineo utero editur: adversus quem furore actus Herodes, aberravit quidem a Domino, plurimorum autem Infantium interfector fuit. Si Josephi* non sunt, quæ hic a *Photio* commemorantur, cur *Josephi* esse negemus, quicquid a *Photio* prætermittitur? Ad

Ad secundum respondetur, *Origenem* & *Theodoretum* recte asseruisse, Jesum a *Josepho* pro Christo habitum non fuisse, quia in Christum non credidit, neque Christianus fuit. Cum enim de Jesu ait, *Christus hic erat*, non id significat, illum esse revera Christum qui a Judæis expectabatur, sed vulgata appellatione Christum nominari solitum a Judæis, Christianis, & ipsis Ethnicis. Matth. 1. 16. *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*. Sic Pilatus, Matth. 27. 17. 22. *Quem vultis dimittam vobis Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus?* Sic impii Satellites, Matt. 26. 68. *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* Sic Summi Sacerdotes cum Scribis, Marc. 15. 32. *Christus Rex Israel descendat nunc de Cruce*. Ita *Svetonius* in *Claudio* Cap. 25. *Judæos impulsore Christo assidue tumultuantes Roma expulit*. Et *Tacitus* Lib. 25. Annalium, Cap. 44. *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat*. Ita & *Plinius* Epistola ad *Trajanum*, & *Lampridius* in Vita *Alexandri Severi*. Hinc *Eusebius* Lib. 1. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. 3. *Incorporeæ autem & divinæ virtutis, quæ in ipso fuit, magnum & luculentum indicium est, quod solus ipse ex omnibus, qui umquam extiterunt ad hanc diem, nunc quoque ab omnibus hominibus per universum orbem Christus vulgo appellatur; & ab omnibus communi consensu & testificatione hoc celebratur cognomine, & a Græcis ac Barbaris prædica-*

dicatur. Cum ergo dixit *Josephus*, ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν seppleri voluit, ὁ λεγόμενος quod alibi conceptis verbis expresserat, scilicet Lib.20. Cap.8. Ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ. *Fratrem Jesu, qui dicitur Christus.* Atque hunc *Josephi* sensum esse docet *S.Hieron.* hæc verba ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν ita reddens: *Et credebatur esse Christus.*

Ad tertium respondetur, Judæos Messiæ suæ divinitatem adscripsisse; nec tamen *Josephum* existimasse Jesum esse verum Deum, sicut nec verum Messiam. Quod ergo ait, *Si tamen illum fas est virum dicere*, id oratorio more dixit, ut prodigiorum a Jesu patratorum admirabilitatem extolleret, & significaret illum tanta gessisse, ut Deo quam hominibus proprior videatur. Quem loquendi morem & profanis Scriptoribus familiarem, nec a Christianis omnino repudiatum pluribus exemplis ostendit doctissimus Præsul *Daniel Huetius* Demonstrationis Evangelicæ Propositione 9. & inter alia ex *Matthiæ Corvini* Pannoniæ Regis Epitaphio, quod refert *Jovius*.

Corvini brevis hæc urna est, quem magna fatentur
Facta fuisse Deum, facta fuisse hominem.

Ad quartum respondeo, etsi una tantum alterave mulier ex Ethnicis Christo in terris agenti nomen dederit, Gentes tamen integras Apostolorum prædicatione ad Christum conversas. *Josephum* itaque ad suum tempus respexisse, quo Christianum nomen jam longe lateque propagatum erat; & Christo jure tribuisse quod

quod Apoſtoli Chriſti virtute ſe facere prædicabant.

Ad quintum reſpondeo, *Joſephum* ex propria ſententia non loqui, ſed ex publica fama, & Diſcipulorum Chriſti, atque omnium Chriſtianorum fide, cum ait: Illum Diſcipulis apparuiſse tertia die redivivum: *Multa hæc & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus*: Quaſi diceret, eos qui Jeſum credebant eſſe Chriſtum, credere etiam ipſum die tertia reſurrexiſſe a mortuis, & Prophetarum de Meſsia prædictiones in illo exitum habuiſſe.

Ad ſextum reſpondeo, mirum non eſſe, quod *Joſephus*, Secta licet Phariſæus tam magnificè de Chriſto ſcripſerit, cum *Veſpaſianum* capitalem Judaicæ Gentis hoſtem, aut Meſsiam eſse crediderit, aut credere ſe finxerit. Et ſi Deus, qui hominum ingenia, & corda regit omnipotentiſsima poteſtate, Paulum Secta quoque Phariſæum, & Chriſtianæ Religioni infenſiſsimum Chriſti Prædicatorem, & Apoſtolum effecit: quid mirum ſi a *Joſepho* in Judaiſmo pertinaci præclarum illud de Chriſto teſtimonium expreſsit?

Ad ſeptimum reſpondeo, *Joſephum* temporum ordinem, non rerum attendere, & diverſas, ac omnino diſparatas narrationes rerum, quæ iiſdem temporibus geſtæ ſunt, in unum caput congerere, nulla quæſita argumentorum commiſsura; qui nobiliſsimorum Hiſtoricorum mos eſt, quamvis alius ſit Oratorum ſty-

ſtylus. Quæ autem eo in Capite narrat *Joſephus*, in quo præclarum illud de Chriſto teſtimonium habetur, *Pilati* temporibus contigerunt. Unde non eſt, quod ea minus cohærere Adverſarii cauſſentur.

Ad octavum reſpondeo, Styli diſcrepantiam viros eximiè criticos, & eruditos nullam ſubodorari, inter alios *Caſaubonum*, *Uſſerium*, *Voſſios*, *Valerium*, *Huetium &c.*

His itaque conjecturis non obſtantibus, genuinum habeatur Joſephi teſtimonium de Chriſto Jeſu Salvatore noſtro, fine Legis, & Prophetarum, cui ſempiterna laus, honor, & gloria.

CAPUT SECUNDUM.

De variis aliis momentis, & indiciis, quibus Meſſiam veniſſe, eumque eſſe Jeſum Chriſtum confirmatur.

ADductis huc uſque adverſus Judæos argumentis, alia adjicienda ſuperſunt momenta, quæ paucis exponemus.

Primum Momentum,

Ex Typis quibus olim Meſſias figuratus eſt, petitum.

TYpi Meſſiæ ſunt veluti quoddam Prophetiarum genus, non verbis, ſed rebus, perſoniſve, & actionibus expreſſum. Non infician-

ficiantur Judæi multos ejusmodi fuisse olim Messiæ Typos, & figuras, Isaacum videlicet Josephum, Moysen, Davidem, Salomonem, Jeremiam, Agnum Paschalem &c. Christum porro inter & Typos illos tanta est in præcipuis convenientia, ut inter figuram, & rem figuratam, inter umbram, & veritatem major desiderari nequeat. Lege Huetium Proposit.9. cap. 170. singulos illos Typos erudite, more suo, recensentem, & post SS. Patres accurate explicantem: neque enim nobis licet varia hujusmodi admirandæ consensionis capita sigillatim evolvere. Atqui quamvis argumentum, quod ex ejusmodi Typis eruitur, tanti non sit ponderis, quanti illud invictum quod ex Prophetis hactenus deductum est, eam tamen, quæ in Christo Jesu cum tot insignibus Messiæ Typis deprehenditur, admirabilem cohærentiam nemo sane casui fortuito adscripserit. Multum ergo Messiæ Typis firmatur, quod jam demonstratum est, nempe Messiam non amplius expectandum, sed jamdiu venisse, & esse Christum Dominum.

SECUNDUM MOMENTUM

Ex Prophetiarum Messiæ prænuntiarum cessatione.

EX quo Joannes Baptista, qui Christo præivit, ipsique testimonium perhibuit, neci ab Herode Antipa traditus est, nullus apud Ju-

dæos prodiit Propheta Messiæ prænuntius. Hoc ipsum prænuntiaverat Christus Luc. 16. v. 16. his verbis: *Prophetæ usque ad Joannem*. Jam vero quid causæ esse potuit cur ab ævo Joannis Babptistæ, ideſt a plusquam ſeptemdecim ſæculis, Vaticinia Messiæ prænuntia desierint, nisi quod ille jamdudum advenerit, in quo prædictum fuerat *implendam esse visionem, & Prophetiam*, hoc eſt, Messias, isque ſit Christus Jesus?

Tertium Momentum.

Christus tunc venit, cum Messias a Judæis expectabatur.

SI illo ævo quo Christus natus eſt, Messias venerit, fateantur Judæi necesse eſt, hunc alium esse non posse, quam Christum. Quis enim alter illius ævi homo Messiæ titulo cum vel minima veri ſpecie insigniri posset? Atqui præter evidentia argumenta quibus ſupra ſtabilitum eſt, Christum eo tempore natum esse, quo Messias ex Prophetiis naſci debuit, iſtud inſuper in Judæos urgemus, eorum videlicet majores non dubitasse, quin Messias tunc adventurus esset. Atque id quidem evincitur

1. Ex testimonio Evangelistarum. Luc. 2. v. 25. & 26. de Simeone Sene hæc leguntur: *Homo iste justus, & timoratus expectans consolationem Israel, & Spiritus Sanctus erat in eo, & responſum acceperat a Spiritu Sancto non visurum*

surum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Ibid. v.38. Anna Prophetissa inducitur *loquens de illo* (Christo) *omnibus qui expectabant redemptionem Israel*. Et ex Joann. 1. v. 19. & seqq. colligitur Judæos omnes, ubi Joannes Baptista prodire cœpit, in hanc dubitationem fuisse adductos, an non is esset Messias, quem expectabant. Quapropter ut ibi habetur, *miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes, & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?* nempe, an esset Christus. Hinc, *cum natus esset Jesus in Bethleem Judæ, & Magi ab Oriente venissent Jerosolymam*, ut eum inquirerent, *& adorarent, audiens Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo, et congregans omnes Principes Sacerdotum, et Scribas populi sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Juda*. Omitto Joannem Baptistam *Matth.* 11. v.3. *et Luc.*7. v.9. misisse duos e discipulis suis ad Jesum, ut interrogarent eum: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Omitto & verba mulieris Samaritanæ ad Jesum Joann.4. v.25. *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia*. Testes itaque sunt Evangelistæ pro certo tenuisse Judæos futurum ut illo ævo quo Christus venit, Messias esset oriturus.

2. Idem Rabbinorum ipsorum testimonio comprobatur. Nam ex eorum libris clare eruit Huetius propos.9. cap.8. num.1. eam fuisse Do-

Doctorum paulo ante Christi tempora florentium sententiam, tempora adventus Messiæ tunc institisse. Testatur vero Josephus lib.6. *De bello Judaico* cap.5. aliàs 12. num.4. Judæos spe, & opinione Messiæ mox venturi incitatos fuisse ad bellum illud in Romanos suscipiendum, quod ultima Jerosolymorum conflagratione conclusum est. Tandem Thalmud Babylonicum in Gemara Tract. *Sanhedrin* cap.11. sic habet: *Traditio Domus Eliæ: Sex mille annos durat mundus. Bis mille annis inanitas, et vastitas. Bis item mille annis Lex. Denique bis mille annis dies Christi.* Quæ, interprete Rab. Menasseh lib.2. *De resurrectione*, significat bis mille annis ante Abrahamum homines sine lege scripta vixisse; bis mille annos alios ab Abramo ad Messiam interjacere; *ita ut elapsis a mundo condito quater mille annis, illustris, ac mirabilis dies exoriturus sit, quo Messias in has terras veniet.* Ergo cum juxta acceptam Judæis Chronologiam versus annum mundi quatermillesimum Christus natus sit, consequens est eum venisse eo tempore, quo Messias ex traditione Domus Eliæ venire debuit.

3. Suffragantur historici profani. A Judæis quippe procul dubio orta fuerat, quæ fidejussore Svetonio in *Vespasiano* cap. 4. *percrebuerat Oriente toto vetus, & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.* Eadem iterum tradit in Nerone cap.40. His similia quoque scribit Tacitus Libro 5. Histor. *Pluribus*, inquit, *persuasio ine-*

rat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore, fore ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur. Eodem referri solet, tum quod in Tullio lib.2. De Divinat. legitur de rege, cui nisi parerent Romani, a salute exciderent; tum istud Virgilii Ecloga 4. de Deo juxta Sybillinos versus nascituro: *Clara Deum soboles, Magnum Jovis incrementum.*

4. Adeo certum est versus Christi tempora opinatos esse Judæos Messiæ adventum imminere, ut cum antea nemo sese Messiam perhibuisset, tunc multi Psuedo-Messiæ prodire cæperint, & ex illo tempore varii variis sæculis eruperint. Herodes juxta plurimos, ab Herodianis Messias est habitus. Josephus Theudæ, & aliorum Pseudo-Prophetarum mentionem facit, a quibus ante excidium Urbis non semel deceptus est populus, & in desertum abductus. Omnium porro falsorum Messiarum famosissimus fuit insignis ille impostor, qui nomen *Bar-Kokebæ*, id est, Filii stellæ, sibi eo consilio imposuit, ut *Stella Jacob* a Balaamo prævisa haberetur. Is juvante celebri R. Akiba Sinagogæ principe, quem sibi comitem, seu potius præcursorem elegerat, Messiam se esse Judæis persuasit, immensoque eorum in Judæa congregato exercitu, adversus Adrianum Imperatorem anno Christi circiter 129., vel ut aliis placet 135. rebellare ausus est, sicque Romanis bellum difficile, gentique suæ novam stragem, horrendas calamitates intulit.

Qua-

Quapropter Judæi fraude hominis agnita, eum cognominaverunt *Bar Kosiba*, id est filium mendacii. Legi possunt de hoc falso Messia Eusebius in *Chronico* ad annum 17. Adriani; S. Justinus in *Apologia* 2. pro Christianis, olim 1. S.Hieron. in *Catalogo script. Ecclesiastic.* R. David Ganz in *Tzemach David* ad annum 4880. Hujus etiam mentio fit in Thalmude & in *Echarabati*. Id obiter notandum, Rab. Akibam, & si tantæ fraudis artifex præcipuus, & tot malorum causa extiterit, haberi men a Judæis, ut doctorem summum, quem maxima veneratione prosequantur.

Quartum Momentum.

Ex multitudine Pseudo-Messiarum, a quibus juxta Christi Vaticinium, decepti sunt Judæi.

Inepta credulitate Judæos laboraturos, & falsis quibuslibet Messiis temere adhæsuros, diserte prædixerat Christus Joann.5. v.43. his verbis: *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Prædictioni porro eventus stupendum adeo in modum respondet, ut certo indicio sit criminis a natione commissi, dum eum, a quo hæc prædicta sunt, noluit ut Messiam agnoscere. Scilicet, quoties eruperunt pseudo-Messiæ, aut Messiæ pseudo-Præcursores, toties plebs Judaica, & Rabbini ipsi, non sine magno plerumque miseræ nationis detri-

trimento eis fidem adhibuerunt. Quod non solum eo sæculo quo venit Christus, aut sequenti, ut mox dicebamus, observatum est, sed sæpius etiam temporibus subsecutis. Narrat Socrates Hist. lib.7. cap.38. magnam Judæorum multitudinem Christo Domino fidem dedisse, postquam se a falso Messia, cui nomen Moyses, inepte delusam intellexisset: quod anno Christi 434. contigit. Anno 529. Justiniano imperante, alter pseudo-Messias, nomine Julianus, plures sibi Judæos in Palestina devinxit, Gentium domitoris sibi nomen arrogans: sed brevi a Romanis oppugnatus est, & ipse captus, morte pœnas temeritatis suæ dedit. Octavo sæculo alter prodiit, de quo loquitur Theophanes. Octo novemve alii, sæculo duodecimo variis in Regionibus apparuere. Famosus fuit sæculo desinente decimoquinto, & ineunte decimosexto David Leemlein, qui anno 1499. audacter pronuntiare non dubitavit, futurum ut ipso anno sequente 1500. Messias oriretur. Cui adeo confidenter crediderunt Judæi, ut eorum multi furnos suos azymis panibus coquendis destinatos demoliti sint, rati se anno sequenti panes azymos Jerosolymis esse comesturos. Auctor est R. David Ganz avum suum Salikman Ganz Rabbinum celebrem in eam cœcitatem cum cæteris impegisse, suumque paschalem furnum etiam destruxisse. Atque ad iter Jerosolymam peragendum plerique se accingebant, cum impostor promulgavit propter populi iniquitates paulisper retardatum es-

ſe adventum liberatoris. Natio tamen adhuc erroris tenax anno 1502. jejunium ſolemne celebravit, ut quam fruſtra expectabat liberationem acceleraret. Alter Meſſias exortus eſt in Hiſpania an. 1532. Alius in India Orientali viſus eſt anno 1615. Alter patria Smirnenſis anno 1666. totam nationem ſeduxit; qui ne a Turcarum Imperatore ob tumultuationes inter Judæos in Imperio Turcico excitatas capite plecteretur, de Meſſia Judæorum factus eſt Muſulmannus eodem anno die 17. Septembris. Tandem anno 1682. alter ſe eſſe Meſſiam in Italia, & in Germania mentitus eſt. Vide plura apud Imbonatum *Bibliot. Latino-Hebr. in Diſert.* de Adventu Meſſiæ pag. 111. & ſeqq. & apud Scriptores, ſeu Judæos, ſeu Chriſtianos ibidem citatos.

Quintum Momentum.

Ex ſtatu diſperſionis, & captivitatis in quo Judæi detinentur.

Desolationem Populi Judaici, a tot ſæculis e ſolo patrio extorris, & per gentes varias toto orbe disjecti, jam conſideravimus ut pœnam, quam prædixerant Prophetæ Judæis ob Meſſiæ interempti ſcelus irrogandam. Nunc ſtupendum hunc Nationis Judaicæ ſtatum alio modo attendimus, eumque habita ratione promiſſionum Dei, & conſuetæ ejus erga hunc populum benevolentiæ, ſtatuimus non poſſe ori-

oriri nisi ex illa causa, quam Evangelium assignat; nempe ex eo quod Judæi Messiam crucifigendum tradiderint, *sanguinem ejus super se* (Matth. 27. v. 25.) *& super filios suos* esse consenserint, atque hujusce patrum suorum criminis adhuc sese reos efficiant, Christum respuendo. Sic itaque argumentari licet: Si Judæis pœna sit alicujus sceleris, ut in præsenti captivitate versentur, atque id criminis non aliud esse possit quam rejectio, & occisio Messiæ, quarum eos esse reos contendimus, profecto Messias venit, isque est Christus Jesus a Judæis neci traditus.

Atqui 1. Judæis pœna est sceleris alicujus gravissimi, quod in hac captivitate detineantur. Quippe tamdiu Judæos Terram Chanaan possessuros Deus expressis verbis sæpius promiserat, quandiu mandata ejus observarent; simulque eosdem a quavis dispersione in illam Terram revocandos pollicitus fuerat, ubi eos pœniteret.

2. Scelus ejusmodi non aliud esse potest quam Messiæ rejectio, & occisio, quarum eos reos esse contendimus. Debuit enim esse crimen, cujus se natio tota participem reddiderit, & cui etiamnum illa consentiat: siquidem propter alicujus privati facinus, cæteris execrandum, toti nationi irrogata non fuisset adeo singularis, gravis, & diuturna pœna. Debuit quoque esse crimen summum, & ipsa idololatria pejus; etenim delictum, quod gravitate sua idololatriam non superasset, tam lugenda

captivitate a Deo non puniretur. Certe captivitas Babylonica, qua in populum propter effusam ejus in idololatricos ritus libidinem Deus animadverterat, annis solum 70. duravit, atque per id tempus populo solamen afferebant tum Prophetæ, Ezechiel, & Daniel qui tunc vixere, tum certa spes Dei ipsius promissis innixa in patriam post illos 70. annos redeundi. Præsens vero caprivitas a plusquam sexdecim sæculis perseverat, nec ulla spes affulget ejus aliquando finiendæ. Dubitari itaque non potest, quin præsenti Judæorum dispersione, & captivitate puniatur crimen aliquod idololatria pejus, quo se illi obstrinxerint, & obstringere se etiamnum pergant.

Jam vero solam Messiæ rejectionem, & occisionem Judæis in Evangelio adscriptam, posse esse illud Populi Judaici crimen idololatria pejus, facile perspicere est. Si enim attendatur, Judæos præ cæteris gentibus a Deo specialiter electos fuisse, qui ejus cultui manciparentur, atque eos innumeris perpetuisque beneficiis cumulatos; quis inficias ierit, cultus Divini desertionem ut se Idolis dederent, maximum fuisse crimen quod in se admittere illi possent, una Messiæ rejectione, & occisione excepta? Quodnam aliud ita enorme scelus assignabunt Judæi, quo eorum natio sese devinxerit, & adhuc devinciat, nisi quod ipsis attribuimus? Illud fatemur de quo conqueruntur Rabbini, plerosque Judæos gravioribus sese obligare peccatis: at peccata hæc privatorum sunt,

non nationis, quæ contra profitetur ea esse vetita, & a Deo punienda. Deinde ejusmodi peccata, saltem respectu Judæorum idololatria minora sunt, a qua prorsus abstinent Judæi. Et præterea inquiro num ab ejusmodi noxis sese immunes olim servaverint omnes Israelitæ, cum Terram Chanaan incoluerunt, cum e captivitate Babylonica redierunt, cum eorum Respublica maxime floruit? Fateantur ergo illi hujuscemodi peccata dispersionis, & captivitatis in qua nunc versantur, causam non esse, sed potius istud unum, quod Messiam occiderint, & etiamnum obfirmato animo abjiciant.

Confirmatur. Vel propter Messiæ rejecti, & occisi facinus Judæi in hac captivitate affliguntur, vel ii soli dicendi sunt in Orbe universo veræ Legis Divinæ observantes, veræ Religionis cultores, & veritatis assertores: hanc propositionem tenetur Judæus libenter admittere. At si Judæi soli Legem Dei observarent, si soli veram Religionem colerent, ac veritatem tuerentur, num erga dilectum suum Populum nullo Deus flecteretur misericordiæ motu? num adeo constans Legi Mosaicæ adhæsio nullam delictorum veniam nationi conciliaret? numquid Deus promissorum suorum oblitus populum suum e patria extorrem in captivitate, & dispersione a septemdecim sæculis perseverante desereret? Ergo Judæi non possunt dici soli Legis Divinæ cultores, & veritatis assertores; proindeque &c.

Dices 1. Sæcula fere quinque supra vigin-

ti effluxerunt, ex quo decem Tribus a Salmanasare Assyriorum Rege abductæ manent e solo patrio extorres; quæ tamen Messiæ occisi insontes sunt: ergo captivitas similis qua ab annis plusquam sexcentis supra mille affliguntur Judæi, infirma res est ad probandum Messiam ab ipsis rejectum, & trucidatum fuisse.

Nego paritatem. Ut aliqua paritatis species institueretur, ostendendum esset 1. propter crimen idololatria minus decem Tribus fuisse in manus Assyriorum traditas; 2. eas in terram longinquam deportatas ad meliorem frugem sese aliquando recepisse, sicque meruisse, ut in Terram patrum suorum reducerentur. Judæorum namque in præsenti dispersione conditio utrumque, ut dictum est, complectitur, si Messiæ rejectio, & occisio captivitatis hujusce causam non attulerint. Atqui non modo hæc duo de Tribubus decem non probantur, sed contra 1. ex Scripturis indubitatum est ideo Tribus illas fuisse captivitati traditas, quod ab execrando idolorum cultu nollent recedere. 2. Cum Israelitarum in captivitatem a Salmanasare deportatorum nullum jam dudum vestigium supersit, nec ulla eorum certa apud veteres deprehendatur mentio, ii censendi sunt ad ritus gentium, inter quas deportati fuerant sese adjunxisse, sicque omni distinctionis ratione sublata, in unum corpus cum iisdem coaluisse: unde nihil mirum quod in Terram Canaan, juxta verbum Moysis Deut.30. reducti non fuerint. Nec tamen eos Deus deseruisse dicen-

dicendus eſt, quippe qui hos ad fidem Meſsiæ ſimul cum Gentibus, quibus erant immixti, Apoſtolorum prædicatione vocavit.

Saltem illud certiſsimum eſt, totam ſtirpem Iſraelitarum a Salmanaſare abductorum vel Gentibus, vel Judæis reliquis eſſe inſertam, & confuſim conjunctam, ſi quidem nullibi exiſtit ſeparatim. Si primum, nulla eſt objectio, ut dictum eſt. Si ſecundum, ex quo illi Iſraelitæ aliis Judæis ſeſe adjunxere, eorum conditionem ſecuti ſunt. Nempe tam potuere ante Chriſtum in Patriam remeare, quam cæteri Judæi: cunctis namque indiſcriminatim Iſaelitis facta fuit a Cyro poteſtas in Judæam revertendi. Ubi vero a natione rejectus, & occiſus eſt Chriſtus, tanti criminis facti ſunt conſortes quotquot ex Iſraelitis,etiam tum temporis per Orbem diſperſis, Chriſto nomen dare noluerunt.

Dices 2. Captivitas præſens ſpectari debet, ut continuatio captivitatis Babylonicæ: hæc enim edicto Cyri ſoluta non fuit, cum major pars Judæorum diſperſorum in patriam tunc non redierit. Igitur captivitas præſens non fuit inflicta propter Meſsiæ necem.

Nego antec. Solutam fuiſſe captivitatem Babylonicam patet 1. ex prophetia Jeremiæ, qui cap.25. eam poſt 70. annos ſolvendam prædixerat. 2. Ex Prophetia Danielis 9. de Civitatis, & Sanctuarii reſtauratione. 3. Ex oratione Nehemiæ, qui II. Eſdr.1. ad reditum populi e captivitate Babylonica transfert, & ap-

plicat promissionem nomine Dei a Moyse factam de Judæis, si ipsi resipuerint, ab extremis terræ in terram Canaan reducendis. 4. Ex Decreto Cyri II. Paralip.36.v.22. & 1.Esdr.1. v.1. atque ex edicto Artaxerxis I. Esdr.7.v.11. quibus fit facultas universis e populo Dei in Judæam revertendi. 5. Ex eventu, siquidem ex Judæis quotquot voluere in patriam cum Zorobabele post edictum Cyri, & cum Esdra post Decretum Artaxerxis reversi sunt, ibique Religionem, & Rempub. gentis suæ restaurarunt.

Ad probationem dist. Major pars Judæorum extra Terram Canaan mansit lubens, & volens, concedo: remansit invita, & coacta; nego. Solvitur captivitas, cum potestas revertendi in solum patrium conceditur; ad id necesse non est ut captivi cogantur discedere. Si captivus qui donatur libertate abeundi, malit in terra aliena remanere, quam ad suos reverti, nihilo secius liber est, & a captivitate solutus.

Dices 3. Judæi non debuerunt puniri ob rejectum, & occisum Jesum 1. Enim ipsum non occiderunt Judæi, sed Romani 2. Eos ignorantia excusabat, ut patet ex his Christi verbis Luc.23. v.34. *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt*; & ex testimonio Apostoli I. Cor.2. v.8. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*; ac tandem ex eo quod idem Paulus I. Timoth.1. v.13. ait se, cum Christi Discipulos persecutus est, *ignorantem fecisse*.

Nego

Nego ant. Ad primam prob. Etsi a Pontio Pilato Præside Romano Christus cruce damnatus fuerit, attamen cùm id judicium latum fuerit, Christum accusante Judæorum Concilio, quod eum morte dignum pronuntiaverat; cum nihil non moliti sint Judæi ut ad ferendam istam sententiam mortis Judicem Romanum invitum adducerent; cum impia voce conclamaverint Matth. 27. v. 25. *Sanguis ejus super nos, & super nos & super filios nostros*: cum denique hanc patrum suorum agendi rationem approbent omnes Judæi ad Christum non conversi; evidens est occisionis Christi reos esse Judæos, ac totam nationem criminis tam horrendi sese constituere participem.

Ad secundam probationem; nego anteced. Ignorantia vincibilis ex invidia, & cupiditatibus orta minimè excusat: atqui ea fuit ignorantia qua Judæi circa Christum laboraverunt. Terrenarum rerum cupidine irretiti Salvatorem a bonis temporalibus avertentem, ad cælestia animos erigentem, noluerunt recipere. Præ invidia eum Pontio Pilato tradiderant Principes Sacerdotum, & Seniores Populi Matt. 27. v. 18., & Marc. 15. v. 10. Christus rogans Patrem ut illis dimittat, hos a crimine immunes non fuisse satis ostendit. Dum vero addit: *Non sciunt quid faciunt*, affert qualemcumque eorum excusationem, non autem eam legitimam fuisse significat. Inde patet quid respondendum sit ad testimonium adductum ex cap. 1. Epist. 1. ad Corinthios. Porrò Paulus quem

zelus Legis nimius Discipulis Christo infensum reddiderat, minori scelere constrictus fuerit quam cæteri; nec tamen se criminis insontem judicavit, qui se *blasphemum, persecutorem, & contumeliosum* fuisse confitetur, & ideo indiguisse misericordia Dei.

Dices 4. Non puniuntur Judæi quod Messiam occiderint, sed potius quia unus gentis suæ, nempe Jesus Nazarenus sese filium Dei prædicare ausus est; ergo &c.

Nego anteced., in quo insulsè non minus quam impiè supponitur propter crimen ab aliquo homine privato commissum, quod ejus natio detestatur, & execratur, ac supplicio ultimo animadvertit, posse Deum æquissimum pœnas maximas ab illa natione per longam sæculorum seriem repetere.

Sextum Momentum.

Judæi sibi conscii sunt, tempora adventus Messiæ a Prophetis præfixa præteriisse.

ID a nobis non temere affirmari probatur 1. ex imprecatione qua temporis Messiæ computorum caput solent defigere. Nimirum, cum omnem ejusmodi temporum computationem sibi adversari sentiant, ab illa prorsus abstinendum statuunt, quamvis tamen ratio temporum unum sit ex insignioribus adventus Messiæ indiciis apud Prophetas assignatis. Imprecatio illa in Thalmude cap. 11. Gemaræ Tract.

San-

Sanhedrin his verbis exprimitur. *Inflata rumpantur ossa eorum , qui periodos temporum computant* , atque in consuetudinem proverbii venit inter Judæos .

Probatur 2. ex eorum vulgari dicto , Messiæ adventum peccatis populi retardatum esse ; seu quod eodem recidit , Messiam secundum Prophetarum Vaticinia jamdudum advenire debuisse, sed Dei promissorum executionem propter populi iniquitates procrastinatam . *Elapsi sunt omnes termini* , inquiebat jam olim celebris *Raf* , relatus in Thalmude loco mox citato, *& res non pendet nonnisi a resipiscentia , & bonis operibus* . Ejusmodi effugium supra non semel præclusimus , præsertim quia cum ex Prophetis Messias venturus sit ad delenda peccata , & homines ab iniquitatibus liberandos, non potest intelligi promissio sub ea conditione , quod ante ejus adventum homines non peccarent . Sed præterea num sperant Judæi , futurum ut aliquando peccare desinant ante Messiæ adventum ? Nonne eorum Rabbini finem peccato imponendum vulgo habent ut fructum adventus Messiæ ? Numquid ex solis Justis constitutam sese tunc existimabat natio, quoties a falsis Messiis delusa est ? Ergo &c.

Probatur 3. ex variis celeberrimorum Rabbinorum ea de re opinationibus , quas paucis sic recenset Huetius *Demonstr. Evangel.* Prop.9. cap.8. n.1. *Fertur in Libris Rabbinorum , confessos esse majores ipsorum , qui temporibus Christo Jesu paulo superioribus vixerunt, Mes-*

Messiæ adventum imminere; qui non multò recentiores fuerunt, & Templum exscindi viderunt, Messiæ tempus jam venisse. Sunt qui non alium quam Ezechiam fuisse velint; quam sententiam penitus damnari posse negat. R. Joseph Albo in Libro Ikkarim. Tradit R. Selomoh Jarchi, asseverasse vetustos gentis suæ doctores jam venisse Messiam, eoque die esse natum quo excisa Jerosolyma. Referunt R. Gedalias in catena Cabalæ, & R. Azarias in lumine oculorum, quid ipsi de tempore adventus Messiæ, quid R. Bechai, quid. R. Jaadias, quid is quem proximè laudavi R. Selomoh Jarchi, quid R. Levi ben Gerson, quid R. Abraham Hannasi, quid R. Moses Gerundensis, quid Abrabaniel senserint, quid, & in libro Zohar proditum sit; ex quorum rationibus sequitur, jam id tempus esse elapsum. Quocirca in eodem libro Sanhedrin venisse quidem Messiam ajunt de verporum grege nonnulli; at Romæ inter ægros lepris laborantes latitare; (nam ex his Isaiæ verbis : Et nos putavimus eum quasi Leprosum, *nomen ipsi Leproso esse fingunt): ratum verò tempus, quo ex his latebris emersurus sit, non assignant. Quidam inter horti Eden delicias ævum agitare volunt cum Elia, a quo ungendus sit olim lætitiæ oleo, cum ad muneris sui administrationem foras prodibit.* Hinc Raf modo confitentem audivimus, *elapsos esse omnes terminos.* Hinc excogitata a Judæis distinctio duplicis Mesiæ, quorum alter sit filius Joseph, seu de Tribu Ephraim, pauper, morti

tra-

traditus, & a Christianis adoratus, alter filius David ad Judæos mittendus, eosque liberaturus. Quæ omnia deliramenta non aliunde orta sunt, quam quod Mesiæ adventus tempora esse præterita perspicerent.

SEPTIMUM MOMENTUM.

Ex miraculis Christi, & Apostolorum.

DIximus supra hæc prodigia fuisse a Prophetis prædicta; nunc ea spectamus in se. His autem, si semel de eorum veritate constiterit, evidentissimum est planè confici Divinam esse Christi & Apostolorum missionem, nec proinde recedi debere a sensu, quo Christus, & Apostoli veteres prophetias explicarunt, nullumque esse posse dubium, quin Dominus Jesus sit verus Mesias Patriarchis promissus.

Atqui miracula Christi ejusque Apostolorum ipsismet editis a Moyse miraculis certiora esse satis superque probatur, atque eadem extra omnem dubitationis aleam longe esse posita mox evincemus adversus Gentiles, & incredulos; tandem vel ipsi Judæi ejusmodi miraculorum fidem augent, dum iis elevandis incumbunt toti. Namque cum maxima a Christo prodigia edita fuisse inficiari non potuerint Judæi, adeo scilicet nationem affecerant ejusmodi prodigiorum magnitudo, & numerus, eò sese converterunt, ut magicis artibus, ac ineffa-

fabilis nominis Dei prolationi illa attribuerint. Qua in re eos non esse audiendos manifestè liquet vel ex ipsà ratione, qua fabulam hanc ipsi compingunt. Ita rem narrant in *Toldoth Jesu*, libro absurdissimis in omni genere commentis, & blasphemiis referto quem Wagenseilius Hebraicè, & Latinè edidit Altdorfii Noricorum an. 1681. ut quam ineptis mendaciis Judæi a Chriltiana Religione avertantur manifestum faceret: *Tum temporis erat in Templo insculptum nomen Dei ineffabile lapidi* τῦ στερεώματος (fundamenti). *Etenim cum David rex foderet fundamentum, reperit ibi lapidem quemdam* ἐπὶ τῦ στόματος τῆς ἀβύσσυ (super os abyssi), *in quo Dei nomen incisum conspiciebatur, quem inde sustollens in Sanctum Sanctorum deposuit. Cum verò metuerent sapientes ne forte studiosi Juvenes nomen hoc discerent, orbique (quod Deus omen prohibeat!) inferrent vastitatem, confecere incantationibus æneos Leones duos, quos ante fores Sancti Sanctorum, unum a dextris, alterum a sinistris statuerunt. Si quis igitur intrasset illuc, & arcanum nomen didicisset, hunc exeuntem allatrabant Leones, & in causa erant, ut ob ingentem pavorem, ac consternationem nomina menti exciderent, & oblivio illorum eum pervaderet.....* Jesus itaque *venit clanculum Jerosolymas, ingressusque templum didicit ibi* τὰ ἱερὰ γράμματα (sacros characteres), *nomenque* ἀνεκφώνητον (ineffabile) *membranæ cum inscripsisset, nomine hoc enunciato; ne dolorem persentisceret, scindit carnem;* ibi-

ibique membranam cum mysteriis condit. Mox prolato rursus nomine effecit, ut caro consolidaretur. Necesse est autem arte magica, & vi incantaminum templum introierit: secus enim si foret, quomodo permissuri erant Sanctissimi Sacerdotes Aaronis progenies, ut illuc ingrederetur? Proinde manifestum est eum ope impuri nominis, & magica arte patrasse ista omnia. Egredientem per ostium allatrabant Leones, unde ἡ τοῦ ὀνόματος λησμονή (nominis oblivio). *Ergo extra Urbem se confert, ac dissecta rursus carne educit Scripturam, & cum characteres perpendisset, tenet nomen. Abiit deinde Bethlehemum Judæ, locum nativitatis suæ, ac voce magna clamare occipit: Et quales sunt isti nequam homines?... Annon mater virgo me peperit?... De me vaticinatus est Isaias Propheta: Ecce virgo concipiet &c. Afferte huc ad me hominem mortuum, eum ego vitæ reddam. Festinat plebs, & sepulchro quodam effosso nihil ibi reperit præter mera ossa arida... Iis allatis combinat inter sese ossa singula, eaque obducit pelle, inque pedes erectum ibi staret, quod fuerat cadaver... Cumque ante eum statuissent Leprosum, hunc similiter per nomen* ἀνεκφώνητον (ineffabile) *sanitati restituit &c.* Hæc illi, quæ retulisse refutasse est. Qui plura voluerit, adeat Wagenseilium in confutatione illius Libri.

Sectio Secunda.

CAPUT UNICUM.

Quomodo adversus Gentiles demonstretur mysterium Incarnationis esse peractum.

ADversus Gentiles, & incredulos divinam Scripturarum inspirationem non agnoscentes, eatenus valet Incarnationis mysterium demonstrari, quatenus missio Christi, & Apostolorum ejus, a quibus mysterium illud prædicatum est, divina esse ostendi potest. Si enim Christus, & Apostoli a Deo missi sint, doctrina Christiana juxta quam Christus est Homo-Deus, vera sit necesse est, & fide tenenda. Porro missionem Christi, ejusque Apostolorum esse a Deo profectam, eadem evincunt argumenta, quibus ipsamet Religionis Christianæ veritas, & revelatio adstruitur. Quapropter, si de proposita quæstione, ea quam res ferre posset diligentia dissereremus, tractatio integra veritatis religionis Christianæ esset instituenda, quod præsentis propositi ratio non patitur. Itaque ut scholarum mori hic obsequamur, & simul bretati consulamus, præcipua tantum hujusce negotii capita summatim attingemus. 1. Ex factis Evangelicis, præsertim vero ex miraculis Christi, & Apostolorum, hunc esse a Deo missum adversus Gentiles, & Incredulos ostendemus. 2. Ex resurrectione Christi speciale du-

ce-

cemus argumentum. 3. De miraculis in hiſtoria Eccleſiaſtica relatis quidquam addemus. & 4. De mirabili Religionis propagatione.

Articulus I.

Ex factis Evangelicis, præſertim vero ex miraculis Chriſti, & Diſcipulorum ejus hunc eſſe a Deo miſſum adſtruitur.

Miraculorum nomine ab omnibus intelliguntur effectus illi rari, ſenſibiles, ſtupendi, hominis facultates excedentes, nulli cauſæ phyſicæ, ſaltem naturaliter, ſeu ratione, ſeu experientia cognitæ, connexi, cujuſmodi complures in ſcripturis, & in hiſtoria memorantur, ut ſunt mortuorum reſurrectiones, ſubitæ morborum etiam deſperatorum curationes, tranſformationes variæ, v. g. aquæ in vinum, virgæ in ſerpentem &c. Hæc miraculi notio, quam omnes recipiunt, haberi poteſt inſtar definitionis nominis.

Multa a Theologis de Miraculi Divini, aut Angelici natura diſceptari ſolent, quæ tamen hic omittimus, cum neceſse non ſit ea omnia perſpecta haberi, ut intelligatur vim ſummam ineſſe miraculis ad probandam doctrinæ veritatem. Ita enim genus humanum a Deo conſtitutum eſt, ut miraculis maxime alliciatur ad credendum, ne quiſquam ſapiens poſſit iis non aſsentiri, ubi certis characteribus veſtiuntur. Hæc potiſſimnm regula

ea

ea de re statuenda est tamquam evidentissima: Quisquis novit Deum unum, optimum, maximum rebus omnibus præesse, sapienter non potest temperare se ab adhibenda fide homini pio, doctrinam sanctam, dogmata sublimia, etsi rationi impervia prædicanti, qui se a Deo missum perhibens, miraculis innumeris, indubitatis, splendidissimis, nulla prava circumstantia vitiatis, nullo iis comparando prodigio impugnatis, missionem suam comprobat. Quapropter cum fateri omnes cogantur miracula Christi, & Apostolorum ejusmodi fuisse, modo facta Evangelica extra omnem dubitationis aleam posita demonstrentur, is nobis hic erit præcipuus scopus, ut illorum factorum fidem indubitatam faciamus.

Factorum Evangelicorum veritas demonstratur.

Sic arguimus: Facta possibilia, publica, & magni momenti a pluribus testibus oculatis, aut coætaneis, qui nec falli potuerunt, nec mendacii, & fraudis possunt insimulari, unanimiter nulloque alio scriptore contradicente narrata, cum factis aliis posterioribus extra omnem controversiam positis necessario connexa, ac tandem usque ad nos sine ulla corruptione, & depravatione transmissa, ejusmodi, inquam, facta vera, & certissima sunt: atqui facta quæ in Evangelio narrantur sic se habent: ergo &c.

Major negari nequit. Enim vero qui facta hisce caracteribus vestita in dubium revoca-

caverit, is circa facta historica incidat necesse est in Pyrrhonismum universalem, cui hominis ratio, & natura, ipsorumque Deistarum in rebus humanis cogitandi, & agendi modus prorsus repugnant: idem ille apud se statuat homines nullo motivo ductos, immo motivis omnibus posthabitis, posse veritatem odisse, mendaciis, & falsitatibus manifestissimis delectari: judicet fieri posse, ut cuncti ad eum decipiendum conspirent: neget Romam olim extitisse, aut etiamnum extare: plerasque demonstrationes mathematicas rejiciat, quippe quæ ejusmodi factorum certitudinem moralem evidentia non superant, sunt vero plerumque hominum indoli ac ingenio multo minus proportionatæ.

Non tot autem & tantas enumeravi certitudinis factorum notas, quod omnes crediderim ad unamquamque veritatem historicam firmiter stabiliendam requiri; sed ea mente ut quæcumque facto alicui suadendo prodesse possunt, in unum collecta ostendam factis Evangelicis competere.

Jam probanda est minor propositio per partes: 1. Possibilia sunt facta quæ in Evangelio narrantur. De solorum Miraculorum possibilitate post Spinosam dubitatio moveri posset: Atqui evidens est miracula esse possibilia, seu nullam contradictionem involvere. Miracula enim, ut ex dictis colligere est, seu quæ a Deo solo, seu quæ ab Angelis producuntur, sunt effectus rari, sensibiles, stupendi, ex legi-

gibus generalibus motuum excepti, seu quod idem est, dissimiles iis effectibus quos iisdem in circumstantiis physicis Leges naturales producunt. Atqui ejusmodi exceptiones, ejusmodi effectus nullam contradictionem involvunt. Deus enim qui libere instituit leges naturæ, potuit, eas instituendo, quas voluerit exceptiones decernere; potuit statuere, futurum ut illæ leges ad speciales quosdam non pertinerent casus, in quibus volebat alios effectus produci. Rem explico exemplo. Leges motuum a Deo institutæ exigunt, v. g. corpus aqua gravius ipsi superpositum mergi: quis negaverit Deum, cum illam legem tulit, potuisse eum excipere casum in quo S. Petrus super aquas incessit, & contra præfinire, ut in ejusmodi casu produceretur effectus ei, quem in iisdem circumstantiis physicis leges motuum producunt, oppositus? Ergo miracula, ac proinde omnia facta, quæ in Evangelio narrantur, possibilia sunt.

2. Ejusmodi facta publica fuerunt. Id inductione aliqua patebit. Namque Joannem Baptistam, hominem sanctissimum, baptisma pœnitentiæ prædicantem, Christi Præcursorem fuisse, & ipsi testimonium reddidisse; pariter Christum Bethleemi natum; Magos cælesti phœnomeno ab Oriente deductos ad eum adorandum venisse, eaque occasione infantes omnes in Bethleem, & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra Herodis jussu fuisse occisos; anno ætatis suæ duodecimo Christum, stupentibus, & sa-

& ſapientiam ejus admirantibus Judæorum Magiſtris, in templo docuiſse; dum a Joanne baptizatus eſt, apertos fuiſse cælos, & auditam de cælo vocem dicentem: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; duodecim Apoſtolis plebejis viris, rudibus, illiteratis, quibus doctrinam ſuam traderet, ſelectis, ipſum per tres annos prædicaſse, & ſeſe Meſſiam perhibuiſse: innumera interim ab ipſo edita miracula, in Civitatibus, in pagis, in domibus, in plateis, in Templo, ubique, coram Scribis, & Phariſæis, coram Samaritanis, coram alienigenis: filium Archiſynagogi, puerum Centurionis Romani, cæcum a nativitate, innumeroſque alios, leproſos, claudos, cæcos, mutos, & morbis quibuslibet etiam deſperatis affectos, ab eo ſanatos fuiſse; quatuor mortuos ſuſcitatos, mare ſedatum, aquam in vinum verſam, paucos panes pluribus hominum millibus ſaturandis multiplicatos: eumdem nihilominus promoventibus Judæis a Pontio Pilato cruci affixum: tenebras, eo moriente ſuper univerſam terram factas fuiſse: Sepulchrum ipſius a Principibus Sacerdotum, & Phariſæis obſignatum & militibus traditum fuiſse cuſtodiendum; in eo tamen corpus ejus tertia die non repertum, ſicque ipſa Judæorum cautione auctam reſurrectionis ejus certitudinem: Apoſtolos in die Pentecoſtes, audiente hominum multitudine ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, variis linguis locutos, etſi nullam didiciſsent, ac inſtar magiſtri ſui, ejuſque no-

nomine, maxima patrantes miracula, Evangelicam fidem primum Judæis, & deinde Gentibus usque ad extremas terras prædicasse &c. Hæc, inquam, omnia facta; aliaque similia, quæ in novo Testamento narrantur, manifesta fuisse, eorum natura ipsa satis ostendit, eaque tamquam publica, id est, ut nota Synagogæ, magistratibus, & nationi Judaicæ in Evangelio narrari ex sola ejus lectione perspicuum est; ergo &c.

3. Eadem facta erant magni momenti, adeout ea attendi necesse fuerit, nec sine maturo examine prævio potuerint recipi. Namque ejusmodi factis Apostoli Judæis suadere conabantur, *& Dominum eum, & Christum a Deo factum esse, hunc Jesum, quem illi crucifixerant*; fidem illi nomini esse adhibendam, *nec aliud nomen esse sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; in quo Vaticinia omnia Prophetarum compleri, & Regnum ejus non esse illud terrenum, quod cupiditatibus ducti inaniter sperabant; sed regnum spirituale in quo bona summa quidem, sed insensibilia, & cælestia subditis conferuntur. Receptum ubique, & cupiditatibus faventem Deorum cultum Infidelibus interdicebant, ejusque loco ipsis porrigebant Religionem severam, sensibus, & præjudiciis adversam, cupiditatibus inimicam dogmatum suorum sublimitate percellentem, morum sanctitate absterrentem, afflictiones, erumnas, persecutiones, cruces cultoribus suis prædicentem, nec nisi cælestia bo-

bona promittentem, malis pœnas in altero ævo æternum duraturas comminantem. Hæc ut ſuaderent Apoſtoli, teſtes ſe Evangelicorum factorum præbebant, Chriſtum reſurrexiſse affirmabant, miracula innumera edebant, ſæviſsimis ſuppliciis ſeſe alacres offerebant. Quis autem non videat facta cum rebus tanti ponderis connexa non facile recipi debuiſse, nec niſi poſt ſufficiens examen potuiſse admitti?

4. Facta Evangelica referuntur ab auctoribus coætaneis, quorum plurimi fuerunt teſtes oculati.

Primus Evangeliſtarum Sanctus Matthæus e telonio ad Apoſtolatum, ut ipſe refert, a Chriſto vocatus, & unus deinceps ex ejus comitibus individuis. Evangelium ſuum anno æræ vulgaris circiter 39. paulo poſt Chriſti mortem, Jeroſolymis conſcripſit.

Marcum fuiſse unum e 72. Chriſti Diſcipulis quidam opinati ſunt: ſed Apoſtolorum dumtaxat, præſertim vero S. Petri Diſcipulus videtur extitiſse. Quidquid ſit, auctoris coætanei ab Apoſtolis eruditi titulus ipſi denegari non poteſt: ſed præterea conſtat Evangelium ejus a S. Petro fuiſse approbatum, & proinde eamdem (humano modo loquor) auctoritatem habere, ac ſi a S. Petro exaratum fuiſset.

S. Lucas pariter coætaneus hiſtoriæ Chriſti Scriptor dicendus eſt. Is in locis Paleſtinæ vicinis natus; & in ea diu verſatus, ſeſe Sancto Paulo diſcipulum adjunxit. Non ea quidem ipſe vidit, quæ in Evangelio ſuo litteris con-

consignat; sed testatur cap. 1. v. 2. & 3. se assecutum *omnia a principio diligenter*, eaque scribere *quæ tradiderunt qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*. Cum autem ejus Evangelium ante Apostolorum mortem exaratum fuerit, & ab omnibus Ecclesiis semper, & unanimiter receptum, dubitari non potest quin illud approbaverint Apostoli.

Porro S. Joannes e Galilæa oriundus Apostolorum Collegio sociatus, & ob accepta a Christo singularis prorsus dilectionis testimonia, dilecti Discipuli nomen adeptus, Christum ad crucem usque secutus est, primusque testis, & testis, & præco resurrectionis ejus fuit, & ad extremum usque spiritum per annos fere septuaginta assertor indefessus. Hæc & alia quæ de eo, sive in Evangeliis, sive in Historia Ecclesiastica leguntur, testem gestorum Christi ipso graviorem, & locupletiorem desiderari non posse ostendunt.

Actuum Apostolorum auctor S. Lucas, plerarumque rerum, quas in hac historia commemorat, spectator fuit.

Quæ autem in Evangelio edisseruntur, Apostoli in suis Epistolis pro certo, & inconcusso habent, & suo testimonio confirmant. *Non doctas fabulas secuti*, inquit S. Petrus Epist. 1. cap. 1. v. 16. *notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem, & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis*. Et S. Joan. Epist. 1. cap. 1. v. 1. & 2. *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspexi-*

ximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis &c.

Nec omittendum est curavisse Apostolos, ut in locum Judæ proditoris seligeretur aliquis factorum Christi oculatus testis, qui Apostolatus officium exerceret, adeo interesse existimabant facta Evangelica idoneis testimoniis muniri. *Oportet*, ait super hac re S. Petrus Act. 1. v. 21. *ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit, & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis, usque in diem qua assumptus est a nobis, testem Resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.*

5. Testes factorum Evangelicorum falli non potuere. Eos enim decipi natura ejusmodi factorum plerumque non sinebat. Facta illa erant visibilia, sensibus objecta, manifesta, publica, circa quæ error in testem oculatum non cadit. Num. v.g. decipi potuerunt Apostoli, & Discipuli circa Christi, & Præcursoris ejus prædicationem, circa miracula multiplicationum panum, circa restitutionem visus cæci nati, circa resurrectionem Lazari, circa resurrectionem ipsius Christi, qui vulnera sua ipsis palpanda præbuit, circa donum linguarum quo in die Pentecostes a Spiritu Sancto donati sunt, circa alia innumera, quæ enarrare longius foret?

Insuper, ne in ejusmodi rebus stolidè allucinari potuisse judicentur vetat etiam sapien-

tia illa plane divina, quæ in Evangelistarum, & Apostolorum scriptis elucet. Expolitum quidem, & elegans dicendi genus non adhibent; nempe, ut ait Apostolus 1. Cor. 2. v. 4. *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*. At vero quanta in doctrina quam tradunt, deprehenditur ubertas! Quanta in morum præceptis gravitas, & sanctitas! Quanta in dogmatibus, & mysteriis divinis altitudo, & majestas! quanta in factis exponendis ingenuitas, diligentia, & perspicuitas! Quantam Numinis supremi ac cultus ipsi debiti ideam ingenerant animis, ea ætate qua in densissimis tenebris, in erroribus turpissimis, universum genus humanum circa Religionem versabatur! Quam sapienter tandem ad rerum quas tractant diversitatem, ad varias circumstantias, ad fines a se intensos sermonem accomodant! Res gestas accurate, ut congruit, & simpliciter narrant: ratione, exemplis, parabolis regulas morum, ubi opus est, confirmant, explicant, suadent. Quæ miraculis ac Prophetarum oraculis fuerunt stabilienda, ut missionis suæ divinitas, & mysteria fidei, hæc prodigiis Dei virtute patratis, & testimoniis Scripturarum, prout expediebat, adductis, adstruere norunt. Ergo seu doctrinæ præcellentia, seu forma dicendi attendatur, fatendum erit Evangelistarum, & Apostolorum libros summa fulgere sapientia, quæ testes factorum Evangelicorum circa ejusmodi facta turpiter allucinari non potuisse demonstrat.

Sed si decipi potuerint Apostoli, & alii Disci-

ſcipuli circa miracula, quæ patravit Chriſtus, numquid ipſi ſibi videri potuerunt innumera miracula edere? Atqui miraculorum Chriſti teſtes, Apoſtoli ſcilicet, miracula & ipſi innumera ediderunt, ut ipſi, & alii Scriptores Novi Teſtamenti auctores ſunt. *Per manus Apoſtolorum*, inquit S. Lucas Act.5. v.12., & ſeqq. *fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe ..... itaut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Concurrebat autem, & multitudo vicinarum Civitatum Jeruſalem, afferentes ægrotos, & vexatos a ſpiritibus immundis; qui curabantur omnes.* Et Act.19. v.11. & 12. *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur.* Hinc S. Paulus I. Cor.2. v.4. *Sermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.* II. Cor.12. v.12. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.* Et Hebr.2. v.4. *Conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem.* Vide etiam Luc.10. v.17. Joan.14. v.12. Act. capp. 2. 3. 5. 6. 8. 9. 10.

6. Sinceri fuere Teſtes factorum Evangeli-

corum, nec fraudis, & mendacii insimulari possunt, quod argumento ex eorum fortuna, conditione, moribus, genio, indole, & officiis, & ex horumce factorum promulgatione, modo, circumstantiis, ac fine plane efficitur.

Si enim quo genere nati factorum Evangelicorum testes, qua disciplina innutriti fuerint, inquiras: viri fuere rudes, sine litteris, piscatores, quibus proinde universi orbis decipiendi consilium tribuere insulsum foret.

Si doctrinam inspicias quam tradiderunt: nihil ea sanctius, & illibatius, nihil majori dignum veneratione, & nihil ab omni dolo abhorrens magis.

Si ad eorum mores, & vitæ rationem attendas: terrena contemnebant, fidei propagandæ, muneri suo implendo sese toti dedebant, sanctissimæ Magistri sui, quam prædicabant, doctrinæ vita eorum tam pulchre congruebat, ut nullum in iis vel minimum vitium redarguerint Porphyrius, Celsus, aliique Religionis Christianæ hostes.

Si modum scribendi consideres: res candide, & ingenue narrant, sine fuco sine ulla exageratione, aut dissimulatione, sine animi motu, & ostentatione. Nec Apostolorum cum Christo conversantium inscitiam, asperitatem, & in fide ipsi adhibenda tarditatem, nec eorumdem in sese invicem jurgia, & altercationes, nec denique ipsorum, dum Christus passus est, pusillanimitatem, & fugam tacuerunt. Omnia fidei historiæ commisere, unius veritatis,

tis studiosi. In Christi osores, in principes Sacerdotum, & alios Judæos ejus necis auctores, in Judam proditorem, in Pilatum, & Milites Romanos, in eos, a quibus ipsi contumelias, carceres, flagra, & alia supplicia passi sunt, non invehuntur, non effervescunt, nihil convitii proferunt, nihil querimoniarum sibi permittunt. Iis satis est singula nude exponere. Ipsum Christi supplicium ejusque mortem sedato animo, & simpliciter referunt: *Ibi*, inquiunt, *crucifixerunt eum*, Luc. 24. v. 33.

Si tandem motivum perpendas quo ducti Evangelistæ, & Apostoli facta evangelica attestati sunt: nulla eos spe depastos, nullo temporali emolumento illectos fuisse deprehendes. Quid enim Apostoli munus crucis Christi prædicandæ parere poterat, nisi labores plurimos, paupertatem, ignominias, supplicia, neces? Propter Christum, & salutem æternam sibi a Christo promissam iis ærumnis, & periculis sese libenter obtulere; atque adeo ipsis persuasa erat factorum Evangelicorum veritas, ut eam sanguinis sui effusione consignaverint.

Denique si modum, tempus, & varia adjuncta promulgationis Evangelicorum factorum ab Apostolis vel eorum jussu editæ observaveris, hæc ea esse facile perspicies, cum quibus voluntas fallendi consistere non possit. Enimvero paucis post Christi ascensionem diebus, ipso scilicet festo Pentecostes, multitudinem Judæorum, quæ, propter *factum repente de cælo sonum tamquam advenientis spi-*

 ritus

ritus vehementis, convenerat in domum ubi manebant Apostoli, alloquens Jerosolymis Sanctus Petrus Act.2. v.22.23. & seqq. *Viri Israelitæ*, inquit, *audite hæc verba*: *Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis*: *hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis*: *quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni* .... *hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus*. Audis Apostolorum principem, cæterorum nomine verba facientem, præcipua facta Evangelica ob Judæorum oculos, ut res ipsis compertas, & in medio eorum factas tunc subjicientem, cum vix a morte Christi dies 52. elapsi essent. Se igitur, & alios Discipulos resurrectionis Christi testes esse confidenter eo tempore perhibuit, quo, si res falsa fuisset, facillime potuissent mendacio convinci. Quod ad alia facta, virtutesque, & prodigia Christi attinet, illa commemorat, ut res apud Judæos publicas; & nemini in Judæa non exploratas: *Quæ fecit Deus, per illum in medio vestri, sicut & vos scitis*. Idem Apostolus in alio sermone Act.10. vers.37. & seqq. summario factorum Evangelicorum quod exhibet, hæc præmittit, auditores compellans: *Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam*. Porro ex eodem Actuum libro passim colligere est, alios quoque Apostolos iis in concertationibus quæ cum

cum Judæis seu in Palæstina, seu alibi commorantibus, frequentes ipsis de Christo fuerunt, de factis Evangelicis pari fiducia esse locutos. Ergo testes illorum factorum, ut Judæis suaderent Christum esse Messiam, facta ejusmodi promulgarunt, ac testificati sunt, cum eorum recentissima adhuc esse debuit apud Judæos memoria, diebus videlicet paucis post Christi obitum, & resurrectionem. Numquid hæc cum voluntate fallendi consistunt?

Ad hæc, quæ facta Apostoli sæpius viva voce in memoriam revocaverant, & oraculis Prophetarum consona ostenderant, unus ex illis S. Matthæus cæterorum jussu anno a morte Christi sexto, æræ vulgaris 39. Jerosolymæ litteris consignavit. Anno ab hinc circiter 18. prodiit Evangelium à S. Luca in Achajæ, & Beotiæ partibus conscriptum. Forte priusquam scriberet S. Lucas aut saltem paucis post ipsum annis, S. Marcus Romæ Evangelium Christi concinnanit. Tandem anno æræ nostræ 96. Evangelium a Joanne Ephesi exaratum est. Interea diversis temporibus, & variis in locis conscripti sunt alii Novi Tastamenti Libri, quibus facta Evangelica supponuntur, & confirmantur.

Jam vero hæc advertenda sunt. 1. Ab Evangelistis magna diligentia notantur circumstantiæ vel minimæ annorum, dierum, locorum, personarum, principum tunc regnantium, summorum Sacerdotum &c. Id non assolent deceptores, nec sane possent quin statim mendacio evincerentur. 2. S. Matthæus, utpote Je-

rosolymis scribens, sermonem adhibuit Hebraicum, seu potius Syriacum, quo tunc Judæi utebantur; cæteri vero librorum Novi Testamenti auctores, cum aliis in regionibus scriberent, Græcam linguam usurpavere, quam populis omnibus, atque ipsius Judæis apud Græcos, & Romanos degentibus valde usitatam fuisse constat. Voluere igitur ejusmodi scriptores historiam a se promulgatam posse non difficulter ab unoquoque comprobari. 3. Etsi annis a se invicem aliquo intervallo disitis, & in diversis regionibus scripserint auctores Novi Testamenti, attamen de factis Evangelicis summe consentiunt, quod non leve est veritatis argumentum. Certe si Matthæus falsi convictus fuisset, eadem prorsus ac ille non ausi essent proferre Evangelistæ subsequentes, aut saltem nonnisi rebus quibusdam, & circumstantiis ad earum substantiam pertinentibus immutatis hæc protulissent. Nempe fraus pro varietate circumstantiarum varias induit formas, nec iisdem semper armis pugnat, quorum infirmitatem est experta. 4. Quantumvis inter se similes sint Evangelistæ quatuor, attamen simul a se invicem nimium diversi deprehenduntur, quam ut collusionis posint accusari. Si falsa narrasent, numquam potuisent non communicatis consiliis adeo perfecte concordare. Si communicatis consiliis colludere voluisent, minor in eorum historiis disimilitudo deprehenderetur. Itaque cæteris, quæ attulimus, Apostolorum sinceritatis evidentibus argumentis, istud

istud addendum est non minus manifestum, eo de fine, iis in circumstantiis, quæ cum voluntate fallendi consistere nequeunt, promulgata fuisse facta Evangelica.

7. Unanimiter ab Evangelistis narrantur Facta Evangelica, ut modo dictum est, iisque concinunt alii librorum Novi Testamenti auctores.

8. Factis Evangelicis non contradicunt alii Scriptores, immo vel infestissimi Christianæ Religionis hostes, Judæi, Pagani, Mahumetani, magna e Christo edita fuisse prodigia, & miracula non inficiati sunt.

Et quidem Judæi. De coætaneis testes sunt Evangelistæ, a quibus habemus sæpe Judæos prodigia Christi admiratos esse. Hinc ipsum *alii* existimabant esse *Eliam*, *alii autem Jeremiam, aut unum ex Prophetis*, *alii*, ipseque Herodes Antipas, *Joannem Baptistam* a mortuis suscitatum. Vide Matth.16. vers.14. Marc.8. vers.28. Luc.9. v.19. Ne ipsi quidem Pharisæi negabant a Christo miracula patrari. Conquesti sunt non semel quod die Sabbati ægros curaret: dixerunt eorum quidam in nomine Beelzebub principis dæmoniorum ejici ab ipso dæmonia. Sed & his querimoniis, & conviciis maxime apparet illum manifestissima prodigia esse operatum. Tandem post resurrectionem Lazari Joan.11.v.47. 49. & seqq. *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes cre-*

 dent

dent in eum .... Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum .

Quantum ad posteriores Judæos, jam diximus in *Thalmude* , & in utroque libro *Toldoth Jesu* , prodigia Christi adscribi virtuti ineffabilis nominis Dei , quod magicis artibus e Sancto Sanctorum ab eo ereptum fuisse comminiscuntur . Fabulam ridiculam , quam ea de re proferunt , ibidem exposuimus , atque ex ea collegimus Christi prodigiis Judaicam gentem olim stupendum in modum fuisse affectam , quippe cum ejusmodi miracula , licet tot fabellis eorum traditiones scateant , nondum penitus apud eos obliterari potuerint .

Pagani etiam fidem miraculorum Christi confirmant . Porphyrius enim , Celsus , Julianus Imperator facta Evangelica non impugnarunt : aliqua a Christo edita esse miracula non negarunt , immo fassi sunt expresse . Sed quod majoris est ponderis , Christi sapientiam , & opera admirati sunt ipsi Imperatores Pagani . Tiberius , cognitis ex Pilati relatione miraculis , morte , & resurrectione Christi , divinos illi honores decerni , re ad Senatum delata , postulavit . Id affirmat in *Apologetico* capit. 5. Tertullianus , qui profecto , veritus ne causæ noceret suæ , factum ejusmodi , quod ex Archiviis Imperii comprobatu facillimum erat , numquam tanta confidentia Senatui ipsi objecisset , nisi illud compertum , & exploratum habuisset . Magna veneratione Christum prosecutos esse Adrianum , & Alexandrum Severum ,

rum, auctor est Lampridius Scriptor paganus in *Severo*. Loquitur Chalcidius *Commentario in Timæum* de Stella seu phænomeno cælesti, quod Magis apparuit, & Phlegon *Olymp. Chronic.* L. 13. mentionem facit stupendæ illius defectionis Solis, quæ tempore mortis Christi contigit. His addi possunt, quæ in gratiam Christianorum dicta sunt a Plinio lib. 10. Epistol. 102. ad Trajanum, a Severo Graviano Proconsule in Epist. ad Imperatorem Adrianum, ab Adriano Imperatore in Epist. ad Minutium Fundanum, a Tito Antonino Imperatore in Epist. ad Asian. Vide *Euseb.* H. E. l. 4.

Factis Evangelicis Mahumetani quoque suffragantur. Mahumetes in *Alcorano*, & Moslemi Doctores Alcorani interpretes Christum Dominum magnum Prophetam fuisse prædicant, & hominem a Deo missum, atque innumera ab eo patrata fuisse miracula confitentur, inter quæ nonnulla commemorant quæ nos non agnoscimus.

9. Facta Evangelica necessariam connexionem habent cum factis posterioribus extra omnem controversiam positis. Nempe orbem fere integrum densis Paganismi tenebris obsitum ante Christi tempora jacuisse certissimum est. Constat pariter idola fuisse eversa, & cultum Christianum, etsi a nulla errorum nostrorum causa ortum habere potuerit, idolatricorum rituum loco obtinuisse. Hæc porro tanta rerum immutatio nonnisi a factis Evangelicis originem duxit, adeo ut planum sit nullam illius

assignari posse causam, nisi eorum veritas agnoscatur. Accedet huic argumento robur maximum ex infra dicendis de propagatione Religionis Christianæ.

10. Facta Evangelica ad nos usque transmissa sunt sine ulla corruptione, & depravatione. Ad hoc enim satis est, libros Novi Testamenti, & præsertim Evangeliorum, integros, & incorruptos usque ad nostram ætatem pervenisse. Arqui argumento triplici id facile adstruitur. Primum est, librorum hujusmodi, & rei Christianæ statum ab initio eum semper fuisse, ut illi libri a nemine corrumpi, & adulterari potuerint. Nam si adulterati, & depravati fuissent, vel a Judæis, vel a Paganis, vel a Christianis: Sed nullum horum dici potest. Non a Judæis, quippe cum tot ipsis adversantia in hisce libris etiamnum contineantur. Deinde passi-ne essent Christiani libros, quos manibus quotidie terebant, quos tamquam fidei suæ regulam summe venerabantur, ab extraneis corrumpi? Istud postremum evincit pariter neque a Paganis ejusmodi depravationem inductam; qui præterea nullo motivo ad eam tentandam impelli potuerunt. Jam vero neque a Christianis. Namque an ab omnibus uno consensu Christianis id tentatum, an ab aliquibus tantum? Non ab omnibus communi consilio. Quomodo enim omnes Christiani consentire inter se potuissent de sacro librorum suorum textu corrumpendo? quomodo sperassent non divulgandam ejusmodi librorum toto orbe disse-

mi-

minatorum corruptionem communi tot hominum consilio peractam? quomodo ejusmodi fraude & se, & Religionem suam ludibrio & irrisioni Paganorum & Judæorum certo exponere non dubitasent? quomodo, detecta illa fraude, potuiset Christiana Religio, quæ factis Evangelicis tota innititur, propagari? quomodo Christianis turpem hanc librorum suorum depravationem Celsus, Porphyrius, Julianus &c. non objecisent? Ergo evidentissimum est ab omnibus simul Christianis corrumpi non potuise Novi Testamenti libros. Planum est pariter ab uno aut paucis aliquibus Christianis id fieri nequivise. Etenim Novi Testamenti, ac præsertim Evangeliorum libri statim atque exarati sunt, in varias Orbis partes fuere deportati, & diseminati; innumera eorum exemplaria transcripta sunt; plures subinde in varias linguas editæ versiones; illorum intelligentiæ, & meditationi præcipue incumbebant Pastores; terebantur assidue a cæteris Christianis, & ab iis memoriter disci solebant; legebantur quotidie, & explicabantur in cœtibus fidelium; maxima aservabantur cura præsertim in Ecclesiarum matricum archivis; atque ex historia Ecclesiastica compertum est, quod & res ipsa loquitur, Christianos tanta erga ilios veneratione semper affectos fuise, ut in iis quidquam immutari tulisent nunquam, ac vel unius litteræ inter pronuntiandum mutatio de se indifferens magno crimini versa aliquando sit; ergo &c.

Ne

Ne adulterari potuerint Novi Teſtamenti libri, illud etiam maxime obſtitit quod ab Eccleſiæ incunabilis extiterint hæretici, Ebionitæ ſcilicet, Valentiniani, Carpocratiani, Gnoſtici &c. li adverſus Eccleſiam pugnantes, perverſa ſua dogmata male intellectis ſcripturæ locis adſtruere conabantur, & ex ſcripturarum auctoritate etiam revincebantur. An ergo Catholici libros ſacros corrumpere auſi fuiſsent? Sed ab illis hæreticis cum ignominia, & dedecore illico fracti fuiſsent. An illud moliti fuiſſent hæretici? Verum a Paſtoribus Catholicis contra fraudem aperte reclamatum fuiſset, ſacrilegumque erroris auſum, & temeritas repreſsa, quod & adverſus Valentinum, & Marcionem id facinoris attentantes factum legimus. Novi igitur Teſtamenti, & præſertim Evangeliorum libros corrumpi potuiſse nunquam permiſit eorum librorum, & rei Chriſtianæ ſtatus.

Alterum incorruptæ ejuſmodi librorum integritatis argumentum eſt, citationes locorum Novi Teſtamenti in SS. Patrum operibus, & in variis traditionis monumentis frequentiſſime occurrentes, exemplaribus textus ſacri, quibus hodie utimur, plane concinere; quod argumentum ſic proponi poteſt: Si libri Novi Teſtamenti corrumpi potuerint, vel antequam fidei illuſtrandæ ac defendendæ cauſa Scriptores Eccleſiaſtici opera edere cœperint, vel nonniſi poſtea: neutrum dici poteſt. Non prius; ſiquidem Evangeliſtarum, & Apoſtolorum libros, & Epi-

& Epiſtolas excepere ſcripta ab eorum diſcipulis exarata. Nec etiam poſterius; cum enim loca quæ in ejuſmodi auctorum Eccleſiaſticorum operibus leguntur, eadem in noſtris librorum ſacrorum exemplaribus extent, corruptionis argui non poſsunt exemplaria noſtra, quin Scripta auctorum Eccleſiaſticorum, aut ſuppoſita, aut ſaltem quantum ad Textus Scripturæ in iis citatos corrupta ſtatuantur. Atqui non ſuppoſita: quid enim repugnat magis quam tot ejuſmodi ſcripta, & monumenta ſuppoſitionis inſimulare, quorum propria ab immediate ſequentibus, & iſta rurſus ab aliis noſtro ævo vicinioribus laudantur, & fidem certam obtinent? Eadem ſcripta, & inſtrumenta adhuc abſurdius dicerentur ſolum corrupta quantum ad loca Textus ſacri in iis allata: enim vero Scriptores Eccleſiaſtici loca illa explicant, ex iis argumenta eruunt; atque eorum interpretationes, & ratiocinationes teſtimoniis ejuſmodi, prout in illorum ſcriptis nunc leguntur, conſentaneæ ſunt, & accomodatæ: ſed ſi teſtimonia illa in eorum operibus immutata fuiſsent, & corrupta, quomodo ſtaret hæc cohærentia, & conſenſio? Ergo Scriptores Eccleſiaſtici qui variis Eccleſiæ ſæculis floruerunt, eoſdem revera adhibuerunt ſacrarum Scripturarum textus quos in eorum operibus legimus; cumque ejuſmodi textus frequentiſſime ab iis laudentur, & noſtris librorum ſacrorum exemplaribus conſonent, conſequens eſt libros noſtros non fuiſſe adulteratos.

Ter-

Tertium argumentum ex consensione omnium exemplarium, & versionum eruitur. Etenim si textus librorum novi testamenti corruptus, & vitiatus fuisset; variarent eorum exemplaria, & versiones, atque in rebus maximis secum invicem non constarent. Atqui quantum ad mores, ad fidem, & ad substantiam factorum attinet, inter tot varia exemplaria seu manuscripta, seu edita textus primigenii librorum novi Testamenti, inter tot versiones diversas & ejusmodi textum, inter varia illarum versionum exemplaria summam esse consensionem affirmant unanimiter eruditi, qui rem ejusmodi accuratissime expenderunt. Ita testatur Ricchardus Simon in *Hist. critica textus novi Testam.* cap. 30. Ita Ludovicus Capellus *Criticæ sacræ* lib. 1. cap. 2. n. 13. Ita etiam liquet ex immensa illa variantium lectionum sylva, quas ex innumeris propemodum Novi Testamenti codicibus manuscriptis, versionibus, & editionibus, continuo 30. fere annorum labore collegit Jo: Millius in suo *Novo Testamento Græco*: de quibus merito Kusterus in præfatione ad secundam hujusce operis editionem observat; *plerasque Codicum MSS. lectiones variantes ita comparatas esse, ut parum, aut nihil inter eas intersit. Quid enim, quæso,* inquit, *interest utrum exempli gratia scribatur* κἀγὼ, *an* καὶ ἐγὼ *&c. & innumera alia hujus generis, quæ longe maximum variantium lectionum numerum in hac editione implent? Sane*, pergit ille, *si leviora illa a reliquis separaveris, mirum quam exiguus eorum*

rum reliquatur numerus, quæ videantur alicujus esse momenti, & erudito pioque lectori dubitandi materiam præbere possint utra lectio alteri præstet. Idem advertit Daniel Whitby in suo *Examine variantium lectionum Joannis Millii in novum Testamentum*, ubi ideo operam Millii tamquam inutilem, & nocivam reprehendit.

Objiciuntur aliqua, sed levioris momenti; 1. Decipi potuisse Apostolos, quippe qui rudes erant, & sine litteris; 2. Non repugnare eos nobis voluisse illudere, ac forte ex collusione natam esse consensionem illam summam quæ inter eos deprehenditur; 3. Periisse autographum Historiæ Evangelicæ, superesse tantum exemplaria ab Amanuensibus, & librariis transcripta aut impressa, proindeque innumeros potuisse irrepere errores; 4. Celsum olim Origeni objecisse a Christianis quibusdam textum Evangelii primigenium variis modis mutari; 5. referri a Victore Tununensi in *Chronico*: *Messala Consule, jubente Anastasio Imperatore, Sancta Evangelia tamquam ab idiotis Evangelistis composita, reprehensa fuisse, & emendata*: quod etiam narrat Isidorus Hispal. in *Chronol.6.* Duodecim postremos versus S. Marci olim in melioribus manuscriptis desideratos fuisse, testibus S. Greg. Nysseno, S. Hieron. & Euthymio: pariter in pluribus Græcis Exemplaribus Evangelicis S. Joannis desiderare vel obelo confodi historiam mulieris adulteræ; ac tandem deesse in plerisque codicibus Græcis, latinisque nonnullis versiculum 6. cap.5. Ep.1. S.Joan-

S. Joannis, *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.*

Resp. ad singula breviter.

Ad primum, & secundum, jam demonstratum est, Apostolos nec falli, nec fallere potuisse. Illud dumtaxat hic observandum superest, nempe incredulos in manifestam labi contradictionem, dum ex una parte volunt adeo rudes fuisse Apostolos, ut circa facta visibilia, & manifestissima, eorum oculis subjecta, decipi potuerint, & ex altera ponunt eos potuisse decipiendi universi Orbis consilium suscipere, & exequi.

Ad tertium, 1. Nullius historiæ veteris autographum habemus: ergone ideo de omnibus historiis dubitandum est? 2. Agitur hic de libro ubi primum prodiit per totum orbem disseminato, de libro cui omni ævo addictissimi fuerunt Christiani, quem illi summe venerabantur, quem quotidie legebant, atque meditabantur, quem in suis sermonibus, & scriptis perpetuo Pastores adducebant, & explicabant, cujus omnes versiones, omnia exemplaria inter se quantum ad substantiam maxime conveniunt. Ergo si multi extent veterum Libri, de quorum authenticitate, etsi perierit autographum, nemo sapiens dubitaverit; summæ profecto foret insaniæ de integritate libri Evangeliorum dubitare, quamvis autographum ejus exhiberi non possit. Sed

Sed ut quid autographum Evangelii sibi exhiberi increduli postulant ? Num si exhiberetur, ideo tricas movere, & cavillare desinerent ? Si sincere veritatem quærant, nonne ipsis satis esse debet, certo, ostendi authentica esse quæ adhibemus exemplaria ? Certe si ipsumet exemplar autographum superesset, quibuscumque momentis probaretur, illud esse autographum (non temere conjicimus), de ejusmodi probationibus eadem calliditate altercarentur, qua de evidenti nostrorum exemplarium authenticitate vitilitigant.

Ad quartum, ipse reposuit Origenes, fideles illos quos vocabat Celsus, haud alios fuisse revera quam Hæreticos, qui Christianorum titulum sibi impudenter arrogavere, neque a se quosquam cognosci evangelia corrumpere ausos, præter Marcionitas, & Valentinianos, quorum corruptiones jam diximus a SS.Patribus fuisse graviter notatas, & confutatas.

Ad quintum, Victor Tununensis refert unam voculam textus sacri jussu Anastasii Imperatoris in Nestorianismi gratiam a quodam Episcopo mutatam fuisse, reclamantibus Catholicis. Nonne hæc potius argumento sunt integritatis librorum sacrorum maxima cura servatæ ?

Ad ultimum, 1. Nullum factum in duodecim postremis S. Marci versiculis exprimitur, quod ab aliis Evangelistis non fuerit relatum. Ex historia Mulieris Adulteræ nihil prorsus in gratiam Religionis a nobis deducitur. Dogma Sanctissimæ Trinitatis aliis in locis expri-

primitur, quæ præcludendis Arianorum effugiis magis idonea sunt quàm versiculus 7. cap. 5. Epist. 1. S. Joannis; ergo causæ Christianæ parum interest ejusmodi locorum authenticitas.

2. Seu amanuensium incuria, seu quocumque casu factum sit ut circa tria illa loca codices varient, ea tamen esse authentica merito, & facile defendi potest.

Nam quantum ad duodecim ultimos sancti Marci versiculos, ii in omnibus exemplaribus, seu manuscriptis, seu editis, & in omnibus versionibus leguntur. Præterea laudati sunt a S. Iræneo, ab Ammonio, Eusebio, a Sancto Athanasio, & Augustino, a Theophylacto &c. proindeque de eorum versuum authenticitate non est quod dubitemus. Cur autem in pluribus manuscriptis codicibus olim omissi fuerint, rationem reddit S. Hier. *quod diversa atque contraria* cæteris Evangelistis continere videantur: quæ ratio nulla omnino est, ut ex commentariis interpretum ad hunc locum videre est; ergo &c.

Porro historiam mulieris Adulteræ, licet in pluribus Græcis exemplaribus desit, & a quibusdam Patribus omittatur, omnes tamen Stephanici codices retinent, & plerique alii optimæ notæ, quos Millius viderat. Eamdem laudant Ammonius Alexandrinus Origenis Magister, Tatianus, Eusebius, SS. Athanasius, Hieronymus, Ambros., August. Hanc habent versiones Persica, Arabica, Æthiopica, Coptica, & Vulgata Latina. Ergo tamquam authen-

thentica omnino habenda est. Cæterum ex Sanctorum Ambr. in *Apolog.2. pro Davide* cap.1. & August. lib. *De Adulterinis Conjugiis* cap.7. colligere est, unde factum sit, ut in aliquibus codicibus hæc historia non habeatur; nempe in iis omissa est, *ne*, ait S. Ambr. *si quis eam auribus accipiat otiosis, incentivum erroris occurrat*: vel, ut ait S. Augustinus, ne quis putaret *peccandi impunitatem dari mulieribus*.

De versiculo 7. cap.5. Epist.1. S. Joann. major est difficultas, de qua consule jam laudatum Millium in hunc locum, & Rogerium Ecclesiæ Bituricensis Decanum in *Dissert.* quam super hac re edidit ann. 1713. Interim cum testimonium illud reperiatur in antiquissimo codice Græco Britannico quem viderat Erasmus, in alio codice Græco Montfortiano, licet recentiori manu descripto, de quo P. Le Long *Biblioth. sacr.* Tom.1. pag.172. col.2. & in uno aliquo antiquissimo Vaticanæ Bibliothecæ codice, in quo se illud reperisse asserit P. Amelotte; cum idem exhibeant quamplurimi manuscripti codices latini antiquissimi, & vetus Correctorium Sorbonicum, cujus auctor circa decimum sæculum scripsit; cum in multis antiquis codicibus Græcis ad marginem suppleatur ille versiculus, & sæpe eadem manu; cum fere omnes manuscripti codices Græci, a quibus ille abest, sexcentis annis minores sint, ipso fatente Simonio in *Dissert. circa de mss. Novi Testamenti*; cum Ecclesia Græca versum hunc legat in suo Lectionario cui titulus ἀπόστολος, te-

feria 5. Hebdomadis 35. post Pascha, & in omnibus suis Bibliis, similiterque Ecclesia Moscovitica, quantumvis Latinis inimicæ; cumque præsertim adductus ille fuerit a Tertull. auctore Apostolicis temporibus vicino lib. *contra Praxeam* cap.25. a S. Cypr. Epist. ad Jubajanum, & lib. *De unit. Eclesf.* ab Auctore disputationis in Concil. Nicæno habitæ, inter opera S. Athanasii a Pseudo-Athanasio lib. 11. de *Trinit.* qui in editione Paris. anni 1627. nonus est, a S. Fulgent. lib. *De Trinit.* cap.4. & in Lib. *Respons. contra Arianos* ad object.10. ab Auctore Prologi in Epistolas Catholicas S. Hieronimo adscripti, ab Idatio lib.1. *contra Varimadum* cap.5. a quadringentis Episcopis Africanis in Sardinia exulibus in confessione Fidei oblata Hunnerico Vandalorum Regi ann.484. apud Victorem Vitensem lib.3. *de Persecut. Vandal.* a Vigilio Tapsensi, aliisque sexti sæculi scriptoribus, ac tandem a Casiodoro, cujus ea de re summa est auctoritas, in Summario hujus loci; versiculum hunc juxta prudentis critices regulas rejici non posse judicamus. Omnes vero corruent difficultates, si attendamus versum octavum ejusdem capitis iisdem ac 7. vocibus incipere, *Tres sunt qui testimonium dant*, adeoque versiculi septimi, de quo agimus, sine dolo prætermittendo facile ansam amanuensi præbuisse. Certe in Hebraicis Græcisque codicibus alia reperiuntur loca simili lapsu omissa, ut vers.36. capitis 21. libri Josue, qui versus in longe pluribus exemplaribus Hebrai-
cis

cis deest; quem tamen restituendum evidentibus argumentis demonstrant eruditi.

ARTICULUS II.

Ex Resurrectione Christi speciale argumentum eruitur.

Resurrectio Christi, si vere contigerit, evidentissimum est veritatis ejus doctrinæ, ac proinde Mysterii Incarnationis argumentum. Etenim tria in ea includuntur maxima miracula: nempe 1. Est resurrectio, quod ostentum cætera quævis prodigia, omnibus fatentibus, superat: 2. Est resurrectio ipsius Prophetæ cujus missio probanda erat, & quidem resurrectio effecta sine ullius alterius hominis sancti interventu: 3. Hanc sui resurrectionem ejusque diem Christus pluries conceptis verbis prædixerat. *Dixit illis* (Discipulis) *Jesus*, inquit Sanctus Matthæus cap.17. v.21. & 22. *Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget*. Vide etiam Matth.16. v.21. & cap.20. v.19. Mar.8. ver.31. cap.9. v.30. & cap.10. ver.34. Luc.9. v.22. & cap.18. v.33. Joann.2. v.19. &c.

Atqui Christum resurrexisse indubitatum est: quod duplici conficio argumento.

Primum sic se habet: Illud factum indubitatum est, quod plurimorum testium oculatorum, qui nec decepti, nec deceptores fuerunt,

runt, auctoritate comprobatur: atqui Resurrectio Christi &c.

1. Resurrectio Christi plurimorum Testium auctoritate comprobatur. Christus enim post Crucem, & mortem sibi irrogatam multis se vivum compluries exhibuit. Matth. 28. Marc. 16. & Luc. 24. narratur quomodo Christus apparuerit tum mulieribus sanctis, quæ cum aromatibus ad ejus sepulchrum venerant, ut ejus corpus ungerent, tum Discipulis duobus in Castellum Emmaus euntibus, tum undecim Apostolis, aliisque Discipulis qui cum illis erant congregati. S. Joannes Evangelii sui cap. 20. & 21. Christum Apostolis ter apparuisse commemorat. Ex Actib. 1. v. 3. Apostolis Christus *præbuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei*. Testatur S. Paulus 1. Cor. 15. v. 3. & seqq. *quoniam Christus mortuus est . . . . & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas: & quia visus plusquam quingentis fratribus simul: ex quibus*, inquit, *multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. Novissime autem omnium*, subdit ille, *tamquam abortivo visus est mihi*. Plurimorum igitur oculatorum testium auctoritate resurrectio Christi confirmatur.

2. Illi testes non fuerunt decepti. Ii namque in ejusmodi negocio falli non potuerunt, qui ad credulitatem minime proni, non facile, nec

nec nisi cunctis caute perpensis rem esse sibi persuaserunt. Atqui Apostoli, & Discipuli, scripturarum juxta quas Christus a mortuis suscitandus erat adhuc nescii (Joan.20. v.9.) non facile, nec nisi cunctis caute perpensis Christum resurrexisse sibi persuaserunt. Ne ipsæ quidem Mulieres Sanctæ ad fidem resurrectionis suscipiendam plus æquo sese ostenderunt proclives; & ex Evangelio (Joan.20. v.11.) apparet præter earum expectationem id prodigii evenisse. Quoad Apostolos autem, dum *regressæ a monumento* mulieres *nuntiaverunt hæc omnia*, quæ ipsæ viderant, *illis undecim, & cæteris omnibus*, S. Luca teste cap.24. v.9. & 11. *visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis* Apostoli. Neque etiam ut Apostoli hoc sibi miraculum persuaderent, satis iis fuit (Marc.16. v.12. & 13.) testimonium Discipulorum, quibus in Castellum Emmaus euntibus Christus sese manifestaverat. Ad eorum frangendam incredulitatem necesse fuit, ut Christus ipse ante eorum oculos se sisteret, ut eis, Luc.24. v.39. manus suas, & pedes confixos ostenderet, ut sese iisdem palpandum exhiberet, ut postremo cum illis manducaret, & biberet, v.41. & 43. Atque adeo oppositum credulæ temeritati affectum, & animum gerebant, ut Thomas, qui tunc aberat, cum Christus cæteris sese ostenderat, redux deinde noluerit uniformi Apostolorum testificationi credere. *Nisi videro*, inquiebat ille Joan.20. v.25. *in manibus ejus fixu-*

 ram

ram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam: Et revera ab ejusmodi obstinatione sua non recessit Thomas, donec die ab hinc octavo Christus iterum Discipulis apparens, illum in manus suas, & in latus suum digitos inferre jussit, ut ejus incredulitatem sanaret, Joan.20. v.26. & 27. Decepti ergo non fuerunt resurrectionis Christi testes.

3. Noluerunt decipere. Huc ea recurrunt invicta momenta ex conditione, moribus, & n dole Apostolorum, & ex eorum prædicationis fine ac adjunctis deprompta, quibus supra pag.172. demonstravimus Apostolos non fuisse deceptores. Quæ quidem eo aptius huic loco accomodata sunt, quod, ad persuadendam Christi fidem Apostoli ab initio prædicationis suæ resurrectionem ejus maxime, & perpetuo attulerint. Nempe resurrectio Christi ipsis fuit fundamentum prædicationis suæ ac totius fidei & spei christianæ. *Si autem Christus non resurrexit*, inquiebat S. Paulus 1. Cor. 15. v.14. 17. & seqq. *inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est fides vestra ..... adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Ergo Apostoli idcirco tot laboribus se dediderunt, tot periculis caput objectarunt, quia ipsis persuasissima erat Christi resurrectio, atque in ejusmodi facti, quo tota eorum spes innitebatur, confirmationem, sanguinem suum fuderunt.

Al-

Alterum argumentum ejusmodi est: vel Christus vere surrexit a mortuis, vel ejus Discipuli, corpore ejus sublato, hunc a mortuis resurrexisse divulgarunt. Enimvero si Christus non resurrexisset, & Apostoli, corpore ejus non subrepto, hunc tamen resurrexisse statim, & tanto apparatu prædicassent, id facinoris viri illi religiosi & sapientes ausi essent, quod ne quidem ab hominum impudentissimis attentaretur; atque ipsum sepulchrum Domini, & corpus ejus penes Principes Sacerdotum, & Pharisæos existens illos adeo turpis mendacii manifestos fecisset, ut nemo eos audire voluisset. Atqui Apostoli corpus Christi non sustulerunt, ut ipsum a mortuis resurrexisse persuaderent. Nam 1. cautiones, ne id eveniret, a Principibus Sacerdotum, & Pharisæis adhibitæ furtum illud impossibile effecerant. Nempe ii obsignandum curaverant magnum illud saxum advolutum ad ostium monumenti novi, & in petra excisi, quo Christi corpus reconditum erat, ac sepulchrum illud militibus usque in diem tertiam, qua sese resurrecturum Christus asseruerat, cura maxima custodiendum commiserant. Vide Matth. 27. v. 63. & seqq. & cap. 28. v. 4. 11. & seqq. Ad suffurandum itaque Christi corpus, vel adversus milites armis dimicandum, & prævalendum fuisset; vel custodum hujusmodi, quos Pharisæi, & Sacerdotum Principes e sinu suo (Matth. 27. v. 63. & 66.) apposuerant, vigilantia fallenda, aut corrumpenda fides; vel ad monumentum in pe-

pe tra excisum via sibi aliqua subterranea aperienda, cujus nulla vestigia remansissent. Atqui tria hæc, ut patet, perinde impossibilia erant. Cautionibus igitur quas Pharisæi, & Principes Sacerdotum adhibuerant id effectum, ut Christi corpus a nemine potuerit e sepulchro subripi.

2. Si ejusmodi furtum aliquo modo fieri potuisset, certe non ab hominibus exterritis, periculi metuentibus, pavidis, & consternatis: atqui passione Christi ita exterriti, & consternati fuerant ejus Discipuli, ut *omnes relicto eo, fugerint*, Matth. 26. v. 56. ut ipse Petrus, qui omnium fortissimus videbatur, ter eum negaverit, ibid. v. 33. 35. 51. 70. & seqq. ut denique mortuo Christo omnes in cœnaculum se receperint, ibique manserint *foribus clausis, propter metum judæorum*, Joann. 20. vers. 19. ergo &c.

3. Denique si hoc furto sese obstrinxissent Christi Discipuli, nonne facillime illo crimine convicti fuissent? Certe illi nec fuga, nec latebris, inquisitiones, judicium, aut pœnam subterfugerunt. Vel initio prædicationis suæ, id est ipso quinquagesimo-tertio die a morte Christi sese aperte coram Judæis promulgaverunt resurrectionis ejus testes, atque ex hoc præsertim prodigio ipsum a Deo constitutum Dominum, & Christum Judæis demonstrare aggressi sunt. Exinde perpetuo, constanter, confidenter idem testati sunt, & ut invictum fidei Christianæ argumentum auditoribus subje-

cerunt. Judæorum igitur Christo adversantium referebat maxime, ut Discipuli circa resurrectionem Christi, quam prædicabant, doli mali convincerentur. Quare igitur id a principibus Sacerdotum, & a Pharisæis non tentatum? Numquid timendum fuit ne ejusmodi facinus Discipulorum ita occulte, & secreto patratum esset, ut nullo pacto posset detegi? Nonne potius tum ipsum rei genus, tum cautiones quas jam diximus a Judæorum principibus adhibitas fuisse, fraudis, si qua fuisset, certo certius detegendæ indubitatum erat indicium? Quare ergo nullam de ejusmodi negotio inquisitionem principes Sacerdotum, & Pharisæi præscripsere? Nodum solvit S. Matth. cap. 28. v. 11. & seqq. hæc scribens: *Quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus Sacerdotum omnia quæ* (resurgente Domino) *facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia Discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus: & si hoc auditum fuerit a Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus*. Ubi contradictio manifesta cum S. Augustino advertenda est. Nam, *si dormiebant*, inquit S. Doctor, *quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt?* Verum principes Sacerdotum, Pharisæi, & Seniores, veriti ne quo major inquisitio circa Christi resurrectionem ageretur, eo amplius illud con-

firmaretur prodigium, quidquid sibi mente oblatum est avide arripuerunt, obstinati non decernere, ut ea de re legibus quæreretur.

Dices 1. Si Christus resurrexisset a mortuis, resurrectio ejus fuisset publica sicut & ejus mors fuerat, nec solum Discipulis post resurrectionem suam apparuisset, sed omni Israeli; ergo &c. 2. Auctores profani nullam Christi resurrectionis mentionem faciunt; ergo &c. 3. Repugnat Christum semetipsum resuscitasse; ergo. 4. Apostoli apud Luc. cap.24. & Joann. cap.20. referuntur vulnera Christi a mortuis suscitati inspexisse, & tetigisse: at quomodo vulnera, quæ Christo mortem intulerant, potuerunt post ejus resurrectionem, in ipsius corpore remanere, conspici, & tangi? ergo &c.

Resp. ad primum: Nego anteced. Ut factum aliquod certissimum sit, necesse non est illud perinde esse publicum ac mors Christi fuerat: sufficit plane auctoritas plurimorum testium oculatorum, qui nec falli, nec fallere potuerunt. Et certe nonne satis publica facta est resurrectio Domini vel ex solis cautionibus, quas Judæi adhibuerunt, ne quid fraudis ea in re posset obrepere? Quo autem fine Deus Christum quem *suscitavit tertia die, dederit manifestum fieri non omni Populo*, ut ait S. Petrus Act.10. v.40. & 41. *sed* tantum *testibus præordinatis a Deo*, Apostolis scilicet & Discipulis, *qui manducaverunt & biberunt cum illo postquam resurrexit a mortuis*; quo, inquam, fine

ne Deus ita dispofuerit, certo aſſignare non poſſumus, quia ſapientiſſimas, & altiſſimas conſiliorum ſuorum vias hic, ut & in aliis multis, non dignatus eſt hominibus revelare. Id tantum novimus populum Judaicum malitia, incredulitate, & pervicacia ſua ſeſe illa gratia indignum præbuiſse, ac tum ipſi tum nobis ſatis eſſe teſtes reſurrectionis Chriſti præordinatos a Deo fuiſse ejuſmodi, ut fides indubitata, & inconcuſsa ipſis debeatur.

Ad ſecundum reſp. auctores profanos, dum Chriſti, & prodigiorum ejus generatim mentionem faciunt, omnia facta Evangelica, ac ipſam proinde reſurrectionem Domini confirmaſse. Eorum porro de Chriſti ſpeciatim reſurrectione ſilentium abunde ſuppletur, & compenſatur tot Gentilium ad fidem Chriſti converſione, qui accuratius, & proprius rem inſpexerant quam profani Hiſtorici.

Ad tertium nego anteced. Poſito Incarnationis Myſterio, non magis repugnat Chriſtum ſemetipſum reſuſcitaſse, id eſt Divinitatis Chriſti virtute corpus ejus, & animam in priſtinum ſtatum reddita, & ſibi invicem denuo inita fuiſſe, quam impoſſibile eſt alium hominem a Deo reſuſcitari. Verum hoc unum impræſentiarum volumus Gentilibus, & incredulis ſuadere, Chriſtum a Deo fuiſse ſuſcitatum, ac proinde doctrinam ejus eſse veram: quod ſi ſemel illi faterentur, cito convinci poſsent Dominum Jeſum, in una Verbi perſona, naturæ divi-

næ, & naturæ humanæ esse consortem, ac proinde semetipsum resuscitare potuisse.

Ad quartum, falso ponitur Evangelistas loqui de vulneribus, quæ post resurrectionem Christi eodem in statu fuerint ac quando ille in cruce pendebat. Sermonem faciunt tantum de ostensis a Christo manibus, pedibus, & latere, de *fixura*, *& loco clavorum*; quibus nemo non videt significari solum ejusmodi vulnerum notas, & cicatrices; ergo &c.

Articulus III.

De Miraculis, quæ ab Apostolis; eorumque Discipulis, ac primis Fidelibus edita sunt.

Maxima, & splendidissima ab Apostolis, & eorum Discipulis aliisque piis Religionis Christianæ cultoribus patranda esse miracula, prænuntiaverat, & præmiserat ipse Christus Dominus Marc. 16. v. 17. & 18. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt*, & Joann. 14. v. 12. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*. Quod oraculum in Apostolis completum fuisse, ex supra dictis art. 1. p. 171. indubitatum est. Similiter autem innumera

mera ab Apostolorum Discipulis, a Martyribus & aliis fidelibus esse primis Ecclesiæ sæculis patrata miracula, testes sunt S. Justinus *Apol.*2. num.6., & *Dialog. cum Tryphone* num.88. S. Iren. lib.2. *contra hæreses* cap.32. (olim 57.) num.4. Orig. *contra Celsum* passim, præcipue vero lib.1. num.2. & 46., & lib.2. num.8. &c. Tertull. *ad Scapulam* cap.2. & 4., & *Apologet.* cap.23. S.Cypr. ad *Demetrian.* & Epist.2. *ad Donatum &c.* aliique illorum temporum Scriptores Ecclesiastici. Unius S. Irenæi textum exhibere liceat. *In illius* (Jesu Christi) *nomine*, inquit loco citato, *qui vere illius sunt Discipuli, ab ipso accipientes gratiam, perficiunt beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim dæmones excludunt firmissime, & vere, ut etiam sæpissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, & sint in Ecclesia. Alii autem, & præscientiam habent futurorum, & visiones, & dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant, & sanos restituunt. Jam etiam quemadmodum diximus, & mortui resurrexerunt, & perseveraverunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est numerum dicere gratiarum, quas per universum Mundum Ecclesia a Deo accipiens, in nomine Christi Jesu crucifixi sub Pontio Pilato per singulos dies in opitulationem Gentium perficit... Nec invocationibus Angelicis facit aliquid, nec incantationibus, nec reliqua prava curiositate: sed mun-*

de

de & pure, & manifeste orationes dirigens ad Dominum qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Jesu Christi invocans, virtutes ad utilitatem hominum, sed non ad seductionem, perficit.

Ipsis Paganorum adversus Christianos calumniis confirmantur hæc Scriptorum Ecclesiasticorum testimonia. Quare enim Christiani a Gentilibus veritati repugnantibus sæpe appellati sunt incantatores, & incantatorum Secta? Non aliam sane ob causam, quam propter frequentia illa, quæ edebant signa, & prodigia. Videatur Celsus apud Orig. Lib. I. n. 16. &c. Svetonius in Nerone, Lucianus *De morte Peregrini &c.*

Jam vero hæc miracula non leve esse veritatis Christianæ, ac proinde Incarnationis argumentum, nemo non videt, atque illorum pondus ex eo etiam maxime augetur, quod ea, ut vidimus, prædixerit Christus Dominus: unde nihil mirum, si Religionis propagationem adeo juverint, & promoverint.

Articulus IV.

Christum esse a Deo missum ejus Religionis propagatione ostenditur.

Religionis Christianæ propagatio Christi missionem esse divinam adeo manifeste evincit, ut mirum videatur vi hujus argumenti incredulorum pervicaciam non frangi; ea quip-

quippe omnium miraculorum maximum est, præsertim si virtute miraculorum Christi, & Apostolorum non fuerit peracta ut increduli statuunt. Sic enim argumentari licet: Maximum sane est prodigium ope paucorum hominum simplicium, omni humano auxilio destitutorum, late per orbem, & velocissime propagatam fuisse Religionem sanctam, eorum quibus annuntiabatur affectibus plane contrariam, & omni genere potentissimorum hostium impugnatam; solus enim Deus qui voluntatum humanarum quo voluerit inclinandarum habet omnipotentissimam voluntatem, tanti prodigii auctor esse potest.

Atqui 1. Religio Christi late per Orbem, & velocissime propagata est. Testis est S. Paulus qui in Epistola ad Romanos ajebat cap. 1. v. 8. *fidem eorum annuntiari in universo Mundo*: & cap. 10. v. 18. *in omnem terram exivisse sonum* vocis Discipulorum Christi, *& in fines orbis terræ verba eorum*: & cap. 16. v. 25. & 26. gratias esse agendas Deo, quod Evangelium esset *in cunctis gentibus cognitum*. Idem Apostolus in Epistola ad Colos. 1. v. 6. scribit: *Evangelium in universo Mundo fructificare, & crescere sicuti in illis*; & v. 23. *illud in universa creatura quæ sub cælo est prædicari*. Vide etiam cap. 3. Epist. 1. ad Tim. v. 16.

Testes sunt omnes Scriptores Ecclesiastici S. Justinus Apologia prima, S. Irenæus lib. 1. *adversus hæreses* cap. 5. Tertullianus lib. 1. adversus Judæos, & in Apologetico, Origenes tum

tum homilia 4. in Ezechielem, tum lib. 1. contra Celsum. S. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, Arnobius lib. 2. &c. Testes sunt ipsimet auctores pagani: Seneca Christianos Judæorum nomine designans, quod Scriptoribus profanis tunc temporis non infrequens est, eo quod Christiani ex Judæis essent orti, sic habet apud S. Augustinum lib. 6. de Civit. Dei cap. 11. *Sceleratissima gentis consuetudo usque eo invaluit, ut per omnes jam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt*: quæ verba Rutilius Nomentianus, *Itinerarii* lib. 1. sua fecit.

Tacitus Annalium lib. 15. cap. 44. immensæ multitudinis Christianorum, qui in persecutione Neronis, variis suppliciis affecti mortem subierunt, mentionem facit.

Plinius Junior in celebri Epistola quam dum Pontum ac Bithiniam regeret versus annum 104. ad Trajanum Imperatorem de Christianis misit, non modo innocentiæ Christianorum fidejussor est locuples, sed & eorum multitudinis, & diffusionis. Ait enim illam Religionem, quam superstitionem vocat, in Urbibus ac in vicis apud cujuslibet ætatis, conditionis ac sexus personas obtinere.

Dion Lib. 37. loquens de Christianis sub nomine Judæorum, *Est etiam*, inquit, *apud Romanos genus istud imminutum quidem sæpe numero, adeo tamen auctum, ut vim legum pervicerit*.

Atque hæc quidem spectant priora sæcula ante Imperium Constantini elapsa. Quod si sæculo-

culorum ſubſecutorum rationem habeas, nonne mirum nationes barbaras a quibus imperium Romanum deſtructum eſt, Chriſto ſe ſubdidiſſe? hæreſim Arianam, & ſi dogma rationi penitus impervium impugnaret, etſi omni Imperatorum auctoritate fulciretur, nunquam prævalere potuiſſe? per ipſum decimum ſæculum plures Nationes Chriſto fuiſſe partas, atque etiamnum ad Indias ſeu Orientales, ſeu Occidentales ab Eccleſia Catholica tot mitti Evangelii præcones qui juxta præſcriptum Chriſti illarum religionum incolas ad ejus fidem convertant? denique Religionem Chriſtianam quæ perpetuo, & undequaque impugnatur, ſemper firmam, & ſtabilem ſine ulla ſui mutatione permanſiſſe?

2. Ope quorumdam hominum ſimplicium omni auxilio humano deſtitutorum Chriſtiana Religio ſic propagata eſt. Apoſtoli enim, ut conſtat non modo ex Hiſtoria Evangelica, ſed etiam ex omnium conſenſu, erant viri ſimplices, plebeji, illiterati. Media humana quibus homines ſeducuntur, vel ſunt promiſſiones de honoribus, & divitiis concedendis, vel minæ de hujuſmodi bonis auferendis. Hæc media ab Apoſtolis adhiberi non potuerunt, quippe qui ad gentes verbo Dei ſubigendas miſſi fuerant pauperes, neque aurum, neque argentum poſſidentes, viri privati, ſine auctoritate, vexationibus, ac inſectationibus obnoxii, quorum arma patientia, crux Chriſti, Verbum Dei,

3. Re.

3. Religio Christi eorum quibus annuntiabatur affectibus erat contraria. Hi enim vel erant Judæi, vel Pagani. Judæi verum quidem agnoscebant Deum, sed cupiditatibus, & affectibus terrenis plerique irretiti divina sacrorum vatum Oracula carnali sensu interpretabantur, atque ideam Messiæ longe diversam ab ea, quam Christus exhibeat, sibi efformabant. Denique ceremoniis legis suæ plus æquo addicti, dignos morte judicabant quotquot eas abolendas esse sentiebant.

Pagani vero de quibus præsertim hic agitur, extincto in se sensim rationis lumine in cæcitatem mentis & corruptionem summam inciderant. Astris, fluminibus, bestiis, animalibus vilissimis, plantis, manuum suarum operibus, ipsis morbis, & calamitatibus quibus homines affliguntur, ipsi amori impudico honores divinos exhibebant. In honorem Veneris celebrabantur projectæ libidines, Diis homines immolabantur, vel nobilissimæ nationes ejusmodi abominationibus erant addictæ, tantisque in tenebris, ac corruptione miseri mortales tunc temporis erant demersi, ut maximi Philosophi, Socrates, Plato &c. unicum, summum Deum quem agnoscebant, non ausi sint populo colendum proponere, ne se irrisioni ac periculo mortis exponerent. Hæc ex historia certissima sunt.

Itaque suadendum erat Judæis virum nomine Jesum, pauperem, multis modis exagitatum, opprobriis saturatum, cruci tandem affixum,

xum, hunc esse Messiam quem expectabant; eorumque legis ceremonias tandem abolendas. Non ergo admirari subit quod tot Judæi terrena appetentes Christo non crediderint; sed ad illud potius, si Christus miracula, ut increduli volunt, non patrasset, maxime obstupendum, quod Judæorum magna multitudo Christi fidem susceperit, eique ut vero suo Messiæ regi spirituali adhæserit.

Gentilibus porro persuadendum erat eos omnes Deos quos colebant, quique cultorum suorum cupiditatibus favebant, esse rejiciendos, omnia sacrificia, omnes superstitiones ab ipsis adhibitas debere deleri; ejusmodi numinum loco non modo adorandum esse in spiritu, & veritate supremum Deum, criminum vindicem, sed & Jesum Christum hominem-Deum a Judæis crucifixum; hujus fidem tenendam; Legi ipsius obtemperandum; exemplis adhærendum; refrænandas proinde cupiditates &c. Religio igitur Christiana, cum ab Apostolis, & eorum Discipulis promulgata est, eorum quibus annuntiabatur affectibus summe repugnabat.


4. Omni genere hostium impugnabatur. Nam ut Religio Christi stabiliretur, vincendi fuere adversarii, quos in Religionem suscitabant præjudicia, & cupiditates quibus adversabatur. Vincenda fuit Philosophorum facundia atque subtilitas religionem suam pro virili defendentium, ac Christianam fidem summo conatu aggredientium; vincenda fuit Impera-

torum

torum religionem paganam legibus confirmantium, & in Christianos tyrannice desævientium ipsamet suprema auctoritas; hæc, inquam, vincenda fuere crucis Christi, & verbi Dei virtute, patientia in tribulationibus, & suppliciis, ac sanguinis sui effusione. Superandum fuit, & aliud hostium genus Religioni magis adhuc reformidandum, hæresis nempe, & schisma perpetuo pullulans, atque auctoritate tota Imperatorum aliquando suffultum. Denique Religio debuit integra permanere, etsi major eam profitentium pars mores sequeretur perversos, etsi maxima extiterint scandala, ut a Christo prædictum fuerat; etsi, quod ad doctrinam fidei, & morum attinet, nunquam sese tempori accomodare voluerit Ecclesia, nec suis definitionibus quidquam detrhai permiserit, ut suæ securitati consuleret.

Ergo Religio Christiana, nisi fuisset opus divinum, neque hocce modo propagari; neque hactenus illibata stare potuisset.

FINIS.



DE NESTORIO, ET EJUS HÆRESI EXPOSITIO HISTORICA.

§. I.

De Nestorii persona, Patria, præceptoribus, ac moribus.



NESTORIUS Germanicia Syriæ oppidulo oriundus, Monasticam vitam in Laura S. Euprepii, prope Antiochiam, professus est: quo in genere vitæ socios habuit Joannem & Theodoretum. Antiochenæ deinde Ecclesiæ Presbyter factus; mortuo Sisinnio Constantinopolitano Episcopo, cum Clerus divisus esset in partes, & alii Proclum, alii Philippum Presbyterum ad illius regimen Ecclesiæ promovere studiis omnibus conarentur, Theodosius Imperator ex Antiochenæ civitatis Presbyterio Nestorium evocavit, virum eloquentiæ doctrinæque opinione celebrem. Ipsum Pauli Samosateni nepotem

vocat Suidas, non quod eodem genere oriundus esset, sed ob consanguinitatem doctrinæ. Præceptorem habuit Theodorum Mopsuestenum, a quo de Incarnatione Verbi male sentire didicit. Sanctitatis speciem affectabat, cui fidem conciliabant pallor vultus maciesque corporis, indices abstinentiæ, cogitabunda frontis gravitas, & modesta quædam tristitia, pulla vestis, solitudinis & librorum amor. Constantinopolim advenit Tauro & Felice Coss. anno Christi 427. ibique ordinatus est 4. Idus Aprilis. Statim post inaugurationem suam, cum orationem ad Imperatorem haberet, in eas voces erupit: *Tribue mihi, Imperator, terram Hæreticis purgatam, & ego tibi cælum tribuam. Tu mihi in profligandis Hæreticis subveni: & ego tibi in profligandis Persis subveniam.* Quibus vocibus, inquit Socrates, visus est non tam zelum Fidei, quam animi intempestivam audaciam, & inanis gloriæ cupiditatem prodidisse. Arianos, Macedonianos, Quartodecimanos insectatus est, omnibusque hæresibus bellum indixit, ut uni suæ hæresi aditum patefaceret, inquit Vincentius Lirinensis. Auctor fuit Theodosio ferendæ adversus omnes Hæreticos Legis, ad Florentium Præfectum Prætorio directæ. Cum Arianorum Templum demoliendum curaret, ipseque faces præ iræ impotentia in tectum injecisset, ignis vicinas ædes corripuit, incendiique periculum creavit Urbi Regiæ. Unde commotus populus ipsi incen-

cendiarii nomen indidit. Lege Theodoretum in Epiſtola ad Sporadium, Socratem lib.7.c. 29. Evagrium. lib. 1. c. 2. & Liberatum Diaconum in Breviaro c. 4. Hanc primum famæ ſuæ maculam aſperſit Neſtorius, quod Pelagianos foverit, ut colligitur ex Epiſtola Cæleſtini Romani Pontificis ad ipſum data, qua Neſtorii Epiſtolæ in gratiam Pelagianorum Conſtantinopoli degentium ad ſe ſcriptæ reſpondit.

§. II.

De erroribus Neſtorii, & ipſius Hæreſeos exordio.

IPſo ſuæ Ordinationis anno primo, Neſtorius novam hæreſim molitus eſt, ut ex Lucentii Chronico Liberatus refert. Hujus palmares errores duo. Primus, Hominem in utero Virginis formatum alium eſſe ab unigenito Dei Verbo, & Incarnationem eſſe meram inhabitationem Dei Verbi in homine velut in ſuo Templo, adeoque Deum non eſſe natum, paſſum & mortuum; nec Chriſtum eſſe Deum, ſed Templum dumtaxat Dei. Alter ejus error erat, quod B. Virginem Mariam θεότοκον *Deiparam*, eſſe negaret: χριστότοκον, ac ἀνθρωπότοκον dicendam potius aſſereret. Id conſtat ex Neſtorii Sermonibus, Epiſtolis, Anathematiſmis, quos S.Cyrilli Capitulis oppoſuit: ex Anathematiſmis & libris ipſius S.Cyrilli adverſus Neſtorium,

ex Actis Ephesinæ Synodi, ex Mario Mercatore, Theodoreto lib.4. Hæreticarum Fabularum, Socrate, Evagrio, Liberato, Cassiano, Vincentio Lirinensi, S. Leone, Facundo Hermianensi, Leontio in libro de Sectis, &c.

Blasphemiarum præcones adhibuit Dorotheum quemdam Episcopum, & Anastasium Presbyterum, qui anathema in eos, qui Beatissimam Virginem Mariam Deiparam dicerent, in Ecclesia sedente ac probante Nestorio, impudentissime inclamaverunt, ut referunt S. Cyrillus in Epistola ad Acacium Beroensem, Socrates, Evagrius, Liberatus locis laudatis. Omnibus ad impias voces cohorrescentibus, simplex quidam Monachus palam contradixit, & Anastasium velut hæreticum ab Ecclesiæ ingressu arcere conatus est. Sed Vir Sanctus Nestorii oppressus potentia, flagris publice cæsus est, & missus in exilium, ut testantur Monachi Constantinopolitani in Supplicatione Imperatori oblata, quæ extat 1. p. Concil. Ephes. c.30. Mox a Synaxibus abstinere cœperunt Monachi, Senatusque & populi Constantinopolitani maxima pars, ne se Nestorii communione polluerent, ut testatur S. Cyrillus in Epistola ad Cælestinum I. quæ extat 1. p. Concil. Ephes. cap. 14.

Non multo post, Nestorio nefariæ hæreseos venenum in Concionibus spargente, Eusebius caussarum Patronus, eximium animo-

fæ in defendenda Fide fortitudinis ſpecimen dedit, Conteſtatione in Neſtorium publice propoſita, tamquam impia Pauli Samoſateni dogmata renovantem, quæ extat 1. p. Concilii Epheſini, cap. 13. Tunc & Presbyteri in Eccleſia quæ *Irene Maritima* dicebatur, Concionibus dogma hæreticum arguere cœperunt, ſed frendentis Epiſcopi minis & auctoritate ſilere juſſi. Unde accidit, ut populus uſitatam Fidei prædicationem requirens publice inclamaret: *Imperatorem habemus, Epiſcopum non habemus*. Id referunt Baſilius & Monachi in Supplicatione, quæ extat 1. p. Concilii Epheſini, cap.30.

Anno Chriſti 429. Proclus qui a Siſinnio Cyzicenorum Epiſcopus ordinatus fuerat, in maximo omnium Ordinum cœtu, admirabilem pro Virgine Deipara Orationem habuit contra Neſtorium, die 29. Martii. Cui continuo contradixit Neſtorius extemporali Oratione, & tribus exinde Sermonibus.

Interim, quo latius ſpargeret hæreſim, primum ſuum *de Incarnatione* Tractatum, aliaſque Homilias, in Ægyptum miſit per fidos homines: ex quo neceſſitas impoſita eſt S. Cyrillo, ut obviam iret malo, ſcribendi Epiſt. ad Monachos, ut teſtatur ipſe ad Cæleſtinum Papam ſcribens. Extat 1. p. Concilii Epheſini, c. 2. Hæc Epiſtola Neſtorii exacerbavit animum, & Photium quemdam ipſi reſpondere juſſit. Accuſatores præterea ſubornavit, qui oblatis Theodoſio Libellis Cy-

rillum turbarum, & pene usurpatæ in Ægypto tyrannidis reum agerent, ut testatur S. ipse Cyrillus *in Apologia ad Theodosium*.

Eodem anno scripsit ad Nestorium S. Cyrillus, quem sibi succensere acceperat, propter Epistolam ad Ægypti Monachos datam. Ac primo aliquatenus se excusat, ut Hæresiarcham lenitate sua ad saniorem mentem revocare possit, ipsum deinde rogat in visceribus charitatis, ut errorem incaute forsan propalatum emendet, ac B. Virginem Deiparam vocare non gravetur. Extat hæc Epistola 1. p. Concilii Ephesini, cap. 6. Rescripsit Nestorius alteram, frigidam omnino ac jejunam, qua conquerebatur, quod intemperantius ad se prior scripsisset. Hanc deferri curavit per Lamponem Presbyterum & Monachum. Extat ibidem cap. 7.

Post hæc Anastasius, impudentissimus ille Nestorianæ hæreseos præco, sese pacis studiosum simulavit, & eadem se cum Cyrillo sentire palam mentitus est, ut testatur Cyrillus ipse *in Epistola ad Clericos Constantinopolitanos*, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini, cap. 12. Tunc temporis alteram ad Nestorium Epistolam dedit S. Cyrillus, quæ ibidem extat cap. 8. In ea conqueritur primo de calumniis ab eo sibi illatis. Secundo, ipsum hortatur ut sectetur sanam doctrinam, legat & sequatur Sanctos Patres, nihil inter concionandum populo proponat, quod scandalum movere possit. Tertio, suam circa

In-

Incarnationem Verbi divini Fidem exponit. Quid ad hæc Neſtorius? Alteram & ipſe repoſuit ad Cyrillum Epiſt. ſuperbiam, & inſolentiam Auctoris redolentem. In ea monet Cyrillum ut attendat lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Scribit quod Cyrillus obiter tantum legens Sanctorum Traditionem, inſcitiam venia dignam hauſerit: quod arbitratus perperam fuerit Verbum Dei patibile ab illis traditum eſſe. Addit Virginem Mariam non *Deiparam*, ſed *Chriſtiparam* appellandam eſſe.

Inter hæc cum Neſtorius ad Cæleſtinum Pontificem Maximum data ſemel & iterum Epiſtola, ipſius animum occupare tentaſſet, S. Cyrillus veritus ne Romano Pontifici imponeret vafer Hæreſiarcha, ipſum de illius erroribus certiorem fecit, & de iis quæ in ipſum huc uſque egerat. Extat Epiſtola 1. p. Concilii Epheſini, cap. 14. Sic inſcribitur: *Beatiſſimo, Deoque dilectiſſimo Patri Cæleſtino in Domino ſalutem*. Alexandrinus Antiſtes, ſecundæ Sedis Epiſcopus, Romanum *Patrem* vocat, ob Primatus utique dignitatem. Duo præterea in illa Epiſtola notanda veniunt. Primo, quod teſtetur Cyrillus hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut de emergentibus ubique terrarum hæreſibus ad Sedem Apoſtolicam referatur. *Vetus*, inquit, *Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, ut ejuſmodi res Sanctitati tuæ communicentur*. Secundo, quod ait, ſe auſum non fuiſſe incon-

sulto Cælestino, & inexpectata Sedis Apostolicæ sententia, se a Nestorii communione subtrahere. *Non prius autem*, inquit, *illius communionem palam aperteque deseruimus, quam hæc ipsa Pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias præscribere; quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denuntiare: Neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam favet ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, & super hac re sententia, piissimis Deoque devotissimis Macedoniæ Episcopis, necnon totius Orientis Antistitibus perspicue per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant, rectaque Fidei, quæ jam impugnatur, opem ferant.* His etiam temporibus, S. Cyrillus scripsit libros *De recta in Christum Fide*, partim ad Theodosium Imperatorem, partim ad Reginas: qui extant 1. p. Concil. Ephes. quorum librorum & ipse meminit in Apologia ad Theodosium. Scripsit etiam ad Acacium Beroensem de caussa Nestorii; at Cyrillo subdole respondit Acacius, ipsum ita laudans propter studium fidei, ut Nestorium tamen excusaret, tamquam solo verbo lapsum. Extat utriusque Epistola 1. par. Concilii Ephesini, cap. 22. & 23.

§. III.

§. III.

Quid egerit in caussa Nestorii Cælestinus I. cum Romana Synodo.

Acceptis Nestorii litteris, & quaternionibus apertam continentibus blasphemiam, necnon Cyrilli Alexandrini Epistolis, Cælestinus Romæ Synodum habuit Episcoporum, qui vel tunc in Urbe reperti sunt, vel ex vicinia acciti anno 430. sub initium Augusti. In ea lata excommunicationis & depositionis sententia est in Nestorium, nisi intra decimum a denuntiatione diem, errores suos *aperta & scripta confessione* damnaret. Restituti quoque sunt in Ecclesiæ communionem, qui propter Fidem a Nestorio ejecti fuerant: confirmata Pelagianorum, quos Nestorius receperat, damnatio: scriptæ tandem ex Synod. 7. Epistolæ a Cælestino Pontifice, Cyrillo scilicet, ut Sedis Apostolicæ vice fungeretur in caussa Nestorii, ad sententiam contra eum latam executioni mandandam, providendumque Apostolica auctoritate Ecclesiæ Constantinopolitanæ: Nestorio, ut ad sanam mentem rediret: Clero Constant. ut constans in Fide maneret, nec cederet persecutioni quam adversus Fidei vindices movebat Nestorius: Joanni Antiocheno, Rufo Thessalonicensi, Juvenali Hierosolymitano, Flaviano Philippensi majo-

rum Sedium Orientis Episcopis, ut strenue caussam Fidei agerent. Extant 1. p. Concilii Ephesini. Lege Liberatum *in Breviario c. 5.* Pontificias litteras detulit Possidonius. His suas adjunxit S. Cyrillus ad Joannem Antiochenum, & ad Juvenalem Hierosolymorum Episcopum. Iis acceptis, Joannes Antiochenus Nestorium amice monuit, ut Ecclesiæ totius offensionem confessione θεοτόκου tolleret, erroremque retractaret.

§. IV.

De Synodo Alexandrina contra Nestorium.

Eodem anno Christi 430. S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha Pontificia instructus auctoritate ad sententiæ in Nestorium latæ, nisi resipisceret, executionem, Concilium Alexandriæ ex universa diœcesi Ægypti coegit, die 3. Nov. Inde Synodica missa est ad Nestorium cum Cælestini Pontificis litteris, per legatos quatuor, scilicet Theopemptum, Danielem, Potamonem, & Macarium Episcopos. Extat Synodica 1. p. Conc. Ephes. c. 28. Ea continet primo denuntiationem sententiæ a Romano Pontifice contra Nestorium latæ. Secundo Cyrillus, ac ceteri Patres ipsi significant, se cum omnibus tam clericis, quam laicis, quos propter Fidem communione vel ordine moverat, com-

communicare. Tertio, ut nedum Symbolum Nicænum profiteatur jubent, sed etiam ut nefaria dogmata sua publice & scripto damnet. Quarto, Fidei Professionem & expositionem subjiciunt. Quinto, expositioni Fidei subnectunt Anathematismos duodecim editos a Cyrillo quibus subscribere debeat Nestorius. In ea Synodica velim attendere Calvinistas ad insignem locum, quo realis Christi Corporis in Eucharistia præsentia, & incruentum MissæSacrificium asseruntur. *Quin & illud* (inquit S. Cyrillus & tota cum eo Synodus Ægypti) *non possum hoc loco non adjicere, nempe dum Unigeniti Filii, hoc est Jesu Christi mortem, & resurrectionem ex mortuis annuntiamus, ejusdemque in cælum Assumptionem confitemur; incruentum in Ecclesia Sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, eaque ratione sanctificari, utpote sacræ Carnis, & pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrum Salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem suscipimus: absit hoc: neque rursum tamquam divinam inhabitationem sortiti, aut dignitatis tantum æqualitate Verbo consociati, sed tamquam vere vivificam, ipsiusque Verbi propriam.*

Cum Synodica scripsit S.Cyrillus duas alias Epistolas, ad Clerum nempe, & Archimandritas Constantinopoleos, quibus de re tota docerentur, & ad tuendam Fidem incitarentur vehementius, interimque monerentur

communicandum esse iis, quos inique Nestorius a communione removisset.

§. V.

De Concilio Ephesino.

Acceptis Cælestini Pontificis Maximi, Cyrilli & Synodi Alexandrinæ litteris, tantum absfuit ut errores ejuraret Nestorius, quin potius XII. Anathematismos edidit, Cyrilli capitulis e regione oppositos: in quibus singulis singulæ continentur blasphemiæ. Joannem Antiochenum præterea & Syriæ Episcopos contra Cyrilli Capitula armavit, tamquam Apollinaris errore fœdata. Imperatorem vero Theodosium contra ipsius personam commovit, ipsumque apud illius majestatem accusavit, cum perturbatæ protervis contentionibus fidei, tum propensioris in partes Pulcheriæ Augustæ studii. Facilioribus auribus calumniam excepit Theodosius, cui sororis potentia cœperat esse invidiosa, & videri quasi jugum, quod excussum vellet. Suspicionem firmabat, quod Cyrillus non contentus scripsisse librum de recta in Christum Fide ad Theodosium, librum quoque singularem eodem argumento ad Pulcheriam scripsisset. Quo facto ejus gratiam adversus Imperatorem fratrem velle captare videbatur. Id ipsi Theodosius exprobrat in Sacra ad eum missa, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini capite

pite 31. Lege Liberatum cap. 4. Breviari.

Synodum interim œcumenicam, quam Cyrillus congregari postulaverat, quam Basilius, & Archimandritæ, & Monachi rogabant, Cœlestinus Romanus Pontifex indixit; atque eidem Cyrillo, ut suas vices subiret, commisit, ut constat ex Relatione ad Theodosium Imperatorem missa. Theodosius vero ex universis Diœcesibus Episcopos, ut ad illam ad diem Pentecostes anni sequentis convenirent, Ephesum invitavit, missis Litteris ad Majorum Sedium Antistites, atque etiam ad Sanctum Augustinum Hipponensem Episcopum, ad quem Epistola perhonorifica trasmittebatur per Ebagnium Magistrianum, qui tamen, ubi Carthaginem advenit, didicit a Capreolo, sanctissimum Episcopum ac Doctorem e vita migravisse. Porro Candidianum Comitem ad Concilium misit Imperator, ut ordinem servari curaret, ut Sæculares, & Monachos, qui spectandi Concilii caussa Ephesum confluxerant ex urbe exire compelleret, ut suffragiorum consuleret libertati, ut nullum ante absolutam Synodum abire fineret Episcopum, ut nullam denique controversiam, ante quæstionem Fidei permitteret agitari. Ipsi autem prohibuit religiosissimus Imperator, ne se quæstionibus quæ circa Fidei dogmata inciderent, ullatenus immisceret. Id patet ex Litera per ipsummet Candidianum ad Ephesinæ Synodi Patres missa, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini

ſini cap. 35. Epheſum quoque perrexit Irenæus Comes nulla quidem Principis legatione, mandatis nullis inſtructus, ſed ut Neſtorium ſibi amiciſſimum comitaretur, ut conſtat ex eadem Imperatoris Epiſtola. Convenerunt ad Concilium Epiſcopi ducenti ſeptuaginta quatuor, ſi Mario Mercatori credimus. Præfuit S. Cyrillus jure ſuæ Sedis, & ut Sedis Apoſtolicæ Legatus ad executionem ſententiæ in Neſtorium latæ, donec alii Legati a Cæleſtino Pontifice Maximo & Synodo Occidentis miſſi, ſcilicet Arcadius & Projectus Epiſcopi & Philippus Presbyter. Capreolus Carthaginenſis Epiſcopus, cum propter impetus Wandalorum in Africam, adeſſe Concilio non poſſet, Epiſtolam miſit per Beſſulam Diaconum ſuum. Venit Epheſum & Neſtorius, cum decem ſuarum partium Epiſcopis, quorum nomina ſubſcripta ſunt Relationi a Neſtorio factæ de rebus Synodi ad Imperatorem. Celebrata eſt Synodus anno Chriſti 431. Theodoſii Junioris 24.

§. VI.

Quid geſtum ſingulis Actionibus Epheſini Concilii.

AD condictam diem non adfuit Epheſi Joannes Antiochenus, ſed moras traxit cum ſuis Orientalibus, ſive ex induſtria & ut gratificaretur Neſtorio amico ſuo, quod aſſerit

rit Ephesina Synodus in Relatione ad Cælestinum Papam; sive quod Episcopos suos ob locorum distantiam tam cito cogere non potuisset, quod Evagrius lib. 1. cap. 3. ipsum excusans testatur. Quo solidis diebus sexdecim frustra expectato, duo illius Metropolitæ scilicet Alexander Apameæ, & Alexander Hierapoleos, Ephesum pervenerunt cum ipsius litteris excusatoriis ad Cyrillum Alexandrinum, cum abesset ipse itinere tantum quinque aut sex dierum. Hi testati sunt, non semel, sed sæpius sibi datum in mandatis a Joanne, ne sacra Synodus prorogaretur, si ipsum tardare amplius contingeret, ut testantur Ephesini Patres in Relatione ad Cælestinum Papam. Quamobrem ipso diutius non expectato, factum est Synodi initium in Ecclesia quæ *Maria* dicebatur, die 22. Junii.

Actione 1. cum citatus legitime fuisset Nestorius, recitata est Nicæna Fides, ut sententiis ad Fidei doctrinam spectantibus cum ea Expositione collatis, consentientes quidem confirmarentur, dissentientes autem rejicerentur. Secundo, lecta est Sacra Imperatoris. Tertio, Epistola 2. S. Cyrilli ad Nestorium, quæ communibus Patrum suffragiis probata est, ut *Nicenæ Fidei Symbolo per omnia consentiens*. Quarto, lecta est Nestorii Epistola ad Cyrillum, quæ incipit: *Admirabilium litterarum tuarum contumelias &c.* Quæ unanimi Patrum calculo explosa est, ob eamque Nestorius anathemate cofixus tamquam hæreticus.

cus. Quinto, lecta est Cælestini Pontificis ad Nestorium Epistola, quæ incipit: *Aliquantis diebus vitæ nostræ*. Lecta insuper Epistola Synodica Cyrilli ad Nestorium, illi tradita per Theopemptum, Danielem, Potamenum, & Macarium Episcopos, Ægyptiacæ Synodi Legatos. Excepta subinde illorum testimonia, quibus asseruerunt, Nestorium non satisfecisse, neque Cælestini, neque Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ litteris; sed publice pro Concione eadem, quæ ante, & his deteriora dogmata proposuisse. Audita denique Theodori Ancyrani, & Acacii Meliteni testimonia, juramento confirmantium, sese blasphema dogmata ex ore Nestorii audivisse.

Sexto, lecta sunt Fragmenta quædam & sententiæ SS. Patrum, quibus error Nestorii confoditur, quæ in Acta relata sunt. Septimo, lecta sunt Excerpta quædam blasphemiarum Nestorii ex ejus Scriptis: de quibus perperam ait Liberatus cap. 5. Breviarii: *Cyrillus deflorationes quasdam librorum Nestorii faciebat, eum perturbare volens: erat enim ut dicitur, ejus inimicus*. Octavo, lecta est Epistola Capreoli Carthaginensis Episcopi. Tandem lata est in Nestorium hæreseos nefariæ convictum reum & auctorem, exauctorationis & excommunicationis sententia. In qua maxime notandum quod sacra Synodus ad eam ferendum *Coactam* se dicit *per sacros Canones, & Epistolam sanctissimi Patris & Comministri Cælestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi*;

ſcopi; ex quibus patet, Epheſinos Potres officii loco duxiſſe, recipere Cæleſtini Epiſtolam, eique obſequi. Sententia Concilii poſtridie ſignificata eſt Neſtorio cum hac Inſcriptione: *Neſtorio Novo Judæ*. Tum ſcripta fuit Synodica ad Clericos & Oeconomos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qua ipſis nuntiabatur Neſtorii depoſitio, & Eccleſiæ rerumque Eccleſiaſticarnm cura ipſis ad novi uſque Epiſcopi conſecrationem commendabatur. Miſſæ ſunt & Relationes geſtorum Synodalium ad Cæleſtinum Pontificem, & ad Imperatores, necnon ad Clerum, populumque Conſtant inopolitanum. Scripſit etiam San. Cyrillus ad Dalmatium Archimandritam ſanctiſſimum, & ad Agentes in rebus ſuis, ſcilicet Macarium & Potamionem Epiſcopos, qui Conſtantinopoli ſubſtiterant, & Timotheum atque Eulogium Presbyteros, ut res Concilii apud Imperatorem promoverent. Interim Joannes Antiochenus congregato ſeorſim Conciliabulo in ſuis ædibus, ubi primum curru diſſiluit, depoſitionis ſententiam dixit adverſus S. Cyrillum & Memnonem Epheſiorum Epiſcopum, quaſi ille Arii, Apollinaris, & Eunomii hæreſes ſuis Capitulis doceret, ille per violentiam cuncta in civitate gereret; excommunicationis vero in alios Patres, niſi poſt conſtitutam diem, relictis Cyrillo & Memnone, ad ſuas partes tranſirent. Sententiæ ſubſcripſerunt 43. Epiſcopi. Miſſæ Relationes e Schiſmatica Synodo ad Impe-
rato-

ratorem & Reginas per Irenæum Comitem Nestorii amicum, quas falsis quoque Relationibus Candidianus Comes sustentavit. Datæ etiam a Schismaticis litteræ ad Clerum populumque Regiæ Urbis. Lege Acta Conciliabuli, quæ extant post Actionem primam Concili Oecumenici. De his quoque legenda sunt Relatio ejusdem Sancti Concilii ad Cælestinum Papam, Apologeticus Cyrilli ad Theodosium Imperatorem 3. par. Concilii Ephesini c. 13. Socrates lib. 7. cap. 34. Evagrius lib. 1. cap. 5. Liberatus cap. 5. Breviarii.

Notandum tamen in duobus peccare laudato mox loco Socratem. Primo, quod ita scribat de S. Cyrillo, ipsum *Quibusdam quasi sermonum velitationibus pugnam exorsum esse, ut Nestorium perterreret, quippe qui infenso erga illum animo esset*. Secundo, in hoc hallucinatur, quod Conciliabuli adunationem, & Cyrilli ac Memnonis depositionem ante Joannis adventum contigisse scribat.

Schismaticorum, nec non Candidiani & Irenæi Comitum Relationibus deceptus Theodosius; qui Synodi Oecumenicæ Relationes & Epistolas interceperant, ne ad Aulam perferrentur, misso per Palladium Magistrianum Rescripto, jussit omnia rescindi tamquam vitio gesta, nec aliquem Episcoporum Epheso exire, donec pietatis dogmata stabilita essent, & aliquis ex Aula destinatus, qui una cum Candidiano Comite de gestis hucusque cogno-

gnoſceret. In ſtudia Candidiani abreptus Palladius, Neſtorii & Ioannis Antiocheni partibus favit. Noluit expectare donec Litteræ Synodi Oecumenicæ ad Imperatorem ab omnibus Epiſcopis ſubſcriberentur: ſed rediit illico, novam Relationem Joannis Antiocheni & Schiſmatici Conciliabuli contra Cyrillum, Memnonem, & Oecumenicæ Synodi Patres deferens. Paucos poſt dies Irenæum Comitem ſubmiſit in Aulam Joannes Antiochenus, qui ſuas Neſtoriique partes coram Imperatore tueretur, ac Cyrillum, Memnonem, & Sacræ Synodi Patres, calumniis ſuis oppr imeret.

Interim die 10. Julii, Cæleſtini Pontificis, & Occidentalis Synodi Legati, Arcadius & Projectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter Epheſum pervenerunt, & excepti ſunt a Concilio, celebrataque Actio 2. Synodi Oecumenicæ, in qua lectæ ritu ſollemni Cæleſtini litteræ; ipſi a Patribus acclamatum: *Novo Paulo Cæleſtino, Cæleſtino cuſtodi Fidei, Cæleſtino cum Synodo concordi: Cæleſtino univerſa Synodus gratias agit.* Tum Legati Apoſtolici geſta Concilii communicari ſecum petierunt. Miſerat Cæleſtinus Epiſt. duas per novos Legatos, unam ad Theodoſium Imperatorem, alteram ad Cyrillum Alexandrinum. In priori notanda ſunt hæc verba, quæ Chriſtianorum Principum officium diſerte explicant. *Major vobis Fidei cauſſa debet eſſe, quam Regni, ampliuſque pro pace Eccleſiarum Cle-*

clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quæ sunt Deo cariora serventur. Et infra: *Pro vestri enim Imperii salute geritur, quidquid pro quiete Ecclesiæ, vel sanctæ Religionis observantia laboratur.*

Postridie Actio 3. celebrata est apud S. Mariam, in qua lecta sunt Gesta Synodi in caussa Nestorii, cujus damnationi & depositioni assensi sunt Legati, & Summi Pontificis, Occidentalisque Synodi nomine subscripserunt. Inde Relatio missa est a S. Synodo ad Imperatorem, qua de Legatorum adventu, & utriusque Ecclesiæ consensu in Nestorii damnationem certior fieret. Postulata etiam ordinandi in ejus locum novi Episcopi facultas, & discedendi Epheso; *Pietate jam declarata, totoque terrarum orbe consonam de illa sententiam proferente, paucis tantum exceptis, qui Nestorii amicitiam pietate potiorem ducebant.* Missa etiam Relatio est ad Clerum populumque Constantinopolitanum.

17. Kal. Augusti, seu 16. Julii, Cyrillus & Memnon Libellum querelarum adversus Joannem Antiochenum & Orientales obtulerunt, quod contra Canones & jus omne depositionis sententiam in illos tulissent. Semel & iterum citatus est Joannes Antiochenus per tres Episcopos a S. Synodo missos: qui a Militibus ejus ædes vallantibus indignissime sunt repulsi. Quod cum retulissent ad Synodum,

dum, Patres irrita esse pronuntiarunt, quæ in Cyrillum & Memnonem ab ipso ejusque Symmistis decreta fuerant.

Die sequenti, celebrata est Actio 5. Concilii, in qua Cyrillus contra Joannem Antiochenum iterum questus est de charta quadam, seu famoso libello publice ab ipso proposito, quo Cyrillum ipsum velut hæresos Apollinarii Principem sugillabat. Secundo, quo pravam omnem de se suspicionem amoliretur Cyrillus, Apollinario, ceterisque Hæreticis anathema dixit. Tertio, postulavit Joannem ultimo conveniri, ut quidquid scripto objecerat, coram Synodo probaret, vel justam sententiam exciperet. Citato itaque tertio per tres Episcopos Joannes, lata in contumacem excommunicationis sententia est, necnon in Episcopos cum eo in schismatica Synodo collectos & Ecclesiam turbantes. Missa rei gestæ ad Cælestinum Pontificem, & ad Theodosium Imperatorem Relatio. Relatione ad Cælestinum facta, constat Pelagianorum depositionem ab ipso decretam, Ephesinos Patres confirmasse. Hujus & præcedentis Actionis Historiam refert Evagrius lib. 1. cap. 5. ubi & recte monet res aliter quam gestæ sint a Socrate Historico narrari. Lege etiam Liberatum cap. 6. Breviarii, quamquam iniquus sit in S. Cyrillum & Memnonem, de quibus scribit; *Igitur Cyrillus cum Memnone, volentes se ulcisci, Joannem damnaverunt, & omnes qui cum eo convenerant, & multa mala* pari

pari faſtu utrique Epheſi pertulerunt. Sed non mirum quod trium Capitulorum defenſor, & Epiſtolæ Ibæ acerrimus vindex, de S. Cyrillo ita ſcribit.

Die 22. Julii, Chariſii Philadelphienſis Eccleſiæ Præsbyteri atque Œconomi cauſſa agitata eſt Actione 6. Synodi. Is oblato Libello ſupplicavit Patribus, ut ſententiam ab Epiſcopo ſuo Theophane in ſe latam reſcinderent, a quo fuerat excommunicatus, quia Jacobo & Antonio Presbyteris obſtiterat, qui ab Anaſtaſio & Photio Presbyteris Neſtorianis miſſi, Theodori Symbolum plane impium per Lydiam ſpargebant, & Quartodecimanis ad Eccleſiam redeuntibus offerebant ſubſcribendum. Abſolutus eſt a S. Synodo Chariſius, damnatum Theodori Mopſueſteni impium Symbolum: prohibita alterius Fidei a Nicæna conſcriptio, & novi Symboli prolatio, vel compoſitio.

Pridie Kal. Septembris 7. Synodi conſeſſus habitus eſt, in quo Reginus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus, & alii ejuſdem Inſulæ Antiſtites, Libellum obtulerunt Synodo, quo adverſus Antiochenum Epiſcopum expoſtulabant, Ordinationes Epiſcoporum illius Inſulæ uſurpantem, quæ ſecundum Canones, ad Synodum Provinciæ ſpectabant. Re accuratius expenſa, & lectis Flavii Dionyſii utriuſque exercitus Magiſtri Litteris ad Clericos Conſtantiæ Cypri, necnon ad Theodorum illius regionis Præſidem, quibus novi Epiſcopi

pi Ordinationem in locum Troili fieri prohibebat, donec Ephesina Synodus tunc congregata controversiam istam judicasset: pronuntiarunt Patres, jus Ordinationum Cypriis Episcopis, Canonibus & consuetudine veteri quæsitum servari debere. Sed & prohibuerunt ne regionum aliarum Episcopi alienas Provincias invaderent, aut jam occupatas retinerent, insuper habitis Canonibus; *Ne sub Sacerdotii prætextu mundanæ potestatis fastus irreperet*; &, *Ne clam paullatim libertas amitteretur, quam nobis donavit Sanguine suo Dominus Jesus Christus*.

In ista etiam Actione sex Canones conditi sunt adversus Cæleftium & Pelagianos, necnon adversus Nestorium, ejusque Symmistas ac Fautores. Annuit insuper sacra Synodus Eustathio Pamphiliæ Metropolitæ, qui senio confectus, sese Episcopatu abdicaverat propter exiguum rerum gerendarum usum, ut nomine, honore, & communione Episcopali frueretur. Qua de re scriptum est ex sententia Patrum ad Synodum Pamphiliæ.

In eadem Actione, suggerentibus Valeriano & Amphilochio in Pamphilia & Lycaonia Episcopis, damnati sunt Messaliani; confirmata fuit schedula Synodica de illis composita Constantinopoli sub Sisinnio. Decretum denique ut isti Hæretici convenirentur, sive Clerici essent, sive Laici, & ejuratis erroribus, in pristinos gradus, & communionem reciperentur: sin minus exauctorati Cle-

Clerici, communione pulsi Laici manerent: nulla vero habere Monasteria Sectæ illius homines permitterentur.

Denique in hac Actione oblatus fuit Libellus supplex ab Euprepio Episcopo Byzes & Archadiopolis, & Cyrillo Episcopo Cælensi, quo Patres rogabant, ut, secundum antiquos mores, unus Episcopus duobus, jure Metropolitani, præesset Episcopis, in Ecclesiis Europæ. Quod S. Synodus ex prisca ejus regionis consuetudine ratum habuit.

Juvenalem Hierosolymorum Episcopum in Concilio Ephesino Primatum totius Syriæ Palæstinæ usurpare voluisse, cum gravi Cæsareensis Ecclesiæ injuria, cui ex Nicænis Canonibus & veteri more debebatur, testis est S. Leo Epist. 62. vel 92. in edit. P. Quenellii, ad Maximum Antiochenum Episcopum data. Ipsi vero obstitisse S. Cyrillum, Disciplinæ Ecclesiasticæ, sicut & Fidei strenuum defensorem. Hujus quidem rei nulla est in Actis Ephesinæ Synodi mentio, sed diserta est apud S. Leonem. *Subripiendi occasiones*, inquit, *non prætermittit ambitio, & quoties ob occurrentes caussas generalis Congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram moliatur appetere: sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ Provinciæ Principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per*

per commentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus merito perhorrescens scriptis suis quid prædicti cupiditas ausa esset, indicavit: & sollicita prece multum poposcit, ut nulla illicita conatibus præberetur assensio. Nam cujus exemplaria Epistolæ ad nos direxisti sanctæ memoriæ Cyrilli, eam in nostro Scrinio requisitam, nos authenticam noveris reperisse.

§. VII.

De Gestis post Synodum, vel pendente etiamnum Synodo, cum adhuc Patres Ephesi detinerentur.

CUm ad Imperatorem variæ rerum in Synodo gestarum, contrariæque Relationes missæ essent, tum ab Œcumenici Concilii Patribus, cum a Joanne Antiocheno, ceterisque Schismaticis, & Candidiano ipsis favente, qui Theodosii animum occupaverat, & Princeps malam de sacra Synodo, & de Cyrillo & Memnone opinionem concepisset, visum erat Patribus selectos ad Aulam Episcopos mittere, qui Imperatori rerum gestarum ordinem & rationem exponerent. Sed Iræneus Comes, qui triduo post Synodi Legatos Constantinopolim appulit, malis effecit artibus ut nihil ipsi promoverent. Theodosio placuit, ut missi a Synodo una cum Irenæo Comite, litem coram se disceptarent. Scis-

ſa in partes Aula, miſſus ab Imperatore Joannes ſacrarum Largitionum Comes Epheſum, qui tres depoſitos eſſe juberet, Cyrillum, Memnonem, & Neſtorium, omneſque in unam Synodum cogeret, & res agendas reliquas pacifice curaret. Is ubi pervenit Epheſum, Epiſcopis ad ſe vocatis legit Imperatoris litteras: & poſt depoſitionis denuntiationem, Neſtorium Candidiano Comiti cuſtodiendum tradidit; Jacobo vero Comiti Cyrillum & Memnonem.

Sacra Synodus Comitis facto vehementer commota, datis ad Imperatorem Litteris queſta eſt, mendaciter ipſi fuiſſe ſuggeſtum, quod Cyrilli & Memnonis depoſitio ab Œcumenica Synodo approbata fuiſſet. Significavit etiam ſe cum Joanne Antiocheno & Orientalibus inire non poſſe communionem, priuſquam Neſtorii damnationi & depoſitioni ſubſcriberent, & objecta Synodo per calumniam revocarent. Petiit denique reddi ſibi Cyrillum ac Memnonem, Fidemque dilucide expoſitam in Commentariis retineri: & accerſiri Conſtantinopolim Epiſcopos, qui palam Imperatori de omnibus referrent. Datæ ſunt etiam a Synodo Epiſtolæ ad Epiſcopos in Regia Urbe agentes, & ad Clerum. Additum eſt Commonitorium ad Dalmatium ſanctiſſimum Archimandritam. Quæ omnia arundine incluſa Mendicus detulit, ut Joannis Antiocheni & Orientalium artes falleret, per amicos prohibentium, ne quid a ſacra Sy-

Synodo Constantinopolim afferretur, quod rebus suis nocere posset.

Interim Joannes Comes, partium concordiam frustra tentavit, propositis conditionibus, quas sine summa sui injuria & dedecore, & sine proditione caussæ Fidei accipere Sacra Synodus non poterat, ut constat ex Epistola S. Cyrilli ad Clerum, populumque Constantinopolitanum. Libellum supplicem pro Sacra Synodo Imperatori porrexit Regiæ Urbis Clerus, libertate vere Ecclesiastica, ipsum urgens. Quo obtinuit ut septem ex utraque parte Legati Constantinopolim mitti juberentur, qui de omnibus in Synodo gestis certiorem Principem facerent. Misit igitur utraque pars septem Episcopos cum Mandatis. Novam Relationem per suos ad Imperatorem misit sancta Synodus.

Utriusque partis Legati, ubi Chalcedonem appulerunt, jussi sunt ibidem subsistere. Hac transiens in Villam Rufinianam, Theodosius ipsos non semel audivit. Certissimam sibi victoriam pollicebantur Orientalium Legati, ut constat ex Epistola quam ad suos Ephesum miserunt: sed aliquot post dies, inanis spei lætitiæque fructu sunt frustrati. Synodi namque Œcumenicæ Legatos radiens Constantinopolim Imperator comitari jussit, ut Episcopum in locum Nestorii ordinarent, relictis Chalcedone Schismaticis. Qui tumultuati sunt, oblato Libello, ut Ordinationem impedirent; sed frustra. Nihil

quippe ipsis responsi datum; sed facta est ipsis, eorumque Symmistis, adhuc Ephesi agentibus, facultas redeundi ad suas Ecclesias. Missi quoque sunt Synodi Œcumenicæ Patres. Die 25. Octobris Maximianus ex Monacho Presbyter, non excultissimus quidem litteris, sed probatæ vir Fidei ac pietatis, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus consecratus est. De ejus Ordinatione ad primas Sedes, & ad Episcopos veteris Epiri, quos Schismatici fallere tentabant, datæ Litteræ. Scripsit etiam novus Episcopus ad Cælestinum Papam, & ad S. Cyrillum: ad quem etiam uterque Epistolas gratulatorias dedit. Scripsit etiam ad Theodosium Augustum Cælestinus, quibus illi ob præstitum caussæ Fidei patrocinium, ob Nestorii abdicationem illius Edictis confirmatam, ob Maximiani Ordinationem illius jussu factam gratulatus est: & Nestorii deportationem postulavit, ne plures perderet, novasque in Ecclesia turbas excitaret. Extant hæ omnes Epistolæ 3. p. Concilii Ephesini.

§. VIII.

De pace inter Ecclesias inita.

CÆlestino Pontifice Maximo ad cælestem gloriam translato, & Sixto jam totius Ecclesiæ clavum regente, anno Christi 432. Theodosius Imperator apud Joannem Antioche-

chenum naviter egit ut Nestorium damnaret, & cum Cyrillo Alexandrino iniret concordiam, pacemque inter omnes Orientis Ecclesias conciliaret. Itaque Aristolaum Tribunum cum potestate misit, ipsique dedit Mandata cum ad Joannem ipsum, tum ad Cyrillum, partis utriusque Principes deferenda, quibus aut per se conspirare in conditiones pacis jubebantur, aut Nicomediam venire, nec inde discedere, donec pacem inivissent. Extant Theodosii Litteræ 3. p. Concil. Ephes. cap. 24. Dedit etiam litteras ad Acacium Beroensem, & ad Beatum Simeonem Stylitem, quos sequestres pacis apud Joannem Antiochenum accedere voluit. Extant ibidem cap. 25, & 26.

Acceptis his litteris, Joannes Antiochenus cum Syriæ Episcopis convenit apud Acacium Beroensem, ibique re deliberata constituerunt pacis conditiones proponendas esse Cyrillo, quibus suo consultum esset honori: ut scilicet abolerentur omnia, quæ vel Epistolis, vel Tomis, vel Libris evulgaverat, & soli Fidei Nicænæ consentiret. Absurdas & iniquas adeo conditiones privatis Acacii Beroensis litteris sibi propositas, Cyrillus, ut par erat, rejecit rescripsitque hunc in modum: *Expositioni Fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adhæremus omnes, nihil eorum quæ in ipsa continentur, labefactantes. Sunt enim ea omnia recte inculpateque tradita: neque tutum est post illam Fidei editionem,*

 quid-

quidquam adhuc curiosius tractare. Quæ vero recte contra Nestorii blasphemias scripsimus, ea hujusmodi esse, ut nulla nobis ratione persuaderi possit, ut recte scripta esse negemus. Opus proinde magis esse, ut ipsi juxta pientissimi Christique amantis Imperatoris Decretum, immo vero sanctæ Synodi Ephesinæ Sanctionem, illum qui contra Salvatoris Christi gloriam pugnavit, ejicerent, impiasque illius blasphemias anathemate insectarentur, ejusque depositioni consentirent, ac sanctissimi, piissimique Episcopi Maximiani Ordinationem approbarent.

Spe sua frustrati Joannes Antiochenus & Episcopi Orientales, Paulum Emissenum Episcopum Alexandriam miserunt, qui potioribus & honorificentioribus quibus posset, conditionibus concordiam iniret. Illuc ubi pervenit, S. Cyrillum ad præteritarum injuriarum oblivionem hortatus est, litterasque ipsi tradidit Joannis Antiocheni: quas alias ab iis fuisse, quæ in collectionibus Conciliorum leguntur, persuasum habeo. Testatur enim S.Cyrillus duriores illas fuisse, tantumque abfuisse ut ejus dolorem excusatione aliqua lenirent, quin potius Joannis Antiocheni contra ipsum gesta, jure & Fidei zelo facta propugnabant. De his ita scribit ad Acacium Melitenum. *Mox ille* (Paulus Emissenus) *Epistolam reddidit, non ea, quæ debebat, habentem; sed potius, non quo conveniebat modo dictatam. Complectebatur enim irri-*

irritationis vim, potius quam exhortationis. Hanc itaque non acceptavi. Nam cum meam animi ægritudinem, qua fueram affectus, ex iis, quæ præcesserant, excusatione aliqua demulcere debuissent, tantum abest ut id fecerint, ut se quoque propter sacrorum dogmatum zelum jure optimo mihi succensuisse dicerent.

Verum cum Paulus Emissenus Joannis Antiocheni & Orientalium propositum excusasset, illosque paratos esse affirmasset ad prava Nestorii dogmata anathemate confodienda, & ad subscribendum ejus depositioni, & Maximiani ordinationi, caritatis pacisque Ecclesiasticæ caussa purgationem admisit, Paulumque, his per se impletis conditionibus, ad Synaxim recepit S. Cyrillus, ut testatur in Epistola ad Donatum Nicopolitanum. Ceterum cum Joanne Antiocheno & Orientalibus pacem se initurum negavit, nisi scripto præstarent ipsi, quod eorum nomine se præstare Paulus asserebat. *Modis autem omnibus opus esse affirmabam*, (inquit Cyrillus ad Acacium Melitenum scribens) *ut Reverendissimus Joannes Antiochenus Episcopus scriptam his de rebus confessionem ederet*. Hæc quidem tunc Alexandriæ gesta; sed ut ad exitum perduceretur pacis negotium, duos e suis Diaconis una cum Aristolao Tribuno, & Paulo Emisseno Antiochiam misit, chartamque ipsis tradidit, confessionem Fidei, pacisque conditiones continentem, quam si

acciperet Joannes Antiochenus, illique subscriberet, litteras ei communionis redderent. Conditiones pacis erant, anathema in doctrinam Nestorii, assensus illius depositioni, & ordinationis Maximiani approbatio. Ista constant ex Epistola S. Cyrilli ad Donatum Nicopolitanum Episcopum.

Consensit Joannes Antiochenus omnibus conditionibus pacis, & Confessioni Fidei a S. Cyrillo missæ subscripsit, Paulumque Emissenum Alexandriam rursus misit cum litteris ad Sanctissimum Antistitem, quæ extant 3. part. Concil. Ephes. cap. 30. Professionem Fidei continent, quam S. Cyrillus inseruit suis ad Joannem litteris, quæ incipiunt: *Lætentur cæli*. Quæ confessio non a S. Cyrillo edita, ut Baronio Cardinali visum est, sed a Joanne Antiocheno & Orientalibus, a Cyrillo vero probata, & suis ad Joannem litteris inserta. Cujus rei testem, contra Scriptorem Eminentissimum Annalium, Cyrillum ipsum Alexandrinum proferimus in Epistola ad Joannem Antiochenum. *Quod autem*, inquit, *Ecclesiarum dissensio superflua prorsus, & citra ullam justam caussam accideret, id ex charta, quam Dominus meus religiosissimus Episcopus Paulus nunc attulit, evidenter cognovimus, quæ irreprehensibilem continet Fidei Confessionem; eamque cum a tua Sanctitate, tum a ceteris quoque Religiosissimis Episcopis, qui illic degunt, compositam asserebat: quam etiam ad verbum huic no-*

nostræ Epistolæ inserere placuit.

Idem testatur in Epistola ad Eulogium, ubi hac de Fidei Confessione ita scribit: *Expositionem, quam Orientales fecerunt, reprehendunt nonnulli.*

Idem testatur Liberatus Diaconus cap. 8. Breviarii. *Et congregans*, inquit, *iterum Joannes apud Antiochiam Concilium, dictavit Fidem ita se habentem: Confitemur Dominum nostrum Jesum Christum &c. In isto ergo modo hanc Fidei Regulam interponens Joannes Epistolæ suæ, cujus est principium, &c.* Dudum per sanctionem piissimorum Principum, *&c. quam tradidit Paulo Episcopo Emisseno, & direxit Alexandriam Cyrillo..... Post hæc Cyrillus Fidem Epistolæ, quam a Paulo suscepit, Epistolæ suæ interponens, cujus principium est: Lætentur cæli, & exultet terra.... subscripsit prædictam Fidem, & Orientalibus direxit Episcopis.*

Idem testatur Evagrius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. Circa istam Fidei Confessionem & conditiones initæ S. Cyrillum inter & Orientales pacis hoc notandum est, scilicet altum in iis fuisse de duodecim S. Cyrilli Capitulis silentium, Cyrillo privatas injurias propriámque famam studio resarciendæ Ecclesiasticæ pacis negligente. Qua ex Œconomia Orientales occasionem sumpserunt spargendi in vulgus mendacii, quasi sua capitula retractasset, ac in eorum sententiam descendisset; hisque conditionibus conciliatam pacem.

Dum porro Alexandriæ adhuc degeret Paulus Emiſſenus, duas contra Neſtorii dogmata habuit in Magna Eccleſia, præſente S.Cyrillo, Homilias ſummo cum plauſu, tum ob integritatem Fidei, cum ob facundiam ſingularem.

Theodoretus impatientiſſime tulit negotium pacis, nec a Neſtorii partibus & amicitia tam cito divulſus eſt, quamvis dogmata nefaria damnaret, ejus nomini parcens: quod ambiguis ipſius verbis & technis deluſus eum ab impiis dogmatibus exiſtimaret alienum. Id patet ex ipſius Theodoreti Epiſtolis ad Andream Monachum Conſtantinopolitanum, ad Andream Samoſatenum Epiſcopum, ad Himerium Nicomedienſem, quarum Excerpta Marius Mercator deſcripſit. Id patet maxime ex Epiſtola Theodoreti ad Neſtorium, in qua ita ſcribit, *Hæc autem quæ contra tuam Venerationem injuſte atque inique patrata ſunt, nec ſi mihi utramque manum quis abſcinderet, potero præbere conſenſum, divina procul dubio mihi cooperante gratia, & infirmitatem animæ ſublevante*. Exiſtimavit vero Theodoretus Palinodiam a S.Cyrillo recantatam, quod naturas duas confiteretur in Chriſto, qui prius dixerat, *Unam Verbi naturam incarnatam*; & quod Deitatem Chriſti impaſſibilem prædicaret, & paſſiones ejus carni adſcriberet. Id conſtat ex Epiſtola Theodoreti ad Andream Conſtantinopolitanum Monachum.

Viris

Viris quibusdam Eruditis videtur Epistolam Theodoreti ad Nestorium, cujus verba mox retulimus, supposititiam esse, & ab Hæreticis confictam; & Leontii antiqui & gravissimi Auctoris suffragio nituntur lib. de Sectis, Actione 4. dicentis: *Sciendum est circumferri quasdam Theodoreti ac Nestorii Epistolas, in quibus se mutuo recipiunt: sed fictitiæ sunt, & fingunt eas Hæretici, ut earum ope Synodum oppugnent*.

Cyrilli scripta pacis initæ tempore, id est, Litteras ad Orientales, Fideique Confessionem ipsis insertam improbare non potuit Theodoretus, & nulli obnoxia esse reprehensioni, cogente veritate fassus est, in Epistola ad Nestorium. *Nullus igitur tuæ persuadeat Sanctitati, quod ego Præsul esse desiderans, clausis oculis, velut recta dogmata, Ægyptia scripta susceperim. Nam per ipsam fateor veritatem, sæpius ea revolvens, & diligenter examinans, ab hæretica pravitate libera deprehendi, & aliquam illis imponere maculam formidavi; non tamen velut is approbetur, qui toti mundo caussa perturbationis extiterit*. Sanctum autem Cyrillum Ægyptii nomine passim a Theodoreto sugillari notum est.

Ex inita pace invidiam apud nonnullos Episcopos subiit S. Cyrillus, non minus quam Joannes Antiochenus. Theodoretus namque & alii pauci, Joanni vitio dabant, quod duodecim Capitulorum damnationem a Cy-

rillo non exegisset, iisque intactis cum ipso rediisset in concordiam. Alii vero, inter quos etiam Valerianus Iconii, & Acacius Melitenus Episcopi, displicebat, quod Cyrillus duarum confessionem naturarum ab Orientalibus suscepisset, quod Nestorius dixerat & docuerat. Eo usque enim invaluerat opinio, seu potius error popularis, annitentibus Nestorianæ factionis hominibus, ut qui duas naturas fateretur, Nestorianus; qui unam, Cyrillianus haberetur. De his Liberatus cap.8. Breviarii. Hinc in Orientalium, & sui ipsius, ac initæ pacis defensionem varias Epistolas scribere S.Cyrillus coactus est, scilicet ad Valerianum Iconiensem, Acacium Melitenum, & Eulogium Presbyterum Alexandrinum in Aula agentem. Erant enim & Constantinopoli qui nimiæ Œconomiæ, vel etiam ignaviæ, & levitatis Cyrillum in. simularent. De his idem Liberatus cap.9. Quin etiam Viris Sanctissimis ea de S. Cyrillo adhæsit opinio, ut S. Isidoro Pelusiotæ, qui ita ad ipsum scribebat Epist. 324 *Te oportet, Vir Admirande, firmum atque constantem semper manere, sic nempe ut nec metu cælestia prodas, nec tecum ipse pugnare videaris. Nam si ea quæ nunc abs te scripta sunt, cum superioribus perpendas, aut adulationis obnoxius esse videberis, aut levitatis minister: ut qui inani gloriæ succumbas, non autem magnorum ac sanctorum Pugilum certamina imiteris, qui per omnem vitæ suæ cursum in extera regione pre.*

premi ac vexari potius sibi ferendum duxerunt, quam ut perversam ac falsam sententiam vel auribus tenus exciperent.

Nullum ex pace inter S.Cyrillum & Orientales inita commodum reportarunt Helladius, Himerius, Eutherius, & Dorotheus Nestoriani Episcopi, qui una cum Auctore Sectæ depositi fuerant: neque ulla eorum in conditionibus pacis facta mentio est, quamvis, quæ decreta fuerant contra ipsos, abrogari postulassent Orientales, ubi primum de pace Ecclesiarum agi cœpit. Id constat ex Epistola S. Cyrilli ad Donatum. Composita pace, S. Cyrillus & Joannes Antiochenus faustum negotii exitum ad Sixtum Pontificem Maximum retulerunt, cujus Apostolicum sinum tam auspicati nuntii acceptio lætitia incredibili perfudit, quam datis ad Cyrillum Litteris testatus est. Gratulatus est etiam per Litteras Joanni Antiocheno. Extant illæ 3.p. Conc. Ephes. cap.41. & 42.

§. IX.

Qui Nestorianam Hæresim scriptis impugnarunt vel defenderunt?

I. INter Nestorianæ Hæreseos Impugnatores primus occurrit S. Proclus ex Constantinopolitano Presbytero Cyzicenus Episcopus. Is præsente, ut diximus, Nestorio, ejus errores ac blasphemias coarguit & confutavit præ-

præclara illa Homilia, *In Deiparam*, habita in Festo Annuntiationis B. Virginis anno Christi 429. Idem scripsit celebrem ad Armenos de Incarnatione Epistolam, qua Theodori Mopsuesteni, adeoque & Nestorii dogmata egregie refellit. Scriptionis ea fuit occasio, quod Diodori Tarsensis, & Theodori Mopsuesteni libris, aut Collectaneis, quæ Nestorianis consona erant dogmatibus, per Armeniam sparsis, Nestorianorum arte Acacius Melitenus, & Rabulas Edessenus Episcopi, Armenos datis litteris monuerant, de cavendo Nestorianæ Hæreseos veneno, quod sibi Theodori libris erat propinatum. Illi coacta Synodo, Presbyteros duos Leontium & Abereum Constantinopolim ad Proclum misere, cum Libellis, & Theodori Volumine, doceri expetentes quæ doctrina melior. Theodori, an Acacii, atque Rabulæ. Proclus re diligenter examinata, Tomum, seu Epistolam illam de Incarnatione ad Armenos misit, quam etiam direxit ad Joannem Antiochenum, a quo probata est. Scripsit autem Theodosio XV. & Valentiano IV. Coss. vel post ipsorum Consulatum, ut corrigendam putat notam temporis vulgatis editionibus appositam P. Garnerius S. J. *in notis ad Liberatum*.

II. Maxima pars fuit Ecclesiasticæ de hæresi Nestoriana victoriæ S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus, quia ipsam Epistolis, Anathematismis, Homiliis, & libris quinque contra-

traditionum adversus Nestorii blasphemias, quos ante Concilium Ephesinum conscripsit, anno 431. impugnavit.

III. Partes etiam suas hac in pugna pro Fidei defensione fortiter obiit Marius Mercator, qui & Nestorii Capitula scripto confutavit, & luculentam de XII. ejus Anathematismo Dissertationem seorsim edidit, & Epistolam de collatione errorum ipsius cum dogmatibus Pauli Samosateni. Nestorii etiam sermones, & alia plurima Nestorianam caussam spectantia monumenta latine vertit, & ad posteros transmisit, quæ Joannes Garnerius Societatis Jesu Theologus edidit, Notisque ac Dissertationibus illustravit.

IV. Joannes Cassianus operam quoque navavit suam in debellanda Nestorii hæresi. Rogante enim S.Leone Romanæ Ecclasiæ Archidiacono, quo Cælestinus Pontifex in regenda Ecclesia præcipuo Administro utebatur, adversus tres Nestorii Tractatus eximium Opus de Incarnatione Christi composuit, in septem distributum libros, quos ipsi Leoni dedicavit.

V. Claruit etiam in hac acie Theodotus Ancyranus Episcopus, qui Concilio Ephesino interfuit, ibique Orationem habuit adversus Nestorium. Sed & singulari libro istum confutavit Hæresiarcam, *Non ex suo* (ut ait, *ingenio*, *sed partim ex Sacra Scriptura*, *partim ex Fide a Sanctis Patribus Nicaæ congregatis exposita*. Hunc librum Latio donavit,

vit, ac Notis illustravit Combefisius.

VI. In hac etiam adversus Nestorianos Palæstra desudavit Leontius Byzantinus, cujus librum habemus insignem sic inscriptum: *De Nestorianorum impietate secreto tradita principio, & de ejus Parentibus triumphus*: ex quo discimus impiæ factionis mysteria. Quod scilicet cum Sanctos Ecclesiæ Doctores non reciperent, se non recipere Theodorum, neque Diodorum primos impietatis suæ magistros simulabant. Quod magnifice laudabant Synodum Chalcedonensem, licet illam animo rejicerent. Quod ad suos Auctores legendos hortarentur, & si quis laudaret alios Patres ipsi reponerent: *Boni sunt isti Patres*, *non tamen meliores quam nostrates*. Si vero simplex ille rogaret nomina, *Lege prius*, inquiebant, *& tunc cognosces, quales & quanti sint, quorum miser ne nomina quidem didicisti*.

Libris alia munera & promissa ipsos addidisse refert, ut incautum quemque in suas partes traherent; pollicitos opem Aulæ, primum gradum in Magistratibus; eruditorum quos habebant convictum; nec prius illum cui virus affare suum conabantur, dimisisse, quam succumberet, sive inscitiæ, sive indigentiæ, sive aliis, quæcumque illaqueare solent eos, qui non omni custodia cor suum custodiunt. Jam vero postquam captum tenebant, & suis obsequiis obnoxium, si Monachus esset, Vitæ Monasticæ fastidium injecisse, cujus irrisores erant

erant & obtrectatores, ita ut ne nomen quidem Monachorum æquo animo pati possent. Hortobantur itaque ad mutandum habitum, quod esset ad studium virtutis Politicæ, id est, quæ in civitate versatur, impedimentum, seque eum in Clericorum ordinem cooptaturos spondebant. Si autem sæcularis esset ipsi accomodata munera, & auxilium factionis pollicebantur. Refert deinde Leontius, ipsos cum viderent quotidie apud fideles justum odium contra impia dogmata, Auctoremque dogmatum augeri, ne Præsidis sui premerentur invidia, noluisse nomine sui Auctoris appellari, sed dixisse; *Valeat Nestorius*. Atque ut Manichæi in Electos, & Indifferentes, sic ipsos in cultores, & damnatores Nestorii divisos fuisse. Refert denique, quod cum ex fidelibus non nemo coactus esset ab ipsis ut eorum communionem foveret, ac Ecclesiæ clero nihilominus adscriberetur, ubi eum inde animadverterunt pigriorem factum, his verbis ipsi animos addidisse: *Quid mœres, si Ecclesia tamquam prætorio uteris, & clero tamquam exercitu, & fidem nostram habes, & communionem nobiscum amplecteris?* Ille autem cum fieri non posse diceret, ut cum Ecclesia & cum ipsis communionem sacrorum mysteriorum haberet, ipsi responderunt [ut refert Leontius:] *Non oportet te moleste ferre hanc œconomiam. Panis enim in typum Corporis Christi propositus non plus benedictionis participavit, quam panis qui in foro ven-*

venditur, & quam panes quos Philomarianitæ offerunt in nomine Mariæ. En fontem ex quo primum prodiit Sacramentariorum error, Euchariſtiam nihil aliud eſſe quam typum ſeu figuram Corporis Chriſti blaſphemantium.

Quamquam Neſtoriani illi, quorum dogmata, mores, fraudeſque detegit Leontius, a Neſtorio magiſtro ſuo in dogmate de Euchariſtia degeneres fuerunt. Nam realem Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam Neſtorius cum tota Eccleſia profeſſus eſt, quod maxime probant ea quæ habet ſermonibus 2. 8. & 9. Carnem ſcilicet Chriſti ait a nobis manducari, non tamen modo quo cibus inviſibilis mentium Divinitas. Interrogabat enim, cum dictum illud Chriſti exponeret, *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, utrum Divinitatem manducemus, an carnem, ut oſtenderet naturas per Incarnationem non eſſe confuſas, aut converſas, quandoquidem una manducatur, nempe caro, altera non manducatur, nimirum Divinitas. Sumit ergo quaſi rem conceſſam, Carnem Chriſti a nobis manducari ad Sacram menſam: alioquin ſtulte collegiſſet, naturas in Chriſto per Incarnationem confuſas minime fuiſſe, ex eo quod Caro Chriſti, non Divinitas manducetur. In promptu enim fuiſſet reſponſio, utramque ore ſolo mentis, neutram ore carnis manducari. Præterea Neſtorium de reali Corporis Chriſti in

Eu-

Euchariſtia præſentia cum S.Cyrillo, & cum Eccleſia Catholica ſenſiſſe, inde patet, quod nuſquam ipſum de contrario dogmate coarguerit S. Cyrillus : immo ex manducatione Carnis Chriſti, & vi illius vivificatrice quam in nos exerit, cum ejus participatione in Euchariſtia fruimur, argumentum paſſim deſumpſerit contra Neſtorium. Hæc notare operæ pretium fuit, ut Neſtorianos, qui Leontii tempore graſſabantur, ideſt, ſexto ſæculo cadente, a Neſtorii doctrina circa Euchariſtiam degeneraſſe nemo dubitet. Leontio autem eo major fides adhibenda eſt in his quæ de Neſtorianis ſui temporis ſcribit, quod adoleſcens ab ipſis deceptus ſit ac in partes abductus, ac poſtea divino affulgente lumine, veritatem agnoverit, & amplexus ſit, ut ipſe teſtatur.

VII. Hæreſim vero Neſtorianam, præter Neſtorium ipſum, qui eam Epiſtolis, Anathematiſmis, Sermonibus aliiſque Tractatibus vindicavit, propugnavit acriter Eutherius Tyanenſis Epiſcopus. Is ad Euſtathium Parnaſſi Epiſcopum direxit Opus in Sermones viginti diſtributum, quos alii S. Athanaſio, alii Maximo Martyri, alii ignoto alicui tribuendos putarunt, Eutherio vero aſſerit P. Garnerius S. J. teſtimonio Marii Marcatoris, qui horum Fragmentum ſub nomine Eutherii Neſtorianæ partis Epiſcopi deſcripſit.

Neſtorianam Hæreſim Scriptis etiam ſuis ſuſtentarunt Andreas Samoſatenſis, & Theodore-

doretus Cyri Episcopus, qui adversus XII. Anathematismos S. Cyrilli, quibus illa confodiebatur, scripserunt, quasi Apollinaris, Ariique hæresim continerent. De Theodoreto scripsit Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus contra Felicem Urgelitanum: *Inventum medium locum inter Nestorium Hæreticum, & Cyrillum Catholicum, unde pugnans pro veritate, ageret contra veritatem.* Nestorii quoque caussam juvit Theodoretus in Pentalogio, id est, in quinque Libris adversus S. Cyrillum, & Synodum Ephesinam editis post Anathematismos, quorum fragmenta quædam latinitate donavit Marius Mercator.

§. X.

De Imperatorum Edictis in Nestorium, & Nestorianos.

Ecclesiarum pace composita, Religiosissimus Imperator Theodosius lege lata, & directa ad Leontium P. P anno 435. Nestorii Sectatoribus publicam infamiæ notam inussit, edicens *ut Simoniani*, non Christiani vocarentur: quo modo Arianos Porphyrianos appellari sanxerat Constantinus. Vetuit etiam lectionem Librorum Nestorii, eosque undequaque conquisitos ultricibus flammis devoveri jussit. Extat exemplar Sacræ legis 3. p. Concilii Ephesini, cap.45., & in Co-

Codice Theodosiano *de Hæreticis L. ultima* Cum vero Nestorius e suo secessu Monasterii Eupreprii prope Antiochiam, turbare non desineret, atque hæresim propugnare, Joannes Antiochenus conversa vetere erga ipsum amicitia in justam pacis fideique ultionem, ab Imperatore obtinuit, ut in exilium in Oasim deportaretur. Datum est deportationis edictum initio anni 435 Subinde propter Barbarorum incursiones habitationem mutare coactus, variis miseriis impietatis suæ pœnas luit, quarum historiam ex ipsius epistolis refert Evagrius. Tandem exesa vermibus lingua, quæ in Christum, & Deiparam Virginem Mariam tam horrendas evomuerat blasphemias, ex hac vita ad graviora, & sempiterna supplicia migravit. Lege Evagrium lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ c. 7. Qui tamen errat graviter, cum scribit cap. 8. Maximianum Episcopatum Constantinopoleos non suscepisse, nisi post mortem Nestorii.

DIS-

DISSERTATIO

Adversus Hæresim Nestorii.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum una sit in Christo persona, sive unus idemque Dei, & hominis Filius?

PROPOSITIO.

Unam esse Christi personam, naturis constantem duabus, unumque Dei, & hominis Filium Scripturæ Sacræ, SS. Patrum, & Conciliorum oraculis, adversus Nestorium evincitur.



Probatnr primo ex illis verbis Joannis I. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, &c.* ex quibus S. Leo *Sermone 7. de Nativitate* ita disserit: „ Quod „ enim Verbum caro factum est, non hoc si„ gnificat quod in carnem sit Dei natura mu„ tata; sed quod a Verbo in unitate personæ „ sit caro suscepta: cujus utique nomine ho„ mo totus accipitur, cum qno intra Virgi„ nis viscera, Sancto Spiritu fœcundata, & „ numquam virginitate caritura, tam insepa„ rabiliter Dei Filius unitur, ut qui erat in„ temporaliter de essentia Patris genitus, ip-

„ se-

„ se sit temporaliter de utero Virginis natus.

II. Idem probatur ex Epistola S. Pauli *ad Philippenses cap.* 2. ubi de Christo sic loquitur: „ Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: „ sed semetipsum exinanivit, formam servi „ accipiens, in similitudinem hominum factus. „ Ubi eum qui se exinanivit, illum ipsum esse significat Apostolus, qui antea Deo Patri erat æqualis; & hoc natura, non usurpatione habuit. Ex quo loco sic disserit S. Cyrillus in Epistola 1. ad Monachos: „ Atqui creata res est nulla, quæ si propria in „ natura spectetur, æqualis Patri esse possit. „ Quonam igitur pacto exinanitus esse dicitur, „ si cum natura sua esset homo, itidem ut „ nos ex muliere natus est? Quanam porro „ ex antiquiore præstantia, quæ humanum mo- „ dum excederet, ad hoc delapsus est ut ho- „ mo fieret? Quomodo denique intelligi „ potest formam accepisse servi, quasi antea „ non habuisset, qui natura sua inter servos „ censebatur, & servili jugo erat obnoxius?

III. Idem probatur ex Epistola ad Hebræos, cap. 1. & 2. ubi significat Apostolus, unum esse, qui & *Splendor sit gloriæ, & figura substantiæ Patris*; per quem *Sæcula facta sunt*: qui Angelis omnibus antecellens, ab iis adoretur: & qui, propterea quod *pueri*, id est homines, *communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem; ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis impe-*

imperium, id est diabolum. Unum enim & eumdem esse, in quem cadit utrumque, Sanctus Paulus ibi aperte demonstrat: Quippe qui hoc sibi illa in Epistola proposuit, ut Jesum Christum, quem hominem fuisse constabat, illis ad quos scribebat, eumdem Deum, Deique naturalem Filium credendum esse ostenderet, ac adorandum.

IV. Idem probant omnia Scripturæ testimonia quæ non alium, atque alium, sed unum & eumdem esse ostendunt, in quem Divinæ & humanæ naturæ proprietates conveniant. Velut quod de se ipse Christus profitetur Joannis 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cælo*. Item illud Apostoli ad Galatas 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*. Et illud ad Ephesios 4. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super cælos, ut impleret omnia*. Ex quibus locis evidens est, non duos esse, sed unum plane qui ambo illa diversa, & contraria susceperit: ut & in cælo esset, & in cælum ascensurus postea foret: & apud Patrem ex æterno manens ab eodem missus, homo factus sit, & mortem sustinuerit. Lege S. Athanasium, in *Oratione de uno Christo*, & S. Cyrillum Alexandrinum, in Dialogo ejusdem argumenti.

V. Id probatur e Symbolo Nicæni Concilii, ubi post assertam Filii Divinitatem, ista subjiciuntur: *Qui propter nos homines, & propter*

pter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus est. Ex quibus Christi in duabus naturis unitas comprobatur. Cujus vim Professionis contra Nestorium urgent S. Cyrillus *lib. de Symbolo*, & Cassianus *lib. 6. de Incarnatione, c. 8.* Idem probatur ex Synodis Ephesina, Chalcedonensi, Oecumenica 5. &c.

VI. Id probatur ex Sancto Ignatio Martyre in Epistola ad Ephesios. *Deus noster Jesus Christus*, inquit, *in utero gestatus est a Maria, secundum dispensationem Dei ex semine David*. Et ibidem: *Singuli viri communiter omnes in gratia, ex nomine. Convenite in una Fide, & in uno Jesu Christo, secundum carnem ex genere David, Filio hominis & Filio Dei*. Quæ loca laudantur a Theodoreto, *Dialogo* 1.

VII. Ex S. Irenæo lib. 3. cap. 18. ubi luculenter e Scripturis adstruit, *Unum & eumdem esse Verbum Dei, & hunc esse unigenitum, & hunc Incarnatum esse pro salute nostra Jesum Christum Dominum nostrum*.

VII. Ex Tertulliano ad finem libri *De Carne Christi*, ubi respiciens hæc verba Apostoli 1. ad Corinthios 8. *Unus Dominus Jesus Christus*, ita scribit: *Sicut & definiens ipsum quoque Christum unum, multiformiter Christi argumentatores quatit, qui alium faciunt Christum, alium Jesum; alium elapsum de mediis turbis, alium detentum, &c.*

IX. Ex S. Dionysio Alexandrino in Epistola Synodica ad Paulum Samosatenum, ubi

Hæresiarcam illum redarguit, *Duas hypostases, & duas personas asseverantem unius Christi; sive Christos duos, duosque Filios*. Quod uberiori disputatione refellit.

X. Ex S. Athanasio in libello de Incarnatione: *Sicut*, inquit, *homo persona est una, & animal unum e spiritu & carne concretum: ita Christus intelligi debet unus esse, & non personæ duæ: quod recens impietas violenter invehere conatur*.

XI. S. Gregorius Nazianzenus Oratione 31. *Non duo factus*, inquit, *sed unum ex duobus fieri sustinens. Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit, & quod est assumptum: Naturæ duæ in unum concurrentes; non duo filii. Nolo contemperationem illam ementita ratione quispiam explicet*.

XII. Ex Sancto Hilario libro 19. de Trinitate. „ Mediator ipse (inquit) in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, & illo ipso inter Deum & hominem Mediatoris Sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis naturæ utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursum Deus manendo non esset.... Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes, Hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiantur; & quia unus atque idem est loquens, „ om-

„ omnia quæ loquitur, de ſemetipſo omnia „ eum locutum eſſe contendunt. Nec ſane „ negamus, totum illum qui ejus manet, „ naturæ ſuæ eſſe ſermonem. Sed ſi Jeſus „ Chriſtus & homo & Deus eſt, & neque „ cum homo, tum primus Deus, neque cum „ homo, tum non etiam & Deus; neque „ poſt hominem in Deo non totus homo, to„ tus Deus, unum atque idem neceſſe eſt „ dictorum ejus Sacramentum eſſe quod ge„ neris. „ Quo loco & duarum poſt Incarnationem integritas naturarum & unitas perſonæ luculenter aſſeritur.

XIII. Ex S. Ambroſio *lib. de Incarnatione, cap.* 5. dicente, adverſus omnes hæreſes generalem hanc eſſe Fidem: „ Quia Chriſtus „ eſt Dei Filius, & ſempiternus ex Patre & „ natus ex Virgine. Quem quaſi gigantem „ Sanctus David Propheta deſcribit, eo quod „ biformis geminæque naturæ unus ſit conſors „ Divinitatis & corporis; qui tamquam Spon„ ſus procedens de thalamo ſuo exultavit ut „ gigas ad currendam viam: Sponſus animæ „ ſecundum Verbum: Gigas terræ, quia uſus „ noſtri officia percurrens, cum Deus ſemper „ eſſet æternus, Incarnationis Sacramenta ſu„ ſcepit, non diviſus, ſed unus: quia utrumque „ unus & unus in utroque, hoc eſt, vel Divini„ tate, vel corpore. Non enim alter ex Pa„ tre, alter ex Virgine, ſed idem aliter ex „ Patre, aliter ex Virgine. Generatio gene„ rationi non præjudicat, nec caro Divinitati.

 XIV.

XIV. Ex *S. Hieronymo*, In cap. 1. Epistolæ ad Ephesios, *ubi ait*: „ Benedictus Deus
„ ejus qui assumptus est hominis, & Pater
„ ejus qui in principio apud Deum fuit Deus
„ Verbum. Non quo alius assumptus homo
„ & alius sit Sermo, qui assumpserit: sed quo
„ unus atque idem, pro varietate causarum,
„ nunc sublimis, nunc humilis prædicetur.

XV. Ex S. Augustino in libro de Corre-
„ ptione, & Gratia, cap. 11. „ Deus (inquit)
„ naturam nostram, id est, animam rationa-
„ lem, carnemque hominis Christus suscepit
„ susceptione singulariter mirabili, vel mira-
„ biliter singulari, ut nullis justitiæ suæ præ-
„ cedentibus meritis, Filius Dei sic esset ab
„ initio quo esse homo cœpisset, ut ipse, &
„ Verbum quod sine initio est, una persona
„ esset.

XVI. Id probatur ex Theodoto Ancyrano in Homiliis; ex Sancto Cyrillo, in Epistolis, Anathematismis, & Libris; ex Proclo; ex Paulo Emisseno in Homiliis duabus Alexandriæ pronuntiatis; ex Orientalium Confessione, quæ incipit, *Lætentur cæli*: & ex ceteris Patribus, qui Concilium Ephesinum secuti sunt, quos recensere longum esset.

Objicies. Humanitas Christi per se ac proprie subsistit: est igitur in Christo persona humana, adeoque duæ personæ.

Probatur antecedens. Si proprie ac per se non subsisteret Humanitas Christi, non esset actu substantia. Id autem asserere erroneum est.

Præ-

Præterea. Si humanitas Christi propria subsistentia destituta esset, manca foret, ac imperfecta, ut quæ ultimo careret complemento.

Respondeo ad primum, nego antecedens. Nec ideo sequitur naturam humanam Christi esse non subsistentem, neque actu substantiam, quia in alio subsistit, scilicet in Verbo, nec ipsi tamquam accidens inhæret. Reipsa enim & actu, propriaque vi subsistere non pertinet ad essentiam substantiæ; sed solum ut sit per se subsistendi capax, si sibi relinqueretur. Fulcitur hæc responsio insigni loco S. Joannis Damasceni lib. 3. *de Fide Orthodoxa*, cap. 9. „ Quamvis (inquit) non sit natura ulla quæ „ non subsistat, neque substantia, quæ non „ sit persona, siquidem in hypostasibus & „ personis substantia & natura spectatur, non „ tamen necesse est naturas inter se hypostasi „ capulatas, propriam obtinere singulas hy- „ postasim. Possunt enim in unam hyposta- „ sim concurrentes, neque non subsistentes „ esse, neque propriam unaquæque hyposta- „ sim habere: sed ambæ unam & eamdem. „ Eadem quippe Verbi hypostasis, amba- „ rum facta naturarum hypostasis, neque sub- „ sistentiæ quampiam illarum expertem esse „ sinit: neque tamen diversa ad se invicem „ hypostasi patitur subsistere. Sed nec alias „ istius, alias illius; sed semper ambarum, „ citra divisionem ac separationem, hyposta- „ sis est, non partita, nec divisa; neque „ partem suimet huic, partem alteri tribuens:

 „ ve-

„ verum tota hujus, & tota illius, pro indi-
„ viso est, & integre. Non enim propria vi
„ consistens Dei Verbi caro subsistit, nec al-
„ tera facta hypostasis, præter hypostasim
„ Dei Verbi: sed in ipsa subsistens ad hypo-
„ stasim magis adjuncta, quam proprio modo
„ consistens hypostasis est facta. Ideo non
„ diversam in Trinitatem hypostasim inducit.

Respondeo ad secundum, nego consecutionem. Illud enim cui nulla perfectio substantiva deest, sed adventitia tantum, & quæ ex proprietatum complexione, quæ extra naturam sunt rei, petitur, mancum & imperfectum dici non potest, præsertim si quæ deest perfectio, aliunde excellentius suppleatur. At subsistentia istius generis perfectio est, cum sit ultimum substantiæ jam existentis complementum. Hæc responsio colligitur ex Leontio Byzantino, in calce libri *Solutionum argumentorum Severi*, dicente: „ Sed hoc ad-
„ vertere oportet, quod hypostasis non sim-
„ pliciter, neque præcipue perfectum de-
„ clarat; sed quod per se existat: secundo
„ autem loco, perfectum. Natura vero quod
„ per se existit nequaquam declarat; proprie
„ autem perfectum. Siquidem proprietates,
„ quæ ad rationem hypostasis sumuntur, fa-
„ ciunt, esse unumquemque aliquem ab ali-
„ quibus: Quæ vero sumuntur ad rationem
„ naturæ, non faciunt esse aliquem, sed ali-
„ quid ab aliquo. *Addit subinde*: Hoc etiam
„ non est ignorandum, quod ea quæ naturam
„ signant,

„ signant, constituunt substantiam; quæ au-
„ tem signant hypostasim, velut accidentium
„ rationem habent, sive sint separabilia, si-
„ ve inseparabilia. „ Actualis itaque subsistentia non pertinet ad perfectionem essentialem naturæ: unde humanitas Christi non est imperfecta, etsi propria subsistentia destituta sit: maxime cum naturalis inferiorque subsistendi modus, potiore & digniore pensetur, scilicet subsistentia Verbi Divini. Hinc Theodorus Presbyter libro de Incarnatione: „Qui-
„ nam (inquit) hæc in Christo humanitas,
„ quæ in propria hypostasi per se ipsam num-
„ quam fuit, sed in Deo Verbo quod eam
„ assumpsit, esse & subsistere sortita est, sub-
„ sistentia vocari posset umquam, aut perso-
„ nam proprie subsistentem, ac per se sese &
„ seorsim cognitam haberet? „ Hinc & Ferrandus Diaconus in Epistola ad Severum ait:
„ Non utique personam aliam suscepit, quia
„ non hominem paratum invenit; sed natu-
„ ram potius humanam, in qua ipse Deus
„ homo nasceretur, invenit. Habuit igitur
„ humana natura, ex quo est creata, perso-
„ nam sed unam cum Deo, qui eam susci-
„ piendo creavit. Tu proinde quisquis huic
„ Fidei contradicis, ostende mihi in Christo
„ sine Divinitate aliquando humanitatem;
„ & tunc fatebor quod habuerit propriam,
„ etiam sola humana natura personam. Quia
„ vero Divinitas quidem Verbi Dei sine hu-
„ manitate fuit; humanitas vero sine Divi-

 „ ni-

„ nitate numquam fuit, ideo habuit divina
„ natura personam, quam humanæ naturæ,
„ quando eam suscepit, indulsit: ut & natu.
„ ra suscepta, sine ulla confusione, ineffa-
„ biliter adunata, unius crederetur esse per-
„ sonæ.

Objicies. De eadem persona contraria enuntiari non possunt: atqui de Christo contraria enuntiantur; dicitur enim creatus & increatus, patibilis & impatibilis, Deus & homo. Itaque non est unica in Christo persona.

Respondeo, distinguo majorem: De eadem persona contraria enuntiari non possunt, secundum eamdem naturam, concedo; secundum diversas naturas, nego. Itaque ex arctissima naturarum duarum in una Verbi persona conjunctione, communicatio mutua proprietatum oritur, quam idiomatum communicationem Theologi de Schola vocant: qua fit ut & naturæ inter se, quæ cuique peculiaria sunt, tamquam propria usurpent: & uni eidem parsonæ, tum sigillatim, tum simul omnia tribuantur, non diversa modo, sed etiam sibi invicem contraria. Hanc idiomatum communicationem, vimque illus multis veterum Patrum testimoniis probat & exponit Petavius S. J. Theologus, *lib.* 4. *Dogmatum Theologicorum de Incarnatione, cap.* 15. *&* 16.

Objicies. Persona est rationalis naturæ individua substantia; atqui natura humana in Christo est rationalis naturæ individua substan-

ſtantia: in Chriſto igitur eſt humana perſona. Probatur Minor. Chriſtus enim humanam naturam communem multis & univerſalem non aſſumpſit, ſed ſingularem.

Reſpondeo, in definitione perſonæ individuam ſebſtantiam intelligi eam quæ ſeorſim exiſtat, & quæ ſit prorſus incommunicabilis alteri, non ſolum ut univerſalis naturæ inferioribus, ſed & eo modo quo pars toti; aut natura ſuppoſito communicatur. Quamobrem cum humanitas Chriſti reipſa communicetur Verbo divino, nec in ſe & ſeorſim conſiſtat, ſuique ſit juris; ſed ab aliquo digniore, ſcilicet a perſona Filii Dei aſſumpta fulciatur, non eſt in Chriſto humana perſona quamvis individua ſit natura humana eo ſenſu, quo una numero natura eſt, & ab reliquis diſtincta certis proprietatibus, quas Philoſophi individuantes vocant. Hinc S. Joannes Damaſcenus *lib.* 3. *cap.* 11. ait Verbum divinum aſſumpſiſſe naturam hominis, non qua univerſalis eſt, aut qua in multis ineſt; „ Sed quæ in uno „ eſt individuo. Non enim hoc modo ſignificare individuum, ſicut hypoſtaſim proprie ac ſolum, neque quod hypoſtaſibus eſt „ commune; ſed communem naturam iu una „ hypoſtaſeon conſideratam. „ Quamvis alio ſenſu Chriſtum individuum eſſe neget S. Joannes Damaſcenus, quia ſcilicet non eſt communis ſpecies naturæ quæ ſit ex Divinitate & humanitate compoſita, in cujus adeo individuis omnibus naturæ duæ inconfuſæ in

unum aliquod singulare conveniant. „ In „ Jesu-Christo (inquit lib. 3. cap. 3.) non „ potest communis accipi species. Non enim „ fuit, aut est, aut erit aliquando Christus „ alius ex Divinitate & humanitate in Divi- „ nitate & humanitate Deus perfectus, idem „ & homo perfectus. Hinc nefas est dicere „ unam naturam in Domino nostro JesuChri- „ sto, sicut in individuo aliquo, quod ex „ anima & corpore componitur: ut eodem „ modo in Christo ex Divinitate & humani- „ tate sit aliqua composita natura. Nam il- „ lic individuum est: Christus autem non est „ individuum. Non enim speciem habet hu- „ jusmodi Christeitatis (ita ut loquar) quæ „ de se prædicetur.

Sanctus etiam Anselmus negat hunc hominem a Verbo assumptum, quia individuum humanæ naturæ cum persona confundit. Sic enim habet *lib. de Incarnatione, cap. 5.* „ Cum profertur homo, natura tan- „ tum, quæ communis est omnibus homini- „ bus, significatur. Cum vero demonstrati- „ ve dicimus, istum, vel illum hominem, „ vel proprio nomine Jesum, personam de- „ signamus: quæ cum natura collectionem „ habet proprietatum, quibus homo com- „ munis fit singularis, & ab aliis singulis di- „ stinguitur. Nam cum ita designatur, non „ quilibet homo intelligitur; sed qui ab An- „ gelo nuntiatus est, qui Deus, & homo, „ Filius Dei, Filius Virginis est: & quid- „ quid

„ quid de illo dicitur, aut secundum Deum, „ aut secundum hominem, verum est dicere. Non enim idem est homo, & assumptus a Verbo homo, id est, Jesus: quoniam in nomine hominis sola intelligitur „ natura: in assumpto vero homine, vel in „ nomine Jesu, intelligitur cum natura, id „ est, cum homine, collectio proprietatum, „ quæ est eadem eidem assumpto homini & „ Verbo. „ Non tamen dubitavit S. Augustinus naturam hominis assumptam dicere istum hominem, lib. *de Prædestinatione Sanctorum*, cap. 15. „ Respondeatur, quæso „ (inquit) ille homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset: unde hoc meruit? „ Exorta nihilominus Hæresi Nestoriana, major cautio circa hunc loquendi modum adhibita est: unde Sanctus Cyrillus Alexandrinus in *Epistola ad Valerianum*, refellit quod Nestoriani effutiebant, *Deum & hominem simul convenientes, unum effecisse Christum*; His enim verbis *Vtriusque salvam hypostasim esse* significabant, *minime confusam, sed ratione divisam*, ut idem Sanctissimus Pater notat.

Objicies. Si unica esset in Christo persona, Christus recte dici posset *Unus de Sancta Trinitate*, & asseri *Unum de Trinitate esse passum*. Id autem falsum est. Nam hujusmodi locutiones damnatæ sunt erroris in Monachis Scythiæ ab Hormisda Pontifice Maximo.

mo. Igitur non est unica in Christo persona.

Respondeo, nego minorem. Non enim Hormisdas propositiones illas damnavit, sed Scytharum Monachorum temeritatem, ac pertinaciam, qui illas Concilii Chalcedonensis Definitioni esse necessario addendas contendebant, quæ accessione ista, quasi manca & minime absoluta perfici & compleri opus habuisset. Ceterum hanc loquendi rationem Ecclesia recepit ac approbavit, ut patet ex V. Synodo *Canone* 4. *&* 5. & Joanne II. Romano Pontifice in Epistola ad Justinianum, in qua illud profitentem Imperatorem collaudat, & Acœmetas Monachos contra sentientes condemnat: tum ex Epistola ejusdem Pontificis ad Senatores. Item ex Epistola Pelagii I. ad Childebertum Francorum Regem data. Has sententias esse apprime Catholicas Sanctorum etiam Patrum testimonia probant, quibus Joannes Maxentius illas defendit, scilicet S. Procli, S. Augustini in *Enchiridio cap.36. & lib.2. de Trinitate, cap.10.* His adde S. Fulgentium *lib. de Fide ad Petrum cap.* 13. Ferrandum Diaconum in *Epistola ad Anatolium*, Facundum Hermianensem lib. 1. pro defensione Concilii Chalcedonensis. Cum autem dixerunt *Unum de Trinitate esse passum*, nihil intellexerunt aliud, quam *Filium Dei passum esse carne*: Hacque enuntiatione caverunt, *Ne putaretur homo purus Passionis tolerasse injurias*; ut Ferrandus Diaconus exponit. Singularem de

hac

hac controversia Disputatio in Scholis instituitur.

Dices. Si unica sit in Christo persona, Filius Dei passus est, adeoque passa est Divinitas.

Respondet Vigilius Tapsensis *libro* 2. Passum esse Dei Filium *in unione personæ, non in proprietate naturæ. Siquidem passionis injurias etiam Divinitas pertulit, sed passionem sola ejus caro persensit: Sicuti solis radium, vel flammæ corpulentiam recte dicimus posse gladio secari, non posse tamen dirimi. Ita Verbum Dei jure dicimus passionis injurias pertulisse, non tamen passionem sensisse. Ita ergo suscipiendo passiones, & earum non cedendo affectibus, apparet Deum Verbum impassibiliter passum. Sed quia caro ejus non solum pertulit, sed & sensit, & cessit, merito ac jure dicimus, Dominum his omnibus passionum conditionibus sensibiliter affectum in carne sua, sine sensu vel mutatione Divinitatis suæ. Ergo perferre passionem, naturæ est utriusque; sed cedere passioni, non est utriusque naturæ, cum sit unius denique personæ.*

Explicat egregie idem Auctor lib. 5. qua ratione aliquid Christo proprium est, & aliquid commune. „ Diversum est, *inquit*, atque alienum, initium non habere, & ex „ initio subsistere; mori, & mori non posse: & tamen sicut ipsi Christo proprium „ est utrumque, ita non ipsi, sed in ipso „ utrumque est commune. Si enim dicamus, „ quia

„ quia ipsi est commune, necesse est ut exi-
„ gatur a nobis, dare & ostendere alium,
„ cum quo ei sit hoc ipsum commune: Quæ
„ professionis necessitas in Nestorii vergit
„ impium dogma. Melius igitur & Catho-
„ lice dicimus, in ipso & non ipsi esse com-
„ mune. Ergo proprium est illi mori, pro-
„ pter naturam carnis quæ mortalis est: &
„ proprium est illi non mori, propter natu.
„ ram Verbi, quæ mori non potest. Item
„ propter ineffabile mysterium unionis, com.
„ munis in ipso fuit mortalitas carnis Verbi
„ naturæ quæ mori non potuit: & commu.
„ nis in ipso est immortalitas Verbi natu-
„ ræ carnis, quæ morti succubuit. Ergo si-
„ cut illi mori, & non mori, ex utrisque
„ naturis, est proprium: ita commune est
„ in ipso utrisque naturis, quod illarum est
„ proprium. Et ut exempli gratia dixerim:
„ Proprium mihi est notam livoris cujusque
„ verberis gestaré in corpore meo, per na-
„ turam carnis meæ: & proprium mihi est
„ hanc eamdem notam non gestare in spiri-
„ tu meo, per naturam animæ meæ. Item
„ proprium mihi est, plagam verbi, id est,
„ sermonem durum, gestare in mente mea
„ per naturam animæ meæ: & proprium
„ mihi est eamdem plagam non portare in
„ corpore meo, per naturam carnis meæ.
„ Et cum sit mihi utrumque proprium; &
„ corpori, & animæ meæ utrumque alie-
„ num: quia nec durum corpus, lætumve
„ ser-

„ sermonem intelligit, nec anima flagelli „ vulnere livescit: utrumque tamen com- „ mune est in me ipso & animæ, & corpori „ meo: quia nec anima extra corpus sit, „ & quod ei sentire proprium fuerat, sensit; „ nec corpus extra animæ consortium plaga- „ rum indicia gestavit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Beatissima Virgo Maria vere proprieque dicenda sit Mater Dei?

PROPOSITIO.

Mariam Virginem verissime proprieque Matrem Dei esse ac dici debere, docet ac tuetur contra Nestorium Catholica Fides.

PRobatur primo ex Apostolo ad Romanos 1. scribente *Filium Dei factum esse ex semine David secundum carnem*. Ex semine vero Davidis genitus intelligi non aliter potest, nisi quatenus ex Virgine Matre natus. Nam si nihil ex Virginis substantia Dei Filius sumpsit, non est factus, *ex semine*, id est, stirpe Davidis. Quis enim Evam de Adami semine factam dixerit? Nemo sane. Eccur? Quia nempe ex semine fieri, non merum transitum significat, sed substantivam veramque generationem.

Idem

Idem probant illa ex Epistola ad Galatas, cap.4. *Misit Deus Filium suum factum muliere.* Græce habetur, *γενόμενον*, que vox generationem significat. Nam *γένεσις* est generatio.

Probatur secundo testimoniis Veterum Patrum, qui Concilium Ephesinum præcesserunt. Scilicet S. Ignatii Martyris in Epistola ad Ephesios: *Deus noster*, inquit, *Jesus Christus a Maria in utero gestatus est*. Ibidem: *Vnus est Medicus carnalis & spiritalis factus & non factus, qui in carne fuit Deus in immortali veraque vita, & ex Maria, & ex Deo.*

Idem probatur ex S. Justino Martyre *in Dialogo cum Tryphone*, ubi ait: *Christum prius extitisse Filium Conditoris omnium, ac Deum, qui genitus est homo per Virginem, eidem nobiscum patiendi legi subjectus, & carnem habens.*

Idem ex S.Irenæo, lib.3. cap.31. „ Verbum (inquit) existens ex Maria, quæ ad-
„ huc erat Virgo, recte accipiebat generationem Adæ recapitulationis. Si igitur
„ primus Adam habuit Patrem hominem, &
„ ex semine viri natus est; merito dicerent,
„ & secundum Adam ex Joseph esse generatum. Si autem ille de terra quidem sum-
„ ptus est, & Verbo Dei plasmatus est, oportebat idipsum Verbum recapitulatio-
„ nem Adæ in semetipsum faciens, ejusdem
„ generationis habere similitudinem. Quare
„ igi-

„ igitur non iterum sumpsit limum Deus, „ sed ex Maria operatus est plasmationem? „ ut non alia plasmatio fieret; neque alia „ esset plasmatio, quæ salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur servata similitudine. „ Verbum æternum extitit ex Maria Virgine, secundum S.Irenæum; id est, de illius substantia formatum est, quemadmodum de terræ substantia fictus est Adamus. Hac enim ratione recapitulatur, id est, instauratur ac reficitur prior illa in vitium prolapsa generatio. Hunc S. Irenæi locum laudat Theodoretus *Dialogo* 1.

Idem suadet S. Hippolytus Martyr ab eodem Theodoreto laudatus. „ Dic mihi (inquit) o Beata Maria; quid erat, quod a „ te in utero conceptum est, & quid a te in „ Virginea matrice gestabatur? Verbum „ enim erat Dei primogenitum e cælo in te „ delapsum, & homo primogenitus in utero formatus: ut primogenitum Dei Verbum primogenito homini copulatum ostenderetur.

Idem S.Dionysius Alexandrinus in Epistola contra Paulum Samosatenum. „ Una (inquit) sola Virgo filia vitæ, genuit vivens „ Verbum, & subsistens. *Ibidem*: Quoniam „ tu dicis hominem eximium Christum, & „ non Deum verum existentem, & adoratum ab universa creatura cum Patre & Spiritu Sancto, incarnatum e Sancta Virgine „ & Dei genitrice Maria?

Sic

Sic Tertullianus lib. *de Præscriptionibus*, cap. 13. „ Regula autem est Fidei, ut jam „ tunc quid credamus profiteamur; illa scilicet, qua creditur Unum omnino Deum „ esse, nec alium præter mundi Conditorem, qui universa de nihilo produxerit, „ per Verbum suum primo omnium emissum. Id Verbum Filium ejus appellatum, „ in nomine Dei varie visum Patriarchis, in „ Prophetis semper auditum: Postremo delatum ex Spiritu Dei Patris & virtute in „ Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum hominem, & „ esse Jesum Christum. „ Et lib. *de Carne Christi*, cap. 17. „ Ante omnia (inquit) „ commendanda erit ratio quæ præfuit, ut „ Dei Filius de Virgine nasceretur.

Sic Lactantius *lib. 4. Divinarum Institutionum*, cap. 12. „ Descendens itaque de cælo „ (inquit) Sanctus ille Spiritus Dei, Sanctam Virginem cujus utero se insinuaret, „ elegit. At illa divino Spiritu hausto repleta concepit, & sine ullo attactu viri, repente Virginalis uterus intumuit.

Sic S. Athanasius Oratione 4. contra Arianos: *Itaque divinæ Scripturæ scopus iste est, & formula propria, ut duplicem agnoscamus in ea de Salvatore loquendi rationem: Nimirum tum Filium fuisse semper & esse Deum; qui sit Verbum & splendor ac sapientia Patris: tum postea propter nos eumdem illum assumpta carne de Virgine Dei genitrice Maria,*

ria, hominem esse factum.

Sic S.Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. *Crede hunc unigenitum Dei Filium, propter peccata nostra e cælo in terram descendisse, & assumpsisse iisdem nobiscum subjectam affectionibus humanitatem, & ex Sanct. Virgine ac Spiritu Sancto esse genitum.*

Sic S. Basilius *Homilia* 25. *de humana Christi generatione*, B. Virginem θεοτόκον appellat.

Sic S. Gregorius Nazianzenus *Epistola* 1. *ad Cledonium*, a Divinitate separat eos, *Qui Dei genitricem Mariam esse non existimant.*

Sic S.Hilarius lib. 9. de Trinitate. *Natus igitur Deus ex Virgine homo, & secundum plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem.*

Sic Julius Firmicus libro *De Errore Profanarum Religionum*, c. 26. *Ex genere Abrahæ descendens Maria Virgo Deum concipit, ut humanum genus per hominem pariter & Deum æquata societatis comparatione conjunctum, ad immortalitatis imperium obedientiæ merito perveniret.*

Sic S.Ambrosius *lib. de Incarnatione* c. 5. *Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine; Generatio generationi non præjudicat.*

Sic S.Joannes Chrysostomus Homilia 2. in Matthæum: *Valde*, inquit, *auditu mirum & insitatum est, Deum inaccessum, & ineffabilem, & qui mente comprehendi nequit, ac Patri æqualem, per uterum venisse Virgineum,*

neum, & ex muliere gigni voluisse; & habere stirpis auctores Davidem & Abrahamum.

Eumdem titulum θεοτόκον in Beatam Virginem conferunt Amphilochius *Oratione* 4. Antiochus & Ammon a Sancto Cyrillo laudati in libro *De recta Fide*.

Sic Sanctus Hieronymus lib. contra Helvidium, *Natum*, inquit, *Deum esse de Virgine credimus, quia legimus.*

Sic S. Augustino adscriptus Sermo 15. de Tempore. *Creatorem invisibilem pro nobis visibilem factum, a quo invisibili & ipsa creata est, visceribus fœcundis, & genitalibus integris Virgo mater effundit. Concipiens Virgo, pariens Virgo, Virgo gravida, Virgo fœta, Virgo perpetua. Quid miraris hæc, homo? Deum sic nasci oportuit, quando esse dignatus est homo. Talem fecit illam, qui est factus ex illa. Antequam fieret enim, erat; & quia omnipotens erat, fieri potuit manens, quod erat. Fecit sibi matrem, cum esset apud Patrem, & cum fieret ex matre, mansit in Patre.*

Et infra: *Quomodo in Regula Fidei confiteremur credere nos Filium Dei, qui natus est ex Virgine Maria? Quis enim Christianus neget ex illa fœmina Filium hominis natum, sed tamen Deum hominem factum, & ita hominem Deum factum?*

Sic rursus e Græcis S. Ephrem Syrus in Oratione *De Margarita pretiosa*, explicans illa

illa verba Gabrielis Angeli ad B. Virginem, *Lucæ* 1. relata: *Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. Non dixit, Quod genitum fuerit, iterum gignetur: neque dixit, Quod nascetur ex virtute, vel Spiritu Sancto: sed, ex te, ut Virginis naturam ostenderet Deitati ministrantem, assumptionemque in ipsa, & ex ipsa Deo conjunctam. Nisi enim dixisset, Quod nascetur ex te, fortasse figuram existimatum fuisset Verbum assumpsisse.*

Sic Proclus Cyzicenus Episcopus *Oratione* 1. *In Sanctam Virginem*, quæ initio Ephesinæ Synodi perfixa est. „ Sacra Deipara Maria in unum nos coegit. Hæc illibatæ virginitatis purus ille thesaurus, decusque & ornamentum; hæc spiritalis secundi Adami paradisus; hæc unitarum inter se naturarum officina: hæc salutaris reconciliationis panegyris; hæc thalamus in quo Verbum humanum carnem sibi desponsavit: hæc animatus naturæ rubus, quem divini partus ignis non combussit: hæc vere levis illa nubes, quæ super Cherubim sedentem in corpore suo gestavit: hæc vellus mundissimum cælesti pluvia madens, ex quo Pastor ovem induit: hæc ancilla est & Mater, Virgo, & cælum: hæc sola pons est per quem Deus ad homines descendit: hæc admirandæ illius œconomiæ tela in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius unionis tunica confecta

„ est,

„ eſt, cujus quidem textor extitit Spiritus „ Sanctus ; nutrix, virtus ex alto obumbrans ; lana vetuſta Adami pellis ; trama, „ impolluta Virginis caro ; radius textorius, „ immenſa geſtantis gratia ; artifex, Verbum „ per auditum illapſum . Quis vidit, quis „ audivit alia ? Incircumſcriptus Deus uterum inhabitat ; quem cæli non capiunt, „ venter non coanguſtavit Virginis .

Sic Theodorus Ancyranus in expoſitione Symboli Nicæni : „ Sancti Patres, poſt „ Dei cum homine unitionem, non jam amplius duas res intelligentes, merito Jeſum „ dicentes, Deum Verbum deſignant, atque „ juxta Theologum (*id eſt S. Joannem*) lo„ quens, Jeſum oculis conſpicuum, Verbum interpretantur : Non confundentes „ naturas, ſed unitionem oſtendentes . Propterea Jeſum Mariæ Filium, ex Deo natum, & non factum ac Dominum gloriæ „ crucifixum Sacræ Litteræ loquuntur .

Et infra : „ Neque vero paſſibile aliqua „ ratione eſt paſſibile, quam quod natura, „ quæ pati poteſt præditum eſt . Nam neque „ Virgo ejuſmodi eſt, quæ hominem pariat. „ Non enim partus capax eſt, quæ ipſa perſeveret virginitas . Atqui Maria Deum „ Verbum factum hominem peperit, integra virginitate .

Sic S. Cyrillus Alexandrinus, lib. De Recta Fide ad Reginas. *cap.6*. „ Illi autem „ qui ſacram Virginem Deiparam eſſe im„ pe-

„ perite negant, huc necessario adiguntur, „ ut duos Dei Filios constituant. Nam si sa„ cra Virgo Deum incarnatum secundum car„ nem non peperit, vel inviti concedant o„ portet hominem tantum vulgarem, nobis„ que excellentiorem in lucem edidisse. *Et* „ *c*.9. Porro autem vocem hanc, *Deipara*, „ veteribus Patribus quorum sanctimoniam „ & Fidei integritatem admiramur, nec non „ omnibus eos deinceps hucusque sunt secu„ ti per universum (ut ita dicam) terrarum „ orbem, familiarem esse ostendendum exi„ stimavi. „ Tum subjicit testimonia Patrum, quibus Catholicum illud dogma approbatur, scilicet Sancti Athanasii, Attici Constantinopolitani Episcopi, Antiochi, Amphilochii Episcopi Iconiensis, Ammonis Episcopi Adrianopoleos, Joannis Chrysostomi, Severiani Gaballorum, Vitalii Episcopi, & Theophili Alexaudrini.

Eorumdem Patrum auctoritatem, & totius Ecclesiæ Fidem urget contra Nestorium, in Epistola ad Acacium Episcopum Berœensem, additque: *Denique nemo, opinor ex Orthodoxorum numero illam Deiparam nominare dubitavit; quandoquidem verum est, Emmanuelem Deum esse. Erunt itaque anathemate constricti SS. Patres qui jamdudum ante ad Deum evolarunt, ceterique omnes quotquot Christum Deum esse confessi, recta veritatis dogma consectantur*.

Et in Epistola 3. ad Nestorium, cap. 11. *Quia*

Quia vero sacra Virgo Deum carni secundum hypostasim unitum corporaliter genuit, ob id illam quoque Deiparam esse dicimus; non quod Dei Verbi natura existendi initium ex carne traxerit; sed quia humana natura secundum hypostasim sibi unita, corpoream ex utero nativitatem expertum est. Et Anathematismo 1. *Si quis non confitetur, Emmanuelem verum Deum esse, & ob id Sanctam Virginem Deiparam; (genuit enim illa incarnatum Dei Verbum secundum carnem) anathema sit*. Idem Fidei dogma tuetur in omnibus scriptis contra Nestorium.

Ipsi suffragatur Joannes Antiochenus in Epistola ad Nestorium. „ Etenim nomen „ hoc θεοτόκον (inquit) nullus unquam Ec- „ clesiasticorum Doctorum repudiavit. Qui „ enim illo usi sunt, & multi reperiuntur, „ & apprime celebres: qui vero illud non „ usurparunt, numquam erroris alicujus eos „ insimularunt, qui illo usi sunt ...... *Et* „ *infra*. Etenim si id quod nominis signifi- „ catione offertur non recipimus, restat ut „ in gravissimum errorem prolabamur; im- „ mo vero ut inexplicabilem illam unige- „ niti Filii Dei œconomiam abnegemus: „ quandoquidem nomine hoc sublato, vel „ hujus potius nominis notione repudiata, „ sequitur mox illum non esse Deum, qui „ admirabilem illam dispensationem nostræ „ salutis caussa suscepit; tum Dei Verbum „ neque se exinanivisse, neque in servi for-

„ mam

„ mam sese dimittens ineffabilem quamdam
„ benignitatis magnitudinem humano generi
„ exhibuisse. Cum tamen Dei erga nos cle-
„ mentiam divinæ Scripturæ hinc præcipue
„ confirment, quod unicum illum sempiter-
„ numque Dei Filium ante omnia sæcula na-
„ tum, impatibili modo ex sacra quoque
„ Virgine ortum ostendunt. Huc namque di-
„ vinus tendit Apostolus, dum ita ait: Mi-
„ sit Deus Filium suum factum ex muliere.
„ Clare hic ostendit, ipsummet Dei Unige-
„ nitum admirabili ortu ex Virgine in lu-
„ cem prodiisse. Quod si Virgo a Sanctis
„ Patribus propter hanc generationem Dei-
„ para nominatur, ut vere hoc nomine ab
„ illis nominatur, nescio quorsum attinuerit,
„ ut quæstionem hanc nunquam necessariam,
„ & contra nos ipsos & contra Ecclesiasti-
„ cam pacem quoque agitandam suscepe-
„ rimus.

Suffragatur & Theodoretus in reprehensione Anatematismi primi Cyrilliani. *Quamobrem*, inquit, *& Sanctam illam Virginem Dei genitricem appellamus, non quasi Deum natura generaverit, sed tamquam hominem unitum Deo qui finxit eum*. Et infra de servi forma, quam Verbum assumpsit, hæc habet; *Quia vero non erat nudata Dei forma, sed templum inhabitantis Dei Verbi secundum Pauli vocem*: In *ipso enim*, inquit, *complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare corporaliter*: *non hominis genitricem*, *sed*

 Dei

Dei genitricem Virginem appellamus; illam quidem figmento & formationi, & conceptui, hanc autem unitioni imponentes appellationem. Propterea & natus infans Emmanuel appellatur, neque Deus ab humana natura separatus, neque homo Divinitate nudatus... Ergo infans Emmanuel dicitur propter assumentem Deum; & Dei genitrix Virgo propter unitionem formæ Dei ad conceptam servi formam.

Suffragantur Orientales Episcopi in Confessione Fidei, quam suæ ad Joannem Antiochenum Epistolæ, quæ incipit, *Lætentur Cæli*, inseruit S. Cyrillus. *Confitemur*, inquiunt, *Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, Deum esse perfectum, & hominem perfectum ex anima rationali & corpore constitutum: ante sæcula quidem ex Patre natum secundum Divinitatem, postremis vero temporibus eumdem ipsum propter nos, & propter nostram salutem, ex Maria Virgine, secundum humanitatem: siquidem duarum naturarum facta est unio: & propterea unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur, propterea quod Deus Verbum incarnatum sit & homo factum, & ex ipso conceptu templum ex illa sumptum sibi univerit.*

Suffragatur Paulus Emissenus Episcopus in Homilia Alexandriæ habita, cum pax inter Ecclesias inita est. *Parit*, inquit, *Dei Genitrix Maria Emmanuelem .... Qui ita non dicit, intelligit, ac sentit, anathema sit ab* Ec-

Ecclesia. Peperit proinde nobis Deipara Maria Emmanuelem, hoc est, Deum hominem factum. Nam Deus Verbum, qui ante sæcula arcano ineffabiliqne modo ex Patre genitus est, novissimis temporibus natus est ex muliere. Natura namque nostra perfecte assumpta, humanitateque ex prima conceptione sibi conjuncta, ac nostro corpore sibi in templum fabrefacto, ex Deipara Virgine Deus perfectus, & homo itidem perfectus prodiit. Legatur ejusdem Homilia secunda. Extat utraque tertia parte Concilii Ephesini cap. 31. & 32.

Suffragatur S. Leo Epistola 24. ad Flavianum. ,, An forte, *inquit*, ideo putavit Do-
,, minum nostrum Jesum Christum non no-
,, stræ esse naturæ, quia missus ad beatam
,, Mariam semper Virginem Angelus ait:
,, Spiritus Sanctus superveniet in te & virtus
,, Altissimi obumbrabit tibi; ideoque &
,, quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur
,, Filius Dei: ut quia conceptus Virginis
,, divini fuit operis, non de natura conci-
,, pientis caro fuerit concepti? Sed non ita
,, nobis intelligenda est illa generatio singu-
,, lariter mirabilis, & mirabiliter singularis,
,, ut per novitatem creationis, proprietas
,, mota sit generis. Fœcunditatem enim
,, Virgini Spiritus Sanctus dedit, veritas au-
,, tem corporis sumpta de corpore est: &
,, ædificante sibi Sapientia domum, Ver-
,, bum caro factum est, & habitavit in no-

„ bis: hoc eſt, in ea carne, quam aſſum-
„ pſit ex homine, & quam Spiritus vitæ ra-
„ tionalis animavit.

Et Epiſtola 77. „ Nam ſicut Neſtorius non
„ eſt toleratus, affirmans beatam Mariam
„ hominis tantummodo fuiſſe genitricem,
„ qui poſtmodum ſit a Verbo Deitatis ſuſce-
„ ptus, duabus ſcilicet perſonis diſtinctis
„ atque diviſis, ut non eſſet filius hominis,
„ qui Filius Dei: neque unus Chriſtus in
„ utraque natura, ſed alter ſempiternus ex
„ Patre, alter temporalis ex Matre, cum
„ Evangelica auctoritas ita Verbum carnem
„ prædicet factum, ut non duos Chriſtos,
„ nec duos Filios, ſed in uno Domino Jeſu
„ Chriſto & Dei, & hominis nobis inſinuet
„ veritatem; ut utriuſque ſubſtantiæ, id eſt,
„ ſalvantis atque ſalvatæ, nec proprietas
„ poſſit confundi, nec perſona geminari, &c.

Suffragatur S. Fulgentius libro *de Incarnatione cap.3.* „ Si Deus Verbum, *inquit*, ſic
„ in Virgine caro fieret, ut ex ea non fie-
„ ret, proculdubio non de carne matris idem
„ Deus haberet ſubſtantiam carnis, eſſet-
„ que ejus per Virginem tranſitus: atque
„ ita nec Mediatoris Sacramentum nobis
„ proficeret ad ſalutem, nec humanæ divi-
„ næque plenam in ſe Chriſtus Dei Filius in-
„ confuſibiliter uniret ſubſtantiæ veritatem...
„ Beata igitur Maria Deum Verbum, ſecun-
„ dum quod caro factum eſt, & concepit, &
„ peperit: cujus utero Verbum Dei non car-
„ nem,

„ nem, in qua conciperetur, intulit, nec „ ex ea materiam conceptæ sive formatæ „ carnis, non ipse Deus concipiendus, sed „ tantum nasciturus assumpsit; sed ex ea, „ & in eadem Virgine humanæ carnis natu- „ ram, secundum quam temporaliter Deus „ sempiternus conciperetur, & nasceretur, „ assumpsit.

„ *Et cap. 6.* Ita Deum Verbum, secun- „ dum quod caro factum est, Virgo Sancta „ concepit, Angelorum hominumque facto- „ rem, eumdemque nihilominus Virgo pe- „ perit hominum Redemptorem. Neque „ enim sancta Virgo Maria Deum sine carnis „ assumptione, nec carnem sine unitione „ concepit; quia ille conceptus Virginis, „ Deo fuit, carnique communis.

Suffragatur Petrus Diaconus lib. *de Incarnatione c.* 11. dicens: „ Beatam Virginem „ Mariam, non propter dignitatem homi- „ nis illius, qui ex ipsa natus est, (quem „ gratia & non natura Deum quidam impie „ predicare non metuunt) sed proprie & se- „ cundum veritatem *Θεοτόκον* id est, Dei „ genitricem, eo quod peperit vere & pro- „ prie Deum Verbum incarnatum & homi- „ nem factum, *&c.*

Suffragatur Ferrandus Diaconus in Epistola ad Anatolium: „ Dicat ergo mihi aliquis, „ *inquit*, Utrum proprius Filius Dei Patris, „ ipse est proprius Filius Virginis matris, an „ forte non habuit Maria proprium Filium,

„ quem Deus habet proprium Filium? Sed
„ & Maria habet proprium Filium, quia ge-
„ nuit, non adoptavit; & illum habet pro-
„ prium Filium, quem habet Deus proprium
„ Filium, quia duos Filios numquam Fides
„ Catholica prædicat. Restat ergo ut si Deus
„ Dei proprius Filius, ipse est etiam Matris
„ Virginis proprius Filius, cum proprie
„ eum genuerit. Alioquin si illa proprie non
„ genuit, nec ille est proprie filius. Pro-
„ prius est autem: ergo illa proprie genuit;
„ verumtamen secundum humanitatem, se-
„ cundum quam potuit Deus nasci.

Suffragatur Joannes Secundus Romanus Pontifex in Epistola ad Avienum Senatorem, & alios. „ Gloriosam vero, *inquit*,
„ sanctam semper Virginem Mariam, &
„ proprie & veraciter Dei genitricem, Ma-
„ tremque Dei Verbi ex ea incarnati, ab
„ hominibus Catholicis confiteri, recte esse,
„ docemus, proprie & veraciter: & idem
„ ipse ultimis temporibus incarnatus ex san-
„ cta Virgine matre nasci dignatus est. Pro-
„ pterea ergo quia proprie & veraciter Dei
„ Filius ex ea incarnatus est; ideo proprie
„ & veraciter Matrem Dei ex ea incarnati
„ & nati esse confitemur.

Suffragatur Quinta Synodus Canone 6. „
„ Si quis abusive, & non vere Dei genitri-
„ cem dicit sanctam, gloriosam semper Vir-
„ ginem Mariam: vel secundum relatio-
„ nem, quasi homine puro nato, sed non
„ Deo

„ Deo Verbo incarnato & nato ex ipsa, re-
„ ferenda autem, sicut illi dicunt, hominis
„ nativitate ad Deum Verbum, eo quod
„ cum homine erat nascente: & calumnia-
„ tur sanctam Chalcedonensem Synodum,
„ tamquam secundum istum impium intelle-
„ ctum, quem Theodorus execrandus inve-
„ nit, Dei genitricem Virginem dicentem:
„ vel qui hominis genitricem vocat, aut
„ Christotocon, id est, Christi genitricem,
„ tamquam si Christus Deus non esset; &
„ non proprie & vere Dei genetricem ipsam
„ confitetur, eo quod ipse qui ante sæcula
„ ex Patre natus est Deus Verbum, in ulti-
„ mis diebus ex ipsa incarnatus & natus est;
„ & sic pie & sanctam Chalcedonensem Sy-
„ nodum Dei genitricem eam esse confes-
„ sam, talis anathema sit. „ Secuta est V. Synodus Chalcedonensem in Definitione Fidei, & Ephesinam, in qua propterea damnatus est Nestorius, quod Beatam Virginem Deiparam negaret.

Suffragatur Facundus Hermianensis *lib.* 1. *c.* 4. „ Quæ cum ita sint, *inquit*, quemad-
„ modum nihil ex hoc metuendum est, ne
„ cum dicitur Deus vere, & proprie Pater
„ Filii crucifixi, sequi videatur, quod illa
„ humanitas a Verbo Dei suscepta, & cru-
„ cifixa in Deitatem conversa sit, & natura
„ humana, quæ composita est, simplici na-
„ turæ Patris consubstantialis effecta: ita
„ non sequitur, cum dicimus vere & pro-
„ prie

„ prie Matrem Dei Mariam, ut Deitas Ver-
„ bi conversa videatur in carnem, & natura
„ divina, quæ simplex est, compositæ natu-
„ ræ matris consubstantialis effecta. Alioqui
„ si blasphemum & absurdum est, quod bea-
„ ta Maria vere & proprie dicitur Mater
„ Dei, sine ulla disceptatione blasphemum
„ & absurdum est, quod Deus Verbum ve-
„ re & proprie dicitur filius hominis. Si au-
„ tem & hoc blasphemum & absurdum vi-
„ detur, ut Deus Verbum vere & proprie
„ dicatur filius hominis, consequenter bla-
„ sphemum videbitur & absurdum, ut idem
„ ipse Mediator Dei & hominum homo
„ Christus Jesus, vere & proprie dicatur
„ Filius Dei. Porro Scriptura divina, quæ
„ nihil blasphemum loquitur, vel absurdum,
„ pro unitate personæ verum & proprium
„ Dei Filium dicit Mediatorem Dei & ho-
„ minum hominem Jesum Christum, qui
„ dedit semetipsum redemptionem pro om-
„ nibus.... Recte igitur etiam beata Ma-
„ ria, pro eadem unitate personæ, vere
„ & proprie dicitur Mater ipsius unigeniti
„ Dei Verbi.

Suffragatur S. Joannes Damascenus lib. 3. de Fide Orthodoxa, *cap.* 12. „ Dei genetricem, *inquit*, proprie vereque Sanctam „ Virginem prædicamus. Ut enim Deus ve- „ rus est, qui ex illa genitus est; ita vere „ est Dei genetrix, quæ verum Deum ex „ seipsa incarnatum genuit. Non enim me- „ rum

„ rum genuit hominem Virgo ſancta; ſed
„ Deum verum; nec ipſum nudum, ſed in-
„ carnatum, qui non e cælo corpus detulit,
„ ac per illam velut per carnalem tranſiit,
„ ſed ex ipſa conſubſtantialem nobis carnem
„ aſſumpſit, & in ſeipſo fecit ſubſiſtere.
„ Nam ſi corpus e cælo attulit, idque non
„ ex natura noſtræ ſimili ſumptum eſt, quæ
„ utilitas fuit hominis ſuſcepti? Siquidem
„ inhumanatio Dei Verbi propterea facta
„ eſt, ut eadem quæ peccaverat, & ceci-
„ derat, & corrupta erat natura, Tyran-
„ num ſibi occurrentem vinceret, atque
„ hoc modo a corruptela liberaretur.

Objiciebat Neſtorius. Quæ Divinitatem non genuit, Dei genitrix dici non poteſt: atqui Maria Divinitatem non genuit: Dei ergo genitrix dici non poteſt.

Reſpondeo, nego majorem: ſatis enim eſt quod Deum genuerit Incarnatum hominemque factum. Non quod Deo initium dederit exiſtendi abſolute, ſed tantum in carne, id eſt, in natura hominis, cui eodem quo eſt genita momento, copulatum eſt & unitum ſecundum hypoſtaſim Verbum. Sicut enim quævis alia mulier hominis mater eſt, quamvis animam non generet; ſic Virgo ſanctiſſima nihilominus Dei genetrix exiſtimanda eſt, quamvis Divinitatem per ſe ipſam non genuerit, nec ei initium dederit, cum hominem Deum genuerit. Ita reſpondet S. Cyrillus in Epiſtola ad Mona-

nachos. „ Simile est, *inquit*, humano
„ partui Incarnati Verbi mysterium. Et-
„ enim terrenorum hominum matres naturæ
„ ad gignendum servientes, carnem habent
„ in utero, quæ paullatim compacta, &
„ inexplicabilibus quibusdam efficientiis pro-
„ gressa in humanam speciem absolvitur.
„ Deus porro spiritum animali quibus scit
„ modis infundit.... Verum etsi mulieres
„ illæ nonnisi terrenorum sint corporum ma-
„ tres: nihilominus cum totum animal pe-
„ pererint ex anima & corpore compositum,
„ non solùm ejus partem peperisse dicuntur.
„ Nec aliquis dixerit, exempli caussa, Eli-
„ sabetham matrem Joannis carnis esse ge-
„ nitricem, non animæ: peperit enim ani-
„ matum Baptistam, ac sic tamquam unum
„ aliquid ex ambobus, hominem, anima
„ videlicet, ac corpore. Hujusmodi quip-
„ piam actum esse fatebimur & in Emmanue-
„ lis generatione. Quippe natum est, ut di-
„ xi, ex Dei Patris substantia Unigenitum
„ ipsius Verbum. Cum autem carnem su-
„ scepit, eamque propriam sibi fecit, ut
„ filius hominis esset, & nostri similis fie-
„ ret, tunc minime est absurdum dictu, im-
„ mo necessario profitendum, illum ex mu-
„ liere secundum carnem esse genitum;
„ quemadmodum & hominis anima una cum
„ proprio corpore gignitur, & unum cum
„ eo reputatur: tametsi natura intelligatur,
„ & sit ab eo diversa, secundum propriam
„ rationem. *Con-*

Contra. Si Maria Dei genitrix esset, sequeretur ipsam Deum esse. Matri enim filius consubstantialis est.

Respondeo, nego consecutionem. Ut enim ait Ferrandus in Epistola ad Anatolium: „ Frustra expavescit quisquis æstimat „ consubstantialem Divinitati Matrem futu- „ ram, si veraciter & proprie Maria Mater „ fuerit Dei. Profecto enim quia veraciter „ & proprie generanti semper est consubstan- „ tialis ille qui nascitur, accipit ab ea Deus „ unde ei fieret consubstantialis, & sic ex „ ea nasci dignatus est. Ita igitur proprie, „ sicut veraciter, Maria Divinitatem Filii „ genuit, sed incarnatam: sine carne enim „ Divinitatem sempiternam generare non „ posset homo mortalis.

Objiciebant rursus Nestoriani. Ex una substantia generari nullatenus possunt substantiæ duæ: atqui Deus & homo sunt substantiæ duæ: ergo Maria non est hominis Deique genitrix.

Resp. distinquo majorem. Si separatim generentur, concedo: Si una per se non generetur, sed ratione alterius, in unamque hypostasim concurrant, nego. Ita respondet Ferrandus Diaconus in Epistola ad Anatolium „ Nunc vero (*inquit*) in magno illo, & mi- „ rabili Sacramento, quod manifestatum est „ in carne, divina substantia secundum hu- „ manam substantiam proprie nata est, quia „ non separatim nata est; nec humanitatem „ pro-

,, proprie natam sibi Divinitas adunavit, sed
,, adunando eam sibi, proprie nata est. Di-
,, cam adhuc planius pro captu infirmitatis
,, meæ. Proprie est nata de Patre Divinitas
,, pura: proprie est nata de Matre eadem in-
,, carnata Divinitas. Et hoc distat inter unius
,, Filii Dei duas generationes; quod in divi-
,, na generatione nulla fuit humanitas; in
,, humana generatione adunata fuit humani-
,, tati proprie nascenti Divinitas. Si enim di-
,, xero, vel dicere voluero, Maria semper
,, Virgo proprie genuit humanitatem; vide-
,, bitur sub aliquo modo hominem purum ge-
,, nuisse, quem nullo modo ita genuit, quia
,, Verbum carnem factum proprie genuit,

Objicies verba S. Hilarii *lib.* 10. *de Trinitate* dicentis, Mariam Corpori Christi originem non dedisse. ,, Non enim (inquit) ex
,, se Corpori Maria originem dedit: Licet
,, ad incrementa partumque corporis omne
,, quod sexus sui naturale est contulerit.
,, Quod vero hominis filius est, susceptæ in
,, Virgine carnis est partus.

Respondet Hunaldus in Epistola ad Joannem Præpositum, quæ extat inter Epistolas Philippi Abbatis Bonæ Spei, nihil aliud S. Hilarium velle, nisi Christi Corpus naturaliter, & usitato modo non fuisse conceptum, ac genitum: Quod iis verbis indicat ,, Corpus non
,, terrenæ conceptionis elementis susceptum,
,, non terrenis elementis inchoatum. *Quæ*
,, *Hilarii verba Hunaldus sic exponit*: Ele-
,, men-

„ menta rerum principia vocat, id eſt, cauſ-
„ ſas illas, quæ divina providentia guber-
„ nante, conceptionem corporum operan-
„ tur. Quæ videlicet cauſæ ſive naturæ in
„ procreandis corporibus numeros illos ex-
„ plicant, quos Deus, cum omnia crearet,
„ ſimul creavit, & eis attribuit, & in ictu
„ condendi ſeminaliter eas ſparſit, non ta-
„ men ſuam eis potentiam alligavit... Cau-
„ ſæ ergo illæ communes, ut dicere cæpe-
„ ram, in congignendis corporibus operantur
„ velut cum ſeges, vel arbor ex ſemine ſuo
„ naſcuntur. In conceptione vero virginali
„ non ſolus naturæ curſus, ſed alia penitus
„ cauſſa primum operata eſt, licet aliæ ſint
„ ſubſecutæ. Alia cauſa non creata ſuperve-
„ nit, quæ carnem Verbo Dei perſonaliter
„ uniendam de carne Virginis ſequeſtravit,
„ & eamdem a peccato originali mundavit.
„ De hac, ut arbitror, cauſſa, ſive initio
„ Corporis Chriſti loquebatur Hilarius, cum
„ diceret, non habuit Chriſtus initium ex
„ Maria. Illud enim revera ex Maria non
„ habuit, habuit vero aliud. Nam Virgo ex
„ ſe genuit. Hoc Hilarius fideliter intellexit,
„ a qua Fide, qui recte ſentiat, non diſſen-
„ tit. Cum de rebus conſtat, diſputare ad no-
„ men, Viris non convenit eruditis.

FINIS.

APPENDIX

NONNULLARUM QUÆSTIONUM AD DISSERTATIONEM DE HÆRESI NESTORIANA

QUÆSTIO PRIMA

DE

Communicatione Idiomatum in Christo.



OMmunicatio Idiomatum quam Mysterio Incarnationis nexam esse Scripturæ, & tota traditio demonstrant, definiri solet Prædicatio, seu Attributio mutua, & reciproca in concreto nominum, attributorum, & proprietatum Naturæ Divinæ, & Humanæ ratione unius Christi Personæ: Sic v. g. dicitur: *Christus est Homo*, *Christus est Deus*: *Hic Homo est Deus*, *Deus est Homo*: *Deus natus est*, *passus*, *mortuus*: *Homo est æternus*, *impassibilis*, *immortalis &c.*

Hæc communicatio ex unione hypostatica necessario consequens est; nam nominum, attributorumque utriusque Naturæ communio in Christo, nonnisi negata Unitate Christi Personæ rejici potest; Quandoquidem si humana Natura Verbo Divino

unita est in Personæ unitatem, sequitur, Christum esse ipsummet Verbum, tum Naturam Divinam, tum Naturam humanam habens. Si autem Christus est Deus Verbum Naturam humanam sibi personaliter unitam habens, manifestissimum est in Christo Deum esse Hominem, & Hominem esse Deum, idest Personam, quæ habet Naturam Divinam, esse Personam, quæ habet & Naturam humanam, & vice versa; Ac proinde quum actiones sint Personarum, seu Personis tribuantur, posse prædicari in concreto, ut ajunt, de Deo Verbo quæcumque ipsi secundum carnem contigerant, nempe quod natum sit, passum, mortuum: & vicissim de Homine, seu de Persona Verbi habente humanitatem, posse prædicari quæ Dei sunt. Hanc communicationem Idiomatum, seu Attributorum utriusque Naturæ, quod est consectarium Mysterio Unitatis Personæ in Christo necessario connexum, & quod PP. definitione est constantissime stabilitum, sæpius, & perfracte Nestorius rejecit. E-contra major Lutheranorum pars communionem illam etiam respectu Naturæ, saltem quantum ad aliqua Divinitatis attributa, communicata Humanitati agnoscendam censuerunt. Itaque communicationem Idiomatum sub duplici illa ratione singillatim spectabimus.

ARTI-

ARTICULUS I.

De Communicatione Idiomatum in Christo ratione Personæ adversus Nestorianos.

UT definitio communicationis Idiomatum superius exposita intelligatur, observandum est, nomina alia esse abstracta, alia concreta. Nomen abstractum, seu terminus abstractus formam tantum significat, non subjectum. Hujusmodi sunt hæ voces, divinitas, humanitas, æternitas, mortalitas. Nomen concretum significat tum formam, tum subjectum ejus, ut Deus, ideſt, ille qui habet Naturam Divinam: Homo, ideſt, habens Naturam humanam; immortalis, id est, habens immortalitatem &c.

Prædicatio igitur, seu Attributio nominum utriusque Naturæ si fieret in abstracto, coincideret cum communicatione, quæ fieret ratione Naturæ, de qua communicatione mox locuti sumus, daretque istas propositiones insulsas, & fidei contrarias, ut videbimus: *Divinitas, seu Natura Divina in Christo est humanitas; natura humana est Natura Divina: Divinitas est mortalis; Humanitas est Deus &c.* Prædicatio vero, seu attributio reciproca eorumdem nominum & attributorum in concreto, & ratione unius Christi Personæ istas loquendi formu-

las exhibet: *Christus est Homo, Christus est Deus: Deus est Homo &c.* Hæ sunt locutiones, quæ ex unione hypostatica necessario consequuntur. Nempe quemadmodum propter unionem physicam animæ, & corporis, ex qua unica hominis persona resultat, dici potest, homo est corporeus, homo est rationalis; nec non rationalis est corporeus, & vice versa: quia nempe hæc unitatem Personæ hominis duas substantias diversas complectentis dumtaxat supponunt, ut patet ex eo quod illæ propositiones sic resolvendæ sint: qui habet humanitatem, habet tum Corpus, tum Animam rationalem: hæc Persona, quæ habet Animam rationalem, habet etiam Corpus; ita propter unionem hypostaticam Naturæ humanæ ad Verbum, qua fit ut in Christo natura sit duplex, & una Verbi Dei Persona, dici debet Christum esse Deum, & esse Hominem, Deum esse Hominem, Hominem Deum &c.

In comprobanda autem ex Sacris Litteris & ex Sanctorum Patrum, & Conciliorum auctoritatibus hac Idiomatum communicatione hic non immorabimur, quippe quum jam a nobis id confectum sit, cum in Dissertatione adversus Hæresim Nestorianam demonstravimus, unicam esse in Christo Personam ex Scripturis, & tota Traditione, cujus unitatis Personæ in Christo est necessaria appendix, & consectarium hæc Idiomatum communicatio.

Ve-

Verum tradendæ ſunt Regulæ, juxta quas illa communicatio Idiomatum adhibenda ſit; ad quarum intelligentiam præterea advertendum ex nominibus concretis, alia appellari ſubſtantiva, alia adjectiva. Inter quæ illud diſcrimen intercedit, quod concreta ſubſtantiva rei Naturam tamquam formam cum ſubjecto exprimant, ut Deus, id eſt, habens Divinitatem, ſeu Naturam Divinam: Homo, id eſt, habens Naturam humanam; contra vero adjectiva cum ſubjecto non ſignificent naturam ipſam, ſed tantum formam aliquam ſeu neceſſario, ſeu accidentaliter naturæ adjacentem, vel ejuſdem Naturæ actionem aliquam, aut paſſionem, aut participationem, ut immortalis, natus, mortuus, humanus.

Rurſus nomina concreta adjectiva, vel ſunt derivata, vel abſoluta. Derivata participationem aliquam ſubſtantiæ, ſeu naturæ deſignant, ut humanus, Divinus. Abſoluta vel proprietates, vel actiones, vel paſſiones naturæ denotant, ut mortalis, natus, paſſus &c. His præmiſſis ſit

Regula I. Nomina concreta ſubſtantiva, id eſt, quæ Naturam ipſam ſeu Dei, ſeu Hominis tamquam formam cum ſubjecto exprimunt, ut *Deus*, & *Homo*, de Chriſto, & de ſe invicem poſſunt prædicari. Itaque dicendum eſt: *Chriſtus eſt Homo*, *Chriſtus eſt Deus*, & pariter cum de Chriſto agitur, *Deus eſt Homo*, & *Homo eſt Deus*.

Ratio est, quia nomina concreta subjectum ipsum cum forma ei conveniente exprimunt; ergo quum unum sit in Christo subjectum, seu suppositum, evidens est, ubi nomina concreta substantiva, utriusque Naturæ de Christo, & de se invicem prædicantur, iis, hoc unum significari, nempe idem suppositum, seu Personam quæ in Christo Divinitatem habet, habere etiam humanitatem, quod verissimum est, & ad fidem Catholicam pertinet, juxta quam una est Christi Persona, & Natura duplex, Divina, & humana. Triplicem tamen volunt Theologi adhiberi cautionem. Prima, ut nomen substantivum personam creatam non designet. Sic v. g. demonstrato Christo, dici nequit, *Hic homo factus est Deus*, licet dici possit, *Deus factus est homo*. Posterior enim propositio solum significat Deum, seu Personam Divinam factam esse Personam, quæ humanitatem habeat; quod ipsum dogmatis sacri substantiam exhibet. Prior autem indigitaret Personam aliquam, quæ prius fuisset Persona creata, & humana, factam esse decursu temporis Personam Divinam; quod fidei penitus adversum est. Ob eamdem causam abstinendum est quoque ab illa locutione, *Homo factus est Deus*, quamquam aliquo sensu Catholico accipi potest, quo eam usurparunt S. Athanasius lib 1. *de Natura humana*, S. Greg. Naz. *Orat. 36.* S. Augustinus Lib. 4. *De Prædestinatione San-*

Sanctorum cap. 16., & Synodus Lateranensis sub Martino I.

Secunda cautio est, ut nulla reduplicatio fiat. Namque dici non potest, Deus, quatenus Deus, est homo. Reduplicatio in formam cadit, & sensus ejusmodi propositionis foret, Deum, quatenus habet Divinitatem, habere Naturam humanam; quod tam insulsum est, quam fidei adversum.

Tertia, ut illæ vitentur loquendi rationes, quæ etsi veræ in se, hæresi tamen promovendæ adjumento esse possent. Sic licet Christus, ut homo, revera sit creatus, & creatura, atque ideo eum creaturam veriti non sint appellare SS. Ambros. *Serm.* 5. *in Psalm.* 118. aliàs 57. *ad Dardanum.* Joannes Damasc. l. 3. cap. 3. &c. attamen hæc propositio, *Christus est creatura* simpliciter pronuncianda non est, ut S. Thomas animadvertit 3. p. q. 16. a. 8., & post eum Petavius lib. 7. *de Incarn.* cap. 6., quia scilicet hæresim Arianorum adjuvaret; sed dicendum, *Christus secundum quod homo, est creatura.*

Regula II. Nomina concreta adjectiva quæ absoluta sunt, seu quæ proprietates, actiones, passiones significant, de Christo dici possunt, & de se invicem. Sic verbi gratia, dicendum est: *Christum esse mortalem, & immortalem: Eum, qui est immortalis, factum esse mortalem* &c: Pariter dicendum est, Deum esse in terris visum,

esse natum, passum, crucifixum &c.

Ratio est, quia illa omnia suppositum sonant, & ad illud referuntur. Immortalis enim idem est ac habens immortalitatem, mortalis vero idem ac qui naturam mortalem habet; proindeque quum Natura Divina sit immortalis, & Natura humana morti obnoxia, sequitur, I. illum qui habet utramque, dici posse mortalem simul & immortalem. II. de eodem agendo, dicendum quoque, immortalem esse mortalem &c.seu eumdem qui habet immortalem naturam, habere etiam naturam mortalem.

Observa autem neque hic apponendam esse reduplicationem. Scilicet dici nequit: Christus ut Deus est mortalis, est natus, passus &c. non enim hæc competunt Christo sub eo respectu quo Deus est, sed tantum propter naturam creatam quam assumpsit.

Regula III. Nomina concreta adjectiva, quæ derivata appellantur, seu quæ participationem aliquam naturarum sonant, ut *Divinus,humanus*, minus accurate dicuntur de Chisto, & de se invicem. Sic. v. g. minus recte diceretur,Christum esse Divinum, dominicum, deiferum, vel humanum.

Ratio est,quia is minus accurate naturam Divinam, aut humanam participare solum dicitur, qui utramque revera habet, & complectitur: atqui Christus naturam Divinam, & humanam non modo participat,sed utram-

que

que habet, & complectitur; ergo minus accurate &c.

Id porro unum in hac Regula pronunciamus, quod hæc *minus accurate* dicerentur. Scilicet locutiones ejusmodi errorem Fidei adversum necessario non involvunt, nec difficulter ad significationem Catholicam possunt inflecti. Unde a veteribus quibusdam hæresis Nestorianæ non suspectis, & fidem unius in Christo personæ aliàs diserte exprimentibus, citra omnem erroris notam adhiberi potuerunt. Unum igitur harumce propositionum vitium est, quod mancæ, & imperfectæ dogmatis Catholici expositiones sint, sensui hæretico per se non oppositæ, illique animis instillando valde idoneæ, si nempe qui eas adhibere amat, simul voces alias sacro dogmati plenius declarando notas abjiciat, ut Nestorio contigit.

Allatam Regulam S. Augustinus totam confirmat lib. 1. *Retractationum* cap. 19. n. 8. ubi postquam dixit: *Non video utrum recte dicatur* Homo dominicus, *qui est mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, cum sit utique Dominus .... sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi non esse dicendum*; continenter addit: *quamvis nonnulla possit ratione defendi*.

S. Thomas 3. parte q. 16. n. 3. ab ejusmodi Regula excipiendam ducit propositionem illam: Christus est Homo Divinus: *quod*, inquit, *nomen illud divinum consuevit*

prædicari etiam de his, de quibus prædicatur essentialiter nomen Deus. Dicimus enim quod Divina essentia est Deus.... & quod essentia est Dei, sive Divina .... & Verbum Divinum, cum tamen Verbum sit Deus. Hæc S. Doctor. Attamen, si ad exactioris dialectices amussim dictam propositionem expendamus, satius videbitur ea abstinendum, ne forte cum diceretur Christus homo Divinus, dotibus dumtaxat præcellentissimis ornatus intelligeretur, ut cum Plato homo Divinus fuisse perhibetur. Cæterum caro, & anima Christi accurate dicuntur deificatæ, namque id tantum significat, humanitatem Christi Deo Verbo esse hypostatice unitam.

Regula IV. Nomina abstracta Naturæ Divinæ possunt de Persona Christi in sensu reali prædicari, non vero nomina abstracta naturæ humanæ. Sic v. g. dici potest personam Christi, seu Christum esse Divinitatem, omnipotentiam, veritatem &c. Non vero potest dici, Christum esse humanitatem, vel humanitatis proprietates.

Ratio est, quia Divinitas, & omnia Divinitatis attributa identificantur realiter cum persona Christi, nempe Verbo Divino; contra vero Natura humana, & ejus proprietates, etsi uniantur Verbo, ab ipso tamen realiter distinguuntur.

Regula V. Quæ competunt Naturæ Divinæ, & Naturæ humanæ, de se invicem non possunt in abstracto prædicari. Sic dici

dici non poteſt: Natura Divina eſt natura humana, vel humanitas eſt æternitas.

Ratio eſt, quia ambæ naturæ unione hypoſtatica non confunduntur, ſed diſtinctæ manent, & inconfuſæ.

Regula VI. Nomina concreta, ſeu ſubſtantiva, ſeu adjectiva unius naturæ non poſſunt de alia natura prædicari, aut de ejus partibus. Sic dici nequit: *Divinitas eſt homo, humanitas eſt Deus, Divinitas eſt nata, paſſa &c.*

Ratio eſt, quia, cum Naturæ diſtinguantur, neceſſe eſt, ut quæ propria ſunt uni, non poſſint de altera prædicari.

Regula ultima. Nomina adjectiva, quibus unio hypoſtatica, ſeu aſſumptio Naturæ humanæ aſſeritur de Chriſto Deo, & Homine non poſſunt promiſcue dici. Nimirum v. g. licet optime dicatur *Deus incarnatus, vel caro factus*, non tamen dici poteſt *homo incarnatus*.

Ratio eſt, quia communicatio idiomatum ſupponit unionem hypoſtaticam, cujus eſt neceſſaria appendix, non proinde ad ea quæ ejuſmodi unionis ſunt, ſeu quæ eam conſtituunt, ſe extendit.

ARTICULUS II.

De Communicatione Idiomatum in abstracto adversus Lutheranos.

Attributa Divinitatis, nempe omnipotentiam, omniscientiam, ac præsertim omnipræsentiam humanitati Christi communicatam fuisse, docet Lutherus in Libro seu sermone: *Quod verba Christi*: Hoc est Corpus meum: *adhuc stent*: quem anno 1527. edidit, tum in Confessione de cœna Domini, ubi vult Christi carnem tam longe extra creaturas esse collocandam, quam Deus ipse extra creaturas est: eoque progreditur, ut Zuinglianos vehementer reprehendat, quod Christi passiones soli humanitati attribuant, non etiam Deitati. Dogma istud, Christi carnem vi unionis hypostaticæ esse ubique præsentem, appellatum est Ubiquismus. Illud vero commentus est Lutherus, vel potius a Jacobo Fabro Stapulensi ad cap. 14. Joann. & ad 12. primæ ad Cor. jam antea traditum, idcirco suum fecit, quia Christi Corporis præsentiæ realis in Eucharistia defendendæ ipsi idoneum visum est.

Philippum Melanctonem discipulorum Lutheri doctissimum, & celeberrimum, doctrinam ubiquitatis detestatum fuisse constat. At eam amplexi sunt Joannes Brentius, qui hanc ita locupletavit, ut

ut dictus fuerit Ubiquitatis parens, Flaccus Illyricus, David Chytræus, Joannes Widangus, Nicolaus Selneccerus, Jacobus Andreas Smidelinus, Martinus Kemnitius qui cautius ceteris loqui affectat &c. Atque is error in Libro Concordiæ, quem fere universi in Germania Lutherani receperunt, tamquam fidei dogma asseritur pag. 572. 731., & 745. edit. 1580.

Duplex autem apud Lurheranos Scriptores deprehenditur ubiquitatis explicandę ratio; nam alii, ut Brentius, Smidelinus &c. sentiunt, omnipræsentiæ communicationem factam humanitati Christi, ut & aliorum saltem plurimorum Attributorum, ad essentiam unionis hypostaticæ pertinere, seu hanc unionem formaliter constituere: alii vero ut Kemnitius, hanc communicationem solum docent esse unionis hypostaticæ necessarium consectarium, adeo ut, hac unione posita, consequens sit naturam humanam Christi vere esse omniscientem, omnipotentem, & omnipræsentem.

CON-

CONCLUSIO

Communicatio idiomatum in abstracto, seu respectu Naturarum, nulla in Christo admittenda est, neque unio hypostatica postulat, ut Christi corpus sit ubique præsens.

PRobatur prima pars, nempe communicationem idiomatum in Christo respectu naturarum admittendam non esse, ac proinde dici non posse naturam humanam Christi esse immensam, esse omnipotentem, esse scientia infinita præditam &c. Probatur, inquam, I. quia nec in Scripturis, nec in Conciliis, nec apud Sanctos Patres ullum reperire est ejusmodi Locutionum exemplum. II. quia si natura humana Christi vere, & reipsa esset immensa, omnipotens, omniscia &c. quocumque modo id explicetur, jam desineret habere humanitatis proprietates, Divinisque Attributis constaret: atqui humanam Christi Naturam sui cum Verbo unione, humanitatis proprietatibus spoliatam fuisse, & Attributis Divinis constitutam, ipsa est, Eutychianorum hæresis in Concilio Chalcedonensi proscripta, ubi definitum est Incarnationem peractam esse, *salva utriusque naturæ proprietate, & in unam Personam, atque subsistentiam concurrente.* Quod quidem Dogma fidei ex Scriptu-

pturis, & ex traditione probabimus in Dissertatione de Hæresi Eutychiana. III. Quia absurdissimum est, Attributa Divinitatis vere, & in conceptu suo formali communicari naturæ creatæ & finitæ, qualis est Christi humanitas. Quod enim finitum est, in se vere, & formaliter Attributum, seu proprietatem infinitam non potest recipere. Deinde naturam humanam Christi a Divinitate esse distinctam de fide est, & Lutherani profitentur. Si igitur naturæ Christi humanæ vere tribuatur omnipotentia Divina, & immensitas, jam duæ erunt omnipotentiæ Divinæ, & duæ immensitates in Christo, siquidem, repugnat unicum Attributum in duplici Natura, ut in subjecto inhæsionis simul existere. Atqui duas naturas omnipotentes, immensas &c. admittere, impium, & absurdum; ergo &c. Denique Anima, & Corpus in homine personam unicam constituunt: atqui tamen corpori non communicantur Animæ Attributa, & proprietates, nec vice versa. Neque enim Corpus dici potest intelligere, judicare, dubitare, velle &c. quæ Animæ propria sunt; neque ex adverso quis dixerit Animam ambulare, sedere &c. quæ sunt propria Corporis; ergo ut Christi humanitas Divinitati uniatur in una Verbi persona necesse non est illi humanitati Divina attributa adscribi.

Ajunt Concordiæ auctores, nec non Kemni-

mnitius, & alii proprietates divinas juxta se non fieri proprietates humanitatis Christi, sed illi tantum esse communicatas per gratiam, sicut principale agens virtutem suam instrumento communicat.

Sed hæc male cohærent. Nulla vera communicatio idiomatum inter instrumentum, & agens principale admitti potest. Quis Scriptoris scientiam, & eloquentiam attribuet calamo quo is Scriptor utitur? Quocumque igitur modo scientia, omnipotentia, immensitas, & alia Dei attributa humanæ Christi naturæ communicata dicantur, seu essentialiter, seu per gratiam tantum, necesse est, hanc communicationem realem esse, & veram, adeo ut humanæ Christi naturæ vere hujusmodi attributa inhæreant; aliàs dici non poterit quod volunt Lutherani, nempe Christi humanitatem vere esse omnipotentem, immensam &c. neque ex ea communicatione colligi poterit, hanc Naturam humanam revera ubique existere.

Probatur secunda pars, nempe unionem hypostaticam non postulare, ut Christi corpus ubique sit præsens.

I. Ex Scripturis, ex quibus patet Christi corpus sive ante mortem, sive post mortem non fuisse ubique, sed contra, loco finito circumscriptum. Matth. 28. v. 6. *Jesum, qui crucifixus est, quæritis? non est hic*. Joann. 11. v. 15. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis,*

quia

quia non eram ibi. Ibid. v. 21. *Domine*, ait Martha, *si fuisses hìc, frater meus non esset mortuus*: quibus alia innumera addi possunt, ubi exhibetur Christus iter faciens, ex uno loco in alium locum se conferens, modo in deserto &c. consistens. Addenda etiam testimonia, in quibus Christus dicitur natus, crucifixus, sepultus, descendisse ad inferos, resurrexisse, ascendisse in Cælum, & inde cum gloria venturus. Enimvero natus intelligitur, cum e sinu Beatæ Virginis exivit, cruci affixus, cum in ea pependit, sepultus, cum e cruce in tumulum corpus ejus translatum est, descendisse ad inferos, cum ejus Anima a corpore evulsa eo permeavit, resurrexisse, cum e Sepulchro redivivus egressus est, ascendisse in Cælum, cum illuc e Terris fuit sublatus, & e Cælo venturus, cum ad judicandos homines inde descendet: ergo cum Christus, si secundum humanitatem ubique sit, locum non potuerit mutare, sequitur &c.

Respondent Lutherani hæc omnia dicta esse de Christo, quia etsi locum revera non mutaret, tamen apparenter, & secundum formam visibilem mutare locum videbatur.

Sed licet ne ad libitum confingere tot Scripturæ Sacræ testimoniorum expositiones metaphoricas, ubi quid simile ne minimum innuitur?

II. ex Symbolis, quæ Christum post Scripturas exhibent etiam natum, sepultum, ad Cælum

Cælum ſublatum &c.quæ cum omnipræſentia corporis ejus ubique, ſtare non poſſunt.

III. ex SS. Patribus. Multa eorum Loca in hanc rem proferunt Bellarminus lib. 3. de Chriſto cap. 14. Petavius lib. 10. de Incarn. cap. 7., & alii. Unum ſatis ſit S. Auguſtini teſtimonium, quo cæterorum mens præclare exhibetur. *Secundum hanc formam* (naturam humanam) inquit *Epiſt.* 187. aliàs 57. ad Dardanum num. 10. *non eſt putandus* (Chriſtus) *ubique diffuſus. Cavendum enim eſt, ne ita Divinitatem aſtruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, ut quod in Deo eſt, ita ſit ubique ut Deus.... Aliter homo ille in Deo quoniam aliter, & Deus ille in homine proprio quodam & ſingulari modo. Una enim perſona Deus & homo eſt, & utrumque eſt unus Chriſtus Jeſus, ubique per id quod Deus eſt, in Cælo autem per id quod eſt homo.*

IV. ex triplici ratione Theologica.

Prima eſt, ubiquitate deſtrui ipſum præſentiæ realis dogma propter quod excogitata eſt. Namque ſi eatenus Chriſti Corpus eſt in Euchariſtia, quatenus eſt ubique, ergo nulla ſpeciali ratione eſt in Euchariſtia, quam in re alia qualibet; neque ex inſtitutione ſua in ordine ad præſentiam realem quidquam habet Euchariſtia quod cuilibet rei alteri non competat. Immo repugnabit Chriſti corpus accipi, & manducari in Euchariſtia,

ſtia; quia quod ubique eſt, non poteſt ex ore in ſtomachum tranſmitti. Dicent ne cum Brentio in Euchariſtiam Chriſtum eſſe ſpecialiter præſentem, propter ſpecialem efficaciam, quam in hoc Sacramento exercet? Verum hac Reſponſione nihil ſpeciale in Euchariſtia agnoſceretur, niſi virtus quædam, quod ipſum eſt Sacramentariorum dogma a Lutheranis tanto ſtudio rejectum.

Secunda eſt, ubiquitatis dogmate Eutychianiſmum invehi. Nam ſi humanæ Chriſti naturæ, ipſique ejus corpori propter unionem hypoſtaticam divina competat immenſitas, adeo ut de ipſo vere prædicari poſſit: cum unum attributum ſingulare non poſſit eſſe commune duabus naturis, neceſſe eſt duas Chriſti naturas in unam confundi, & commiſceri. Præterea cur immenſitas humanæ Chriſti naturæ communicata vi unionis hypoſtaticæ prædicabitur, nec non omnipotentia, & omniſcientia, non vero æternitas, & alia ejuſmodi Attributa? Numquid omnipotentia, & immenſitas, ſubjecti inhæſionis finitudine, & limitatione minus excluduntur, quam æternitas, & aliud quodlibet Divinum attributum? Denique, cum Attributa Divina abſoluta inter ſe realiter identificentur, evidentiſſimum eſt unum non poſſe alicui naturæ attribui, quin & reliqua eidem Naturæ adſcribantur.

Tertia eſt, nullum afferri poſſe a Lutheranis momentum ſeu ex Scripturis, ſeu ex ra-

ratione depromptum, quo probent, si vi unionis hypostaticæ saltem aliqua Attributa Divina vere, & reipsa naturæ assumptæ communicantur, inde non sequi aliquas pariter ejusdem naturæ assumptæ proprietates de Natura Divina prædicari posse. Dicent proprietatibus naturæ humanæ sibi reipsa communicatis Divinam naturam destructum iri. Fatemur, sed si fieri posset naturam humanam sibi reipsa communicatis, & in se receptis quibusdam Attributis Divinis in Divinitatem non converti, quidni Divinitas posset quasdam humanitatis proprietates in se ut in subjecto inhæsionis recipere, quin in humanam naturam mutaretur? Par utrobique ratio: non magis proprietates humanæ naturæ Divinitati repugnant, quam proprietates Naturæ Divinæ repugnant humanitati: ergo &c.

Dices I. Christus, ut homo, sedet ad dexteram Patris: atqui dextera Patris est ubique; ergo Christus ut homo est ubique.

Dist. maj. Christus, ut homo, sedet ad dexteram Patris ratione suppositi, & personæ, concedo majorem: ratione naturæ humanæ præcise, nego. Sedere ad dexteram Patris æqualitatem honoris significat: cum ergo Christus, ut homo, dicitur ad dexteram Patris sedens, sensus est, personam quæ Christi humanitatem habet, esse æqualem Patri, quod verissimum est, siquidem illa Persona ipsum est Verbum Divinum. Sed sensus non est, natu-

naturam humanam Christi esse Divinitati æqualem. Id tam impium, quam absurdum foret. Jam vero persona habens humanitatem Christi, cum sit Patri æqualis, ubique consistat necesse est, sed nihil probat de humanitate assumpta idem esse statuendum. Immo ex Scripturis, & ex ratione evidentissimum est, hanc naturam non posse esse immensam.

Dices II. Quæ uniuntur intime, eorum unum non potest esse sine alio: atqui Natura humana, & persona Verbi in Christo uniuntur intime; ergo ubicumque est Verbum, ibi humana Christi natura esse debet.

Distinguo maj. quæ intime uniuntur localiter, & adæquate, eorum unum non potest existere alicubi, quin & ibidem aliud existat, concedo: quæ uniuntur personaliter: ea scilicet unione, quæ nihil habeat cum unione locali commune, nego. Itaque natura humana non unitur Verbo localiter, & adæquate, itaut tantum pateat, quantum Deus diffunditur, & ipsi, si ita loqui fas est, commensuretur. Quippe in commensuratione, & spatii ejusdem communione unio hypostatica nequaquam consistit. Quemadmodum igitur in hypothesi Philosophorum qui animam humanam toto corpore diffusam ponunt, oculus v. g. etsi exigua tantum sit corporis pars, toti animæ conjungitur, ita Persona Verbi immensa cum natura humana alicubi solum existente uniri potest; aut saltem

tem non demonstraveris, Verbum ejusmodi naturam hocce modo sibi non posse hypostatice conjungere.


Adde, Verbi Divini immensitatem in eo esse positam, quod totum ubique, & in singulis loci partibus sine divisione idem existat: proindeque, etsi ad unionis hypostaticæ rationem formalem id pertineret, nempe humanam Christi naturam aliquo esse in loco, in quo Verbum totum esset præsens, non inde sequeretur, hanc non posse hypostatice toti Verbo uniri, quin ejus immensitate donaretur: quippe cum, quocumque in loco existat Christi humanitas, ibi totum Verbum substantia sua necessario præsens existat.

Dices III. Juxta fidem Catholicam Christus homo est ubique; ergo &c.

Dist. ant. Christus homo est ubique ut Deus, concedo: Christus homo reduplicative ut homo, idest, quantum ad naturam humanam, nego. *Neque enim Deus*, inquit S. Ambrosius lib. 2. *de Fide* cap. 8. n. 60. *de loco ad locum transit, qui ubique semper est. Ut homo, est qui vadit, ipse qui venit. Denique & alibi dicit: Surgite, eamus. In eo ergo vadit, & venit, quod est commune nobiscum.* Et S. Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 17. *Unus idemque secundum humanam substantiam absens Cælo, cum esset in Terra, & derelinquens terram cum ascendisset in Cælum; secundum Divinam vero, immensamque substantiam nec Cælum dimittens,*

cum

cum de Cælo descendit, nec Terram deferens cum ascendit in Cælum. Similia habent Rufinus *In Symbolum*, S. Augustinus Tractatu 78. *In Joan.* S. Gregorius Magnus *Homilia* 29. Vigilius lib. 1. *contra Eutychem &c.*



QUÆSTIO II.

De Uno ex Trinitate passo.

Diuturniori Schismate, quo Orientalis Ecclesia ab Apostolica Romana Sede sejuncta fuerat, Hormisdæ Pontificis Maximi opera, ac Justini Imperatoris pietate composito, veteres potius discordias desiisse, quam pacem cœpisse, nova rursus suborta controversia monstravit. Illa quidem in angulo Scythiæ Europeæ apud Tomos a paucis Monachis excitata, Orientem, simulque Occidentem, ac Meridiem uno veluti momento instar incendii pervagata, per quinque fere lustra Orthodoxos varias in partes distraxit. Damnato in Synodo Ephesina Nestorio, Theodosius Imperator impios ejusdem Libros igne absumendos, emisso edicto, decrevit, *itaut*, inquiens, *nemo in Religionis disputatione aliquam supradicti nominis mentionem faciat L. 66. de Hæret*. Cod. Theodos. Ast Nestorianæ Hæreseos sectatores, quo damnatæ a Synodo doctrinæ majorem aliunde auctoritatem adjicerent, id consilii cœperunt, ut eamdem a Theodoro Episcopo Mopsvestiæ Cilicia dudum traditam publicarent Nam Theodoretus in ore famæ toto passim Oriente versabatur, quippe qui decem millium voluminum scriptor

ptor laudaretur, ac quindecim præsertim Libros contra Appollinarium exarasset, in quibus universa Nestorii ipsius quondam discipuli doctrina tradebatur. Hac fraude Nestoriani usi sunt, ut recens dejecta hæresis sub magni nominis umbra vires resumeret, ac sub Theodori larva incautis illuderet. Verum Orthodoxi Episcopi, ac Abbates majoris Armeniæ, quo præsentissimo malo statim occurrerent, syllabum errorum ex Theodori libris colligentes; eosdem S.Proclo Patriarchæ Constantinopolitano damnandos per Legatos obtulere. Proclus Cyzici nomine tenus Episcopus, omnium primus, tum sedente in Regia Urbe Nestorio, in celebri ibidem Ecclesia contra ipsius adversus Deiparam voces classicum cecinerat in elegantissima, quæ extat homilia. Erant duo veluti fulmina belli contra Nestorium, Cyrillus Alexandriæ, & Proclus Constantinopoli. Hic ergo legens delata sibi capitula, eadem uti Nestoriana peste infecta damnavit, datis ea de re litteris, tum ad Armenos, tum ad Joannem Patriarcham Antiochiæ; utrique scripto subjiciens anathemata contra singulas Theodori propositiones. Proclus in sua Epistola ad Armenos, ut scribit Liberatus Diaconus cap. 10. Brevia. *Posuit ad interimendas Nestorianorum versutias qui duas in Christo inducunt Personas, unum de Trtnitate incarnatum*. Sententia Procli, interprete Dionysio Exiguo, in hæc verba

 con-

concipitur. *Nec enim dicentes Filium passum, ratione Deitatis eum passum sentimus, sed confitentes Dei verbum unum ex Trinitate incarnatum, tribuimus intelligendi materiam iis, qui fideliter sciscitantur, cur incarnari dignatus sit.* Idem in Epist. ad Joan. Antiochenum ait: *Dicentes autem iterum passibilem Deum, idest, Christum, confitemur eum non eo passum, quod erat; sed quod factum est, idest, propria carne, & ita prædicantes nullo modo fallimur, quoniam quidem & unum ex Trinitate secundum carnem crucifixum fatemur, & Divinitatem passibilem minime blasphemamus.*

Ex hactenus laudati S. Procli testimoniis duæ istæ propositiones ab eodem contra Theodori, ac Nestorii Sectatores statutæ colliguntur: *Unus de Trinitate est incarnatus*, & altera: *Unus de Trinitate crucifixus est carne*; de quibus thæsibus Catholici postea accerrime secum invicem disputarunt.

Eutychiani vero Nestorianam hæresim impugnantes, quodam veluti pugnæ furore abrepti, in extremos Errores deciderunt, dum in mysterio Incarnationis Dominicæ utrique ea dogmata renovarunt, quæ dudum Ecclesia in Sabellio, atque Ario, in arcano Trinitatis exponendo, damnaverat. Etenim Nestorius ex duplici natura Christo inexistente, duas quoque in eodem personas obtruderat. Ex adverso Eutyches ex unitate Personæ in Christo, unam quoque naturam

turam commentus eſt. Equidem Eutychiani in Synodo Chalcedonenſi proſcripti, quo damnatæ hæreſi Fidem facerent, binas propoſitiones a SS. Patribus contra Neſtorianos ſtatutas, magno apud Sectarios plauſu Catholicis objectabant. Prior erat mutuata ex S.Cyrilli Libris: *una Dei Verbi natura incarnata*, Alteram ex Procli Epiſtolis deſumpſerant. *Vnus è Trinitate eſt paſſus*. De hoc Procli pronuntiato juxta ſuſceptum argumentum ſermonem tantum inſtituam. Petrus Fullo Eutychianus, qui Antiochenam Sedem invaſerat, cum unicam eamque Divinam in Chriſto Naturam adſtrueret, eamdem quoque paſſam fuiſſe affirmabat, ea ſe tradere teſtatus, quæ magni in univerſa Eccleſia nominis Proclus paulo ante docuerat. Ita homo vafer, & perditus ſub pulchriori larva hæreſis turpitudinem occultare tentabat. Nam S.Patriarcha hæc diſerte in Epiſtola ad Armenios ſcribit: *Nec enim dicentes Filium paſſum, ratione Deitatis eum paſſum ſentimus: divina ſiquidem natura nullam prorſus recipit paſſionem; ſed confitentes Deum verbum unum ex Trinitate incarnatum &c.* Ubi docet, ideo Verbum hominem factum, ut qui Deus nulli poterat paſſioni ſubjectus eſſe, homo factus paſſionem ſubiret. Idem autem Fullo, quo ſuam cunctis hæreſim inſtillaret, ſacro hymno Triſagii: *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis* appendicem inſeruit: *qui paſſus es pro nobis*, ſperans ſcele-

leratæ adjectionis cantilena Clerum, ac Populum ad impiæ blasphemiæ professionem compellere. Cum vero passim argueretur, quod Trinitatem, quæ eo hymno invocabatur, passam mentiretur, novo errore priorem commutans, Trisagium soli Verbo Deo cani autumavit, qui solus passus est pro nobis, ac proinde non tota Trinitas; sed *unus è Trinitate passus* sæpius ab eodem pro concione dicebatur. Horum testis est idem, qui supremus Ecclesiæ judex sententiam contra eumdem Fullonem pronuntiavit Felix III. hæc illimet exprobrans Epist. 3. *At vero tu in Ecclesia ausus es dicere, quod unus increatæ atque individuæ Trinitatis passionem subiit: & per hoc consubstantialem quoque solvere niteris, ac Deum subjicere numero*. Etenim cum in Christo uno ex Trinitate unicam naturam Divinam statueret, consubstantialem Dei Naturam negabat, unaque tres Deos impie inducebat; siquidem Fullo dicebat: *Unum de Trinitate passionem pro nobis pertulisse in substantia Deitatis*, teste eodem Felice Epist. 5. ad Zenonem Augustum. Nam substantia passibilis non est idem cum substantia intrinsece impassibili; unde cum substantia, seu natura Filii, juxta Fullonem, esset passibilis, natura vero Patris, ac Spiritus Sancti impassibilis, una eademque natura esse nequibant, ac proinde Divinæ Personæ non poterant dici consubstantiales, sed distinctæ naturæ, atque adeo plures Deos indu-

inducentes juxta Fullonis errorem.

Hæc est origo celeberrimæ controversiæ circa orthodoxiam propositionis de uno ex Trinitate passo, de qua nunc disceptamus, & circa quam quatuor animadvertimus notatu digna, & tenenda.

Primum est duplicem olim fuisse Catholicis de Sententia S. Procli admittenda, aut rejicienda concertationem. Prior, imperantibus Zenone, ac deinde Anastasio, mota est adversus Hæreticos, prædictum nempe Fullonem Sedis Antiochenæ invasorem, & alios Eutychianos Theopaschitas, qui in Sententia S. Procli nomen carnis qua passus est Christus, & aliud quodcumque naturarum in Christo diversitatem indicans, consulto resecantes, idcirco profitebantur unum de Trinitate passum, ut significarent Naturam Divinam, qua putabant humanitatem Christi esse absorptam, & consumptam, dolores passionis sustinuisse. Ii igitur vocem *unus* in mutilata Sententia S. Procli sumebant essentialiter, vel saltem propositionem hanc, *unus de Trinitate passus est*, propugnabant reduplicative, nolebantque ea enuntiari subjectum duplex, aliud denominationis, nempe persona Verbi, cui tribuitur passio propter naturam humanam, quam hypostatice assumpsit & in qua sola dolores passionis recepti sunt, aliud inhæsionis, nempe humanitas qua Christus passus est, quamque unitione facta superstitem non

mansisse Theopaschitæ contendebant. E contra vero idem Felix III. in dicta *Epistola* 3. ad eundem Petrum Fullonem, quamvis graviter eum objurget, eique in crimen maximum merito vertat, quod unum de Trinitare passum dicens, Trinitatem consubstantialem in tres Deos dividat ex evidenti ratione, quam mox innuimus, quod qui Deum Filium in propria natura passum dicit, Divinam ejus naturam necessario distinguit a Divinitate impassibili Patris, & Spiritus Sancti; attamen manifeste apparet, Summum hunc Pontificem, qui in eadem Epist. Filium appellare non dubitat *unum individuæ Trinitatis*, minime rejecisse hanc propositionem in se sumptam, scilicet, *unus de Trinitate passus est*, sed solummodo eam damnasse, prout ab Hæreticis obtrudebatur, ad errorem suum callide mentibus infundendum.

Altera controversia, quæ de hac propositione olim mota est, ipsosmet Catholicos divisit, cœpit anno 519. Constantinopoli, auctoribus Monachis quibusdam Scythis, hujusce Sententiæ, unus de Trinitate passus, professionem nimio studio urgentibus, Justino imperante, & Hormisda Romano Pontifice. Tunc in regia Urbe versabantur Sedis Apostolicæ Legati, quos pacis Ecclesiarum diuturno Acacii Schismate interruptæ redintegrandæ causa, Hormisdas ad Justinum Principem Catholicum miserat. Ii contentio.

tionem a Monachis Scythis excitatam compescere frustra conati, de ea Hormisdam certiorem faciunt, quem etiam ut adirent Monachi, Romam profecti sunt. Hormisdas ex prudenti œconomia quæstionem, ut modo probabimus, solemni judicio dirimere noluit, adeout adiaphoris liberæ Catholicorum disputationi relictis hæc controversia annumerata fuerit, donec anno 534. a morte Hormisdæ decimo, Joannes II. hanc Justiniani Augusti professionem, nempe unum de Trinitate esse Christum, qui pro nobis crucifixus est, auctoritate sua confirmaverit. —

Secundum, quod hic observandum, & tenendum ducimus, illud est, eos Scythas Monachos, qui tanto studio pro Sententia S. Procli, Constantinopoli primum, ac deinde Romæ decertarunt, ab omni hæreseos Nestorianismo oppositæ, nempe ab Eutychiana pravitate fuisse prorsus immunes. Baronius ad annum 520. Binius in notis ad Epist. 70. Hormisdæ, Labbæus in observationibus ad Epistolam eamdem, & alii complures, Monachos Scythas Eutychiana saltem fuligine tinctos putant. Vasquesius vero in 3. S. Th. Disp. 15. cap. 3. Petavius Lib. 5. *De Incarn.* cap. 2. Thomassinus *Dissert.* 18. in Synodos num. 10. & lib. 3. De Incarn. cap. 13. Christianus Lupus *in Notis ad* Epist. variorum Patrum t. 2. p. 452. Duhamelius lib. 2. *De Incarn.* cap. 3. Diony-

ſius a Sancta Martha in *vita Caſſiodori* Gallice ſcripta, Noriſius *in Diſſertatione de uno ex Trinitate paſſo*, & *in Apologia* Monachorum Scytharum &c. quam ſequimur opinionem propugnant. Probatur autem quia, ut ait Petavius loco citato num. 2. *Qui profeſſiones Fidei ab illis* (Monachis Scythis) *editas, ac cætera eorumdem ſcripta, quæ extant, diligenter expenderit, nullum ibi deprehendet veſtigium hereſis illius.* videlicet Eutychianæ.. Quod quidem doctiſſimi Petavii judicium nemo theologus non approbaverit, ſi accurate legat ejuſmodi ſcripta, nempe Apologiam quam illi Monachi Legatis obtulerunt, & quæ habetur *tom.9.* Bibl. PP. Lugd. p. 534. Capitula quæ ejuſmodi Apologiæ adjunxerant ibid. pag. 537. Profeſſionem fidei Maxentii horumce Monachorum doctiſſimi, quæ iiſdem fere vocibus concipitur, quibus definitio fidei Concilii Chalcedonenſis: ibid. pag. 534. ac denique reliqua hujuſce Maxentii opera, in quibus vehementius aliquando ſtudium, & alios hujus generis nævos nonnunquam deprehendes, nihil vero prorſus quod eum Eutychianæ hæreſeos ſuſpectum efficiat.

Tertium eſt, nec Legatos Hormiſdæ, neque Hormiſdam ipſum, Monachorum Scytharum propoſitionem, ut hæreticam damnaſſe.

Et quidem Legati eam ut hæreticam non proſcripſerunt. Tametſi enim in ſuis ad Hor-

Hormiſdam ſuggeſtionibus, illorum Monachorum intempeſtivam *inquietitudinem* maxime vituperant, fidem eorum ſuſpectam habent, atque illorum propoſitionem novam, & hæreſibus, multiſque malis in Eccleſia fovendis idoneam eſſe ſcribunt, attamen I. non ſuggerunt Hormiſdæ ut Monachorum propoſitionem tamquam hereticam proſcribat, ſed tantum ut eam dogmati Catholico contra Neſtorianorum verſutias declarando non eſſe neceſſariam doceat. *Sanum mihi videtur, & utile, & ad pacem Eccleſiarum conveniens*, inquit Dioſcorus Diaconus in una e ſuis ad Hormiſdam de hoc negotio ſuggeſtionibus, *nihil aliud reſponſum dari, niſi: Sufficit ſanctum Chalcedonenſe Concilium, in quo, & aliæ Synodi continentur: ſufficiunt Epiſtolæ Papæ Leonis, quas Synodus confirmavit. Novitatem in Eccleſia introducere nec volumus, nec debemus. II.* Quod a S. Pontifice reſpondendum arbitrabantur Legati, illud ipſum quod coram Imperatore, & Senatu de illa quæſtione reſponderant. *Modo hoc dicimus*, inquiunt in ſuggeſtione ad Hormiſdam cunctorum nominibus inſcripta, *ut nulla novitas a Sede Apoſtolica ſcribatur: quia & nos ante Imperatorem, & ante Senatum hæc indicavimus, dicentes: Extra Synodos quatuor, extra Epiſtolas Papæ Leonis nec dicimus, nec admittimus quidquid non continetur in prædictis Synodis, aut quod non eſt*

 ſcri-

ſcriptum a Papa Leone non ſuſcipimus; quia ſi voluerit Dominus noſter qualemvis novitatem ſcribere, pejus erit iſtud initium (vitium) *quam illud quod factum eſt per Eutychetem*. Similia quoque iidem Legati ad Monachos, coram ſe, & coram Epiſcopo Conſtantinopolitano, adverſus Victorem Diaconum volentes, ut Concilio Chalcedonenſi, nec non S. Leonis, & S. Cyrilli dogmaticis Litteris adderetur *unus de Trinitate*, reſponderunt, teſte Dioſcoro Diacono in alia ſua ſuggeſtione ad Hormiſdam t. 4. Conc. pag. 519.

Itaque Sententia, quam Monachi tanto æſtu propugnabant, non viſa eſt Legatis, ut hæretica damnanda; nempe eos minime latere poterat ejuſmodi propoſitioni in ſe ſumptæ ſignificationem ineſſe Catholicam; ſed I. quia nova erat, ideſt, neque a Conciliis, neque a S. Leone conceptis verbis adhibita; II. quia in ſenſum perverſum a Petro Fullone, & ab Anaſtaſio Imperatore fuerit uſurpata; ideo volebant eam Synodorum definitionibus non adjici, immo maxime neceſſariam declarari, atque ejuſmodi Synodos, & Epiſtolas S. Leonis plenæ dogmatis expoſitioni ſufficere.

Votis Legatorum ſuorum annuit Hormiſdas. In ſex Epiſtolis, quas de Monachorum Scytharum diſſidio ſcripſit, hanc propoſitionem, *Unus de Trinitate paſſus eſt*; non modo non condemnat, ſed ne quidem con-

conceptis verbis exprimit. In prima quæ est ad Justinianum numero 66. solum rescribit, Monachos illos Romæ mansuros, donec Legatis suis reducibus inquirere possit, *qua revera faciente causa inter eos fuerit commota discordia*. Secundæ ejus Epistolæ quæ est 67. idem est argumentum. In tertia, quæ est 70. ad Possessorem in Scythas Monachos Roma profugos vehementer quidem invehitur, illos rixandi libidinis accusat, temeritatisque, novitatis, superbiæ, et contumaciæ notas iis impingit. At nullam hæreseos accusationem in ipsos instruit, nullamque propositionis, *Unus de Trinitate passus*, expressam mentionem facit. In quarta quæ est 77. ad Justinianum, promissam sibi a Justiniano circa hoc negocium legationem a se expectari dicit. Interim, ut excludat sensus perversos, qui propositioni famosæ, quam tamen expresse non commemorat, poterant ab hæreticis alligari, hæc de Sancta Trinitate docet: *Sancta Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unus est Deus, hanc Israel jussus adorare; cujus inseparabilis, & indiscreta substantia non potest dividi, non potest sacrilega distinctione separari, servata tamen proprietate unicuique Personæ*. In quinta, quæ est 78. ad Justinum Augustum, constitutis a Concilio Chalcedonensi, et a S. Leone inhærendum statuit, et quamvis ab Imperatore rogatus, quæstionem definire, vitandæ tamen discordiæ

causa nihil de ea pronunciandum putat. In sexta demum quæ est 79. ad eumdem Justinum Augustum, Trinitatis, et Incarnationis mysteria accurate exponit, divisionem in Trinitate, et passionem in Divinitate admittendam negat; sicque eos proscribit pravos errores quos propositioni, Unus de Trinitate passus, Theopaschitæ præpostere annexuerant. Ceterum de hac propositione idem silentium servare pergit. Ergo propositionem Monachorum Scytharum Hormisdas ut hæreticam non damnavit.

Id ipsum testimoniis Auctorum coætaneorum maxime confirmatur. Maxentius in *Responsione* ad Epistolam Hormisdæ cunctis notum esse affirmat, quod Monachis responsum quærentibus Romanus Episcopus dare omnibus distulerit. Ferrandus Diaconus *in Epistola* ad Severum scribit nihil ante Pontificatum Joannis II. fuisse ab Ecclesia Romana in hac Causa definitum. Denique Anatholius Ecclesiæ Romanæ Diaconus post Hormisdæ mortem de hac propositione eumdem consulit Ferrandum Diaconum Carthaginensem; quod certo indicio est, quæstionem a Sede Apostolica nondum solemni judicio definitam fuisse.

Itaque Hormisdas S. P. ex una parte prospiciens Sententiam *de uno ex Trinitate passo*, non fuisse antiquis Patribus usitatam, tum Latinis prorsus ignotam esse, eamdemque apud Græcos a Petro Fullone Pseudo-

Patriar-

Patriarcha Antiocheno, et ab Anastasio Imperatore sensu Eutychiano usurpatam; ex alia vero parte sibi non dissimulans, hac propositione in se sumpta sensum Catholicum referri, de cætero apud se merito statuens eam plenæ declarationi fidei minime esse necessariam, prudenter œconomia usus est, atque ab ejusmodi approbanda vel reprobanda Sententia caute abstinuit, jure veritus ne in iis, in quibus res Christiana versabatur circumstantiis, definitio quæstionis ejusmodi quoquomodo fieret, novarum dissentionum in Ecclesia occasionem daret.

Quartum est, controversiam de uno ex Trinitate passo meram fuisse inter Catholicos *Logomachiam*, seu quæstionem de nomine. Quod probatur I, quia hoc ipsum annotarunt Justinianus in tertia quam de ejusmodi argumento ad Hormisdam scripsit *Epistola* T. 4. Conc. Lab. col. 1517. Ferrandus in *Epistola* ad Anatholium cap. 18. et in *Epistola* ad Severum cap. 9. nec non Facundus Hermianensis Lib. 1. de tribus capitulis.

Probatur II. quia omnes Catholici quidquid in hoc negotio fide erat tenendum, aperte, & unanimiter profitebantur. Etenim ajebant universi, Secundam Sanctissimæ Trinitatis Personam, seu Filium Dei Unigenitum pro nobis esse incarnatum, & secundum Carnem Cruci affixum, seu, quod eodem recidit, Christum, qui pro nobis passus

passus est, unam esse Trinitatis Personam. Cuncti in Christo duas admittebant naturas, Divinam, secundum quam eum prædicabant esse impassibilem, humanam, secundum quam eum esse passum, & crucifixum credebant. Hæc erat fides imprimis Legatorum Hormisdæ, ut patet ex jam laudata *suggestione* secunda Dioscori Diaconi ad Hormisdam, tum Hormisdæ ipsius, qui in Epistola sua ad Justinum, quæ est 79. hanc diserte exponit, tum denique Monachorum Scytharum, ut videre est in eorum Apologia, & Capitulis, & in Maxentii lucubrationibus. Qui igitur unum de Trinitate passum nolebant dicere, vocem *Unum*, accipiebant essentialiter, & absolute, id est, sine relatione ad Personas; unde inferebant hac locutione vel divinitati, ac proinde toti Trinitati passionem adscribi, vel Sanctam, et individuam Trinitatem in tres Deos dividi. Sane *ex Epistolis* 77. et 79. Hormisdæ manifestissime colligitur hunc esse veritum Pontificem, ne propositio, qua de agimus, ejusmodi pravo, et hæretico sensu quo a Fullone propugnata fuerat, adhiberetur. Aliqui etiam, ut Trifolius vocem *Unus* pro *uno* Patre, aut *uno* Filio, aut *uno* Spiritu Sancto in laudata propositione sumi posse contendebant, quasi ea unus Pater de Trinitate, aut unus de Trinitate Filius etc. passus significaretur. Quapropter inepte postulabant quis ex tribus Patribus, aut

aut ex tribus Filiis etc. hac Sententia paſſus exprimeretur? Jam vero qui inter Catholicos exadverſo unum Trinitatis eſſe paſſum profitebantur, ut Dionyſius Exiguus, Ferrandus, Ruſticus, ipſique Monachi Scythæ, ii omnes S. Proclum Sententiæ hujus auctorem ſecuti, vocem *unus* accipiebant ut in ea propoſitione revera ſumi debet, rationaliter ſcilicet, ſeu perſonaliter non pro uno Patre, aut uno Filio etc. ut ridicule Trifolius, ſed generalius pro uno ſubſiſtente, ſeu una è Trinitatis perſonis, adeo ut ſenſus ſit: Unus ſubſiſtens de Trinitate, ſeu una de Trinitate Perſona carnem aſſumpſit, et in Natura aſſumpta dolores paſſionis, et ipſam crucifixionem ſuſtinuit. Atque non aliam fuiſſe ejuſmodi Catholicorum mentem ex eorum ſcriptis adhuc ſuperſtitibus liquidiſſime conſtat. Ergo, licet Maxentius in reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ, et alibi Adverſarios ſuos non ſine magna tameritate hæreticos nuncupet, quamvis Legatis Hormiſdæ ſuſpecta viſa fuerit Monachorum Scytharum fides, iſtorumque propoſitione hæreſim Arianam propinari ſenſerit Tifolius, attamen quod ad fidem attinet, et ſubſtantiam dogmatis, nullum hos inter et illos diſcrimen interceſſit.

His prænotatis, quæritur utrum vera ſit, et Catholica hęc propoſitio, *Unus de Trinitate paſſus eſt*, nec non iſta: *Unus de Trinitatr*

tate incarnatus est, seu, *Christus*, aut *Verbum est unus de Trinitate*, quam Sententiam altera supponit.

Respondeo: Has propositiones esse verissimas, et Catholicas. Hoc unum inter eas discrimen intercedit, quod ista: *Unus de Trinitate incarnatus est*: vera sit etiam reduplicative, seu quatenus est *unus de Trinitate*; altera vero, quæ ex ea deducitur, nempe *unus de Trinitate passus est*, non sit vera nisi ratione humanitatis assumptæ, in qua sola Christus passus est, & propter communicationem idiomatum, quam jam explicavimus.

Probatur Responsio I. ex Conciliis. Synodus V. generalis can. 10. sic habet: *Si quis non confitetur Dominum Jesum Christum, qui crucifixus est Carne, Deum esse verum, & Dominum gloriæ & unum de Sancta Trinitate, talis anathema sit*. Vide etiam can. 4. & 5.

Concil. Lateran. a Martino I. anno 649. contra Monothelitas celebratum can. 2. sic statuit: *Si quis... non confitetur proprie, & secundum veritatem ipsam, unum sanctæ & consubstantialis, & venerandæ Trinitatis Deum Verbum è Cælo descendisse, & incarnatum ex Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne &c. condemnatus sit*.

Patres Concilii VI. tum in definitione fidei t. 6. Conc. pag. 1095. tum in sermone ac-

acclamatorio ad Imperatorem pag. 1052. tum etiam plerique Actione VIII. suffragia singuli proferentes, Christum unum de Trinitate prædicant.

Probatur II. auctoritate Summorum Pontificum.

Joannes II. in *Epistola* ad Justinianum Imperatorem data Romæ VIII. Kal. Aprilis anni 534. primus quæstionem definivit, confirmans quæcumque ad eum de fidei doctrina Justinianus scripserat in Literis, quas suæ Epistolæ inserit, inter quæ illud erat imprimis, *Christum .... crucifixum, unum esse sanctæ, & consubstantialis Trinitatis*; Et in *Epistola* 3. ad Senatores, *Justinianus Imperator filius noster*, inquit, ... *De his tribus quæstionibus orta certamina fuisse significavit, utrum unus ex Trinitate Christus, & Deus noster dici possit: hoc est una de tribus Personis Sanctæ Trinitatis sancta Persona &c. Probavimus in his Catholicam Imperatoris fidem &c. Unum enim ex Sancta Trinitate Christum esse, hoc est, unam de tribus Sanctæ Trinitatis personis Sanctam esse Personam; sive subsistentiam, quam Græci ὑπόςασιν dicunt .... evidentur ostendimus.*

Eamdem Justiniani fidem de uno ex Trinitate passo approbavit etiam Agapetus Joannis secundi Successor, in Epistola ad Justin. his verbis: *Huic quisquis contradicere præsumpserit, a Catholica communione se noverit alienum*. Dedit hanc Epistolam Agape-

gapetus die 18. Martii Constantinopoli, quo a Senatu Romano exoratus, belli ab Italia avertendi causa se contulerat. De anno vero quo exarata est, scite observat doctissimus, & eminentissimus Norisius in dissertatione: *De uno ex Trinitate passo* cap. 10. Pontificem non nisi die 22. Februarii anni 536. Constantinopolim pervenisse, ac proinde ejusmodi Epistolam in edit. Binii, & Labbæi male legi datam *Flavio Belisano* V.C. *Consule*, id est anno 635. Legendum cum Codice Vaticano: *Post Consulatum Belisarii* V.C. id est anno 536.

Vigilius Papa in constituto quod eidem Justiniano inscripsit, dato Constantinopoli die 14. Maii anni 553. hunc laudat, quod *orthodoxa professione unum de Sancta Trinitate Christum Deum, & Dominum nostrum confitendum astruxerit*.

Tandem S. Agatho in Epistola ad Imperatorem Constantinum Pogonatum, quæ Actione 4. Concilii sexti recitata est, fidei quam Justinianus Imperator suis edictis professus est, *rectitudinem* laudat. Is porro maxime inculcarat, unum de Trinitate esse Christum qui pro nobis crucifixus est.

Probatur III. ex Sanctis Patribus. Dissimulandum non est, propositionem de qua agimus, licet quantum ad sensum in Scripturis, & in tota Traditione sæpius exprimatur, iisdem tamen terminis, & vocibus non fuisse adhibitam ante quintum Sæculum

lum

lum. Primus omnium fit S. Proclus fidei Catholicæ adversus Nestorium strenuus defensor, qui *Ad interimendas*, juvat hic ex Liberato *Breviarii* cap. 10. repetere, *Nestorianorum versutias qui duas in Christo inducunt personas, unum de Trinitate incarnatum posuit*. Extat hæc Epistola S. Procli tum Græce, tum ex versione Dionysii Exigui, qui Hormisda Pontificatum gerente, occasione dissidii a Monachis Scythis excitati, hanc Latine reddidit. Non modo autem unum de Trinitate incarnatum, sed etiam Christum pro nobis carne passum unum esse ex Trinitate, tradidit S. Proclus in Epistola ad Joannem Antiochenum, cui tomum suum ad Armenos approbandum miserat. Cujus quidem Epistolæ fragmenta leguntur apud Liberatum loco mox citato, apud Facundum Hermianensem lib. 1. & Collatione 5. Concilii V. generalis. Laudat enim in hanc rem Joannes Papa II. in Epistola 3. quæ est ad Senatores, duo testimonia S. Procli, ut excerpta ex ejus Epistola ad Occidentales. Horumce vero textuum posteriorem, ut & alia plura Maxentius in Professione Fidei tom. 9. Bibl. PP. Lugd. p. 535. tamquam ex Epistola Procli ad Armenos desumpta recitat, in qua tamen non reperiuntur. Censet Petavius lib. 5. de Incarn. cap. 3. in Epistola Joannis II. mendum irrepsisse, & legendum *ad Orientales*, quibus S. Proclum revera scripsisse ex S. Cyrillo

rillo colligitur; Maxentium vero, quæ in hac S.Procli Epistola ad Orientales continebantur, præ inconsiderentia, ut e tomo ad Armenos excerpta, exhibuisse. Contra Norisius Maxentium interpretatur de refutatione capitulorum Theod. Mopsuesteni Epistolæ ad Armenos adjecta. Quæ refutatio periit quidem, sed extitisse colligitur tum ex fragmentis Epistolæ ad Joan. Antioch. Collat. 5. Synodi V. insertis, tum ex altera S. Procli ad eumdem Epistola apud Facundum l.8.c.2.

Testis porro est Liberatus loco mox citato, Epistolam S. Procli ad Armenos a Joanne Antioch. & ab Episcopis cum eo congregatis approbatam fuisse, & subscriptam.

Cyrillus Schytopolitanus scribit, S. Euthymium celebrem Monachorum in Palæstina institutorem, qui anno 473. obiit, nec non S. Sabam Abbatem adversus Nestorianos prædicasse, unum de Trinitate esse Christum.

Constat quoque tum ex Libello, quem Legatis Anastasii Papæ Apocrisarii Ecclesiæ Alexandrinæ versus initia Imperatoris Anastasii obtulerunt, cum maxime ex supplicatione, seu deprecatione Clericorum, & Abbatum Diœcesium Antiochiæ, Hierosolymorum, & secundæ Syriæ ad Justinum Imperatorem Anastasii Successorem, constat, inquam, famosam Sancti Procli sententiam de Christo uno ex Trinitate, genuino, & Catholico sensu intellectam, etiam quo tempore ea mutilata, ut deinde dice-

dicemus, abutebantur Eutychiani, a Catholicis pluribus Orientis in professione Fidei contra Nestorianos recitatam. Latinis quidem serius cognita, & usitata fuit eadem Sententia. Nec mirum, siquidem 1. ad eorum notitiam non antea pervenit Epistola S. Procli ad Armenos, quam a Dionysio Exiguo temporibus Hormisdæ S. P. Latinitate donaretur. 2. Contra Nestorianos, quibus coercendis nata erat illa locutio, concertationes Occidentalibus erant pauciores: Orientalibus vero frequentissimæ. 3. Henoticum Zenonis datum anno 482. Procli sententiam his verbis conceptam continebat: *Trinitas enim mansit Trinitas, & incarnato uno de Sancta Trinitate Deo Verbo*. Illud autem edictum in Occidente rejectum est unanimi cum Ecclesia Rumana consensu, a pluribus vero in Oriente receptum fuit. Facile ergo intelligitur, quæ fuerit causa, cur sententia de qua agimus, etsi plane Catholica, & quoad rem ipsam ab Occidentalibus admissa, non statim quoad verba, ab iis recepta fuerit, quandoquidem nova iis videri debuit, & ea insuper abusi fuerant Eutychiani. Sed ex eo maxime elucescit veritas hujusce locutionis, quod eam esse Catholicam, Dionysius Exiguus in *præfatione* ad Epistolam S. Procli, Ferrandus Diaconus in *Epistola* ad Anatolium, & alii præstantes Viri apud Latinos statim agnoverint; quodque post aliquam ejus ventilationem,

& dis-

& discussionem, anno a morte Hormisdæ Papæ, qui de ea nihil statuere voluerat, decimo, Joannes II. S. P. hanc solemniter approbandam duxerit, nemine reclamante præter solos fere Monachos Acœmetas, quos idem Pontifex propter Eutychianum errorem ab Ecclesiæ communione expellendos censuit.


Probatur ultimo ratione Theologica. Omnes Catholici semper fassi sunt, atque etiam dum inter ipsos de uno ex Trinitate passo disputatum est, alte profitebantur, quod ex Scripturis, & ex Traditione certissimum est, Christum scilicet, qui pro nobis secundum humanitatem passus, & crucifixus est, esse Verbum ipsum, seu Filium Dei pro nostra salute incarnatum, unam e personis Sanctissimæ Trinitatis. Atqui hæ propositiones, unus de Trinitate incarnatus est, & pro nobis secundum carnem est passus, hoc ipsum significant, non aliud quidquam. Enim vero planum est hanc esse ejusmodi propositionum significationem, modo vox *unus* in hac locutione, *unus de Trinitate*, accipienda sit *personaliter*, seu *notionaliter*, non vero *essentialiter*, & *substantialiter*, adeout sensus sit, una Trinitatis persona, non vero una Divinitas Trinitatis, vel unus e Trinitate Deus: atqui cum dicitur, *unus e Trinitate*, vox *unus* sumitur, personaliter non essentialiter, & sensus est, una Persona SS. Trinitatis, non una Divinitas, seu

unus

unus Deus Trinitatis. Nam I. illud Dei dictum Genes. 3. 3. 22. *unus ex nobis*, juxta genuinam, & omnibus probatam interpretationem, idem sonat ac una persona ex tribus SS. Trinitatis personis. Atqui eadem plane vis est vocis *unus*, in hac locutione, *unus de Trinitate*, ac in ista Dei de se loquentis sententia *unus ex nobis*; ergo &c. Hoc argumento utuntur Joann. II. in *Epist.* 3. ad Senatores, Facundus Hermianensis lib. 1. &c. II. S. August. *Enchiridii* cap. 38. ait: *Unus trium*, ut designaret unam SS. Trinitatis personam: atqui hæ voces *unus de Trinitate* idem manifeste exprimunt, ac istæ *unus trium*, quando agitur de Trinitate; ergo &c. III. Quandocumque vox *unus* sine adjuncto *Deus*, aut alio æquivalenti, de Trinitate agendo pronuntiatur, numquam concipitur, essentiam, seu Naturam Divinam, quæ cum suo concreto Deus identificatur, significare. Si velis unica voce unitatem substantiæ, seu naturæ tribus Personis communis designare, adhibe vocem *unum*, ut dixit Christus: *Ego, & Pater UNUM sumus*; non dicas *unus*, aliàs in Sabellianismi notam incurres. Pater enim, Filius, & Spiritus Sanctus sunt *unum*, idest, una substantia, & Divinitas, seu unus Deus, at non sunt *unus*, seu *unus* subsistens, ut ajunt, seu *una* Persona. Hanc rationem premit Ferrandus Diaconus cap. 15. *Epistolæ* ad Anatolium. III. Cum dicitur, *unus*

de

de Trinitate, nonne ipsa vi sermonis, & indole vox *unus* ad aliquem ex iis tribus quibus Sancta Trinitas constat, refertur? Certe id confirmant omnes loquendi modi, quibus unus de pluribus numero designatur. Atque unus ex tribus, quibus Sancta Trinitas constituitur, idem plane est ac una Sanctæ Trinitatis persona. Unde merito Joannes II. in *Epistola* 3. ad Senatores jam non semel laudata, unum de Sancta Trinitate Christum esse ita explicat: *Hoc est unam de tribus Sanctæ Trinitatis Personis sanctam esse Personam*; ergo &c.



QUÆ-

QUÆSTIO III.

An Trisagio, ideſt invocationi, qua Deus ter dicitur Sanctus in hunc modum, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, addi poſſit, qui crucifixus eſt pro nobis.

PRoclo Patriarcha Conſtantinopolitanam Sedem obtinente (in quam translatus e Cyzicena fuerat, Maximiano mortuo, qui Neſtorio hæretico damnato, ac depoſito ſucceſſerat) magnus terræ motus, non in illa tantum urbe, ſed per vicinas Regiones, adeoque maximam Orientis, & Occidentis partem, ingenti tum Urbium, hominumque ſtrage, tum ſuperſtitum horrore, ac motu graſſatus eſt. Conſtantinopolitani crebris ædium ruinis coacti Urbe cedere, extra hanc in Campo commorati ſunt cum Imperatore Theodoſio Juniore, ac Patriarcha. Ibi dum precibus, ac litaniis aſſidue propitium ſibi numen facere ſtudent, forte vehementius ſolito ſuccuſſa terra, & imminentis tum maxime publicæ cladis terrore perculſis omnibus, puer quidam e media turba vi abreptus ſubita, & in aerem elatus, ut jam amplius non appareret, cæleſte ibi carmen, quo Divinas laudes Angeli canebant, exaudiit; quod erat hujuſmodi, *Sanctus Deus*;

Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis. Hoc ipsum docere ceteros jussus, in terram aliquanto post depositus est. Proclus hoc audito, publice ab omnibus cantari præcepit, quod cum alacritate summa factum esset, moveri statim terra desiit. Imperator cum Sorore Pulcheria edictum fecit, ut hymnus iste deinceps toto orbe caneretur. Ex quo per universas Ecclesias usus invaluit, ut ab hoc carmine Divinæ ubique laudes inchoarentur. Puer mandato sibi munere perfunctus expiravit illico, & in magna Basilica, quæ Irenes appellatur, est sepultus. Locus, unde in altum sublatus erat, *elevatio Divina* nominatus est. Hæc ànno circiter Christi 448. gesta refert Nicephorus Callisti F. quæ & ab antiquioribus traduntur, ut Felice tertio Papa in Epistola, quam ad Petrum Fullonem scripsit anno 483., & Acacio Constantinopolitano, aliisque Episcopis, qui ad eumdem Petrum acres litteras miserunt, quæ inter Zonaræ commentaria in Canones leguntur. Meminit, & Joannes Damascenus libro tertio de fide, capite decimo: qui & Librum de Trisagio hymno peculiarem edidit, in quo eamdem historiam memorat.

Hunc hymnum porro Joannes idem Damascenus prodidit, in quarta Synodo Oecumenica Chalcedonensi decantatum fuisse, cujus rei fidem faciunt acta Synodi ejusdem, inter quæ sub finem Actionis primæ legitur, Orien-

Orientales Episcopos in solemnibus acclamationibus, illum hymnum pronuntiasse.

Postea Petrus cognomento *Fullo*, in Antiochenam Sedem intrusus, ex Eutychiana Secta, ad cælestem hunc hymnum addere istud ausus est: *qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Hoc addito Theopaschitarum, qua imbutus erat, hæresim corroborare studebat; ut ipsummet Deum non carne, sed Divinitate passum esse monstraret. Quod dupliciter potest intelligi. Nam aut Trinitatem ipsam totam perpessioni, ac morti subjiciebat; aut unam tantummodo Filii personam. Utrumque Petro Fulloni tribuitur: quorum prius cum Sabellianis commune habuit qui unam dumtaxat in Deo Personam confitentes, hanc ipsam includebant corpore. Atque hujusmodi erroris in illo suspicio statim ex ipsa Trisagii corruptela proditur: cum post triplex totidem Personarum elogium, appendix ista subjicitur: *qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Posterius vero ab Arianis expresserat, qui Divinitatem Filii eamdem, atque est in Patre negabant; eamque vice animæ cum carne conjunctam passam esse, mortuamque dicebant. Huic porro suffragabatur altera illa, quæ publice pronuntiata est ab Fullòne, Sententia: *Unum de Trinitate passum esse*. Quod illi exprobrat tum Felix Papa in Epistolà ad eum scripta; tum Acacius Constantinopolitanus Episcopus. Ac

Felix in altera Epistola, quæ damnationis in Petrum Sententiam continet, quatuor ab eo diversis temporibus prædicatas hæreses nefarias, & sub illa Sententia comprehensas, intellectasque scribit. *Etenim aliàs,* inquit, *dixisti, Trinitatem pro nobis esse crucifixam, non autem Christum; aliàs immortalem Spiritum, Manichæi secutus errorem; aliàs vero hujusmodi liberatus opinionibus, postquam admonitionibus nostris, ac sermonibus convictus es, Christum, post immortalem Spiritum, passionem sustinuisse dixisti, non aliter ac Paulus Samosatenus, & Nestorius, qui unum filium in duos partiuntur.* Addit his, aliàs eumdem Petrum Cherubicum hymnum, idest, *Trisagium*, quem in Trinitatis laudem cælestes illi cecinerunt spiritus, ad solum redegisse Filium.

Hæc in Trisagii appendice notata, reprehensaque ab Catholicis errorum semina, magis ad corruptoris mentem venenis istis, aut omnibus, aut quibusdam imbutam referenda sunt, quam ad ipsam verborum conceptionem, quæ vindicari per se facile posset ab multiplici hac invidia dissidentium invicem hæreseon, quas simul complecti dicitur, uti postea constabit.

Illud vero minime tacendum est, quod Asclepiades Trallensis Episcopus notavit initio epistolæ: Petrum Fullonem hac ratione facinus suum excusasse, quod adversus Nestorium necessariam sibi visam clausu-

lam

Iam iſtam diceret, qui ab Chriſti paſſione, ac morte Divinam naturam ſegregaſſet.

Hinc Catholici nonnulli formulam iſtam Triſagii hymni ab Fullone mala mente, velut mangonio quodam, interpolatam, partim ad veræ profeſſionem Fidei, paucis inſertis voculis, deflexerunt; partim commode interpretati ſunt. Calandio Antiochenæ Eccleſiæ a Petro Fullone tertius Epiſcopus, ante hujus clauſulam interpoſuit. *Chriſte Rex*: ut poſt Triſagium, ita reliqua pertexerentur: *Chriſte Rex, qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis*, ac nefaria illa in Deum blaſphemia vitaretur, ut ſcribit Nicephorus Calliſti.

Ephræmius autem Antiochenus item Epiſcopus, vir egregius, & Catholicæ Fidei ardentiſſimus propugnator, ſcribit apud Photium, hymnum illum ab quibuſdam Catholicis de ſolo intelligi Filio, ideoque ſine ullo piaculo, Fullonis eos appendicem adjicere, quod ab Orientalibus fieri dicit. Byzantinos vero, & Occidentales, quod Triſagium hymnum in totius honorem Trinitatis concini putent, abhorrere ab illa Petri Fullonis clauſula, ac recte utroſque facere, quum ex mente, ac ſenſu, quem quiſque adhibet, probanda, vel repudianda ſit iſta Sententia. Subjicit tamen iſtud Photius, quandoquidem Acephali ad corroborandam impiam ſuam hæreſim plurimum appendice iſta Fullonis utebantur, alios

alios Patres penitus abrogandam censuisse. Sed de trisagio hactenus, de quo legendus, ut jam dixi, Joannes Damascenus. Confer Henrici Valesii *de Petro Antiocheno Episcopo qui Fullo cognominatus est, & de Synodis adversus eum collectis*, Dissertationem ad Evagrii hist. Eccles. & Pagium in Critica Tom. I.

His quoad historiam prænotatis; quoad Dogma nunc I. est observandum; quod si primum Trisagii usum spectes, juxta quem ad totam SS. Trinitatem refertur, illi nonnisi impie, & hæretice adjici posse hæc verba: *qui crucifixus est pro nobis*. Ratio est quia hac additione, vel toti Trinitati adscriberetur passio, vel saltem Spiritui Sancto, qui, ut observat Felix III. S. P. in Epistola tertia ad Petrum Fullonem, his verbis, *Sanctus immortalis* in Trisagio ad totam Trinitatem relato designatur. Atqui sive toti Trinitati, sive Spiritui sancto, ac proinde divinitati passionem adscribere impium, absurdum, & hæreticum est. Solus Filius pati potuit, quia solus naturam passibilem assumpsit, nempe naturam humanam in qua, non in Divinitate, dolores passionis sustinere dignatus est. Hinc Petrus Fullo Sedis Antiochenæ invasor, graviter a Felice III. mox laudata ejus Epistola tertia, nec non in duabus sequentibus reprehensus est, quod sacro Trisagii hymno additionem, de qua agimus, adjungere ausus esset.

Quas

Quas Epistolas, etsi Valesius in observat. de Petro Antiocheno ad Evagrium cap. 5. pag. 178. Tillemontius in Acacio Constantinopolit. art. 49., & alii spurias existiment, merito tamen retinendas censet Norisius in Historia controversiæ de uno Trinitatis passo cap. 2., & genuinas esse colligit ex Anastasio Bibliot. in Epistola ad Joan. Diaconum Tom. XII. Bibliot. PP. Lugd. p. 834. col. 2. Tanti vero Constantinopoli tumultus occasione ejusdem additamenti jussu Anastasii Imperatoris in Ecclesia solemniter decantati, anno 512. exorti sunt, tantaque seditio adversus impium principem, tamquam in Trinitatis inimicum mota, ut ipse ne e solio ejiceretur metuens, se deinceps in Ecclesiæ ritibus nihil innovaturum polliceri, & jurare coactus fuerit. Factum referunt Evagrius lib. 3. *Hist. Eccles.* c. 44. Marcellinus Comes in *Chronico*, Theophanes, Cedrenus, Victor Tununensis, Zonaras &c. quorum in enarrandis quibusdam rei circumstantiis dissimilitudines hic annotare nihil necesse est.

II. Christum utpote natura Deum, revera dignum esse qui ter Sanctus, Deus, fortis, & immortalis nuncupetur: nihil proinde in eo usu reprehendi posse, juxta quem Trisagion ad solum Christum referretur: atque demum, ubi ad solum Christum hymnus ter Sanctus dirigitur, nihil nisi Fidei maxime consentanei in additione crucifixio-

fixionis illi assuta reperiri, siquidem Christus secundum humanitatem vere crucem subiit. Quapropter laudanda fuit prudens dispensatio, & œconomia Calendionis viri adprime Catholici, qui in locum Petri Fullonis, quem Zeno Imperator in exilium amandarat, canonice suffectus, Ecclesiam Antiochenam aliquandiu rexit. Is ut diximus, & testatur Theodorus lector Hist. Eccles. lib. 1. sacro hymno inseruit, memorataeque additioni, *qui crucifixus es pro nobis*, præfixit has voces *Rex Christe*, quibus eam invocationem soli Christo applicans, errorem a Fullone propinatum amovit. Verum Calendione paulo post jussu ejusdem Zenonis ejecto *reversus* iterum Petrus Fullo, *sustulit verba Rex Christe*, inquit Theophanes in Chronographia.

III. Hunc olim in Ecclesiis Orientalibus, non vero in Ecclesia Constantinopolitana, neque apud Latinos obtinuisse usum, ut Trisagion cum additione *qui crucifixus est pro nobis*, etiam Christi nomine non appellato usurparetur, sine ullo Fidei detrimento. Nempe ejusmodi Ecclesiæ Orientis, etsi mentionem Christi expressam in Trisagio non facerent, attamen ad ipsum solum illam invocationem cum additione dirigebant, ut ex eo facile intelligere erat, quod solum Filium esse incarnatum alte profiterentur, & in eo duas esse Naturas, alteram impassibilem nempe Divinam, alteram qua

passus

passus est, nempe humanitatem. Cujus quidem usus, & interpretationis habetur imprimis Testis locupletissimus Ephrem Patriarcha Antiochenus, qui Sæculo sexto floruit. Vide plura de hoc argumento apud doctum Assemani Tomo 1. Biblioth. Orient. pag.518. & apud Michaelem le Quien *in Oriente Christiano* tom. 3. pag. 22.

IV. De usu hodiernarum Christianorum Societatum in Oriente, quæ Trisagium cum additamento, *qui crucifixus &c.* etiam tacito Christi nomine adhibent, esse judicandum præsertim ex ejusmodi Societatum professione, & fide. Enim vero constat ex dictis, hunc hymnum secundum Analogiam fidei, & secundum usum veteris Ecclesiæ Orientalis cum additione de qua agitur sensu orthodoxo ad Christum solum referri. Quæ ergo Societates Orientales fidem Catholicam de Christo, de duplici in eo natura, de Divinitatis impassibilitate profitentur, necessario censendæ sunt Trisagium cum mentione crucifixionis usurpatum ad solum Christum dirigere, sicque hoc suo usu doctrinam orthodoxam nihil lædere. Secus sentiendum esset de Eutychianis, qui humanitatem a Divinitate absorptam, & consumptam putarent. Ii, si sibi constent, non alio sensu possunt in Trisagio passionem & cruci affixionem commemorare, quam ut passionem Divinitati, ac proinde toti Trinitati attribuant.


Docet

Docet, probatque prædictus Assemanus Bibliothecæ Orient. tomo 1. pag. 158. *Monophysitas antiquiores, recentioresque Jacobitas circa Trisagium cum Catholicis* (illum ad solum Christum referentibus) *sensisse & modo sentire*.

De Maronitarum vero circa Hymnum eumdem usu, quos Catholicæ Fidei addictos, & Romanæ Sedi communione conjunctos esse nemo nescit, hæc scribit Faustus Naironus Banensis Maromita Romæ sæculo proxime elapso linguæ Syriacæ professor, in sua de origine, nomine, & religione Maronitarum Dissertatione num. 85. *Id fieri quidem* (nempe crucifixionem Trisagio addi) *etiamnum a Maronitis fateor, sed sensu Catholico, & ab Ecclesia Romana non improbato, quum illud in recognitis ipsornm Ecclesiasticis Libris Romæ impressis reliquerit; sed tunc non refertur Trisagium ad Trinitatem Sanctissimam, sed ad Christum unum, qui ter Sanctus, idest, infinite Sanctus, omnium confessione dicendus est. Nam apud Maronitas Trisagium dupliciter accipitur, aliquando enim tribus applicatur Personis, & tunc crucifixionem addere impium blasphemumque arbitrantur; ac propterea nunquam in hoc sensu penes eos legitur hic hymnus cum additione Crucis, ut videre est in ipsorum Missali post lectionem Evangelii, ubi sic: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis. Aliquando vero soli tribuitur*

buitur Filio, & tunc additur Crucifixio, quia vere crucifixus est Christus, immo in multis locis Breviarii Maronitarum manifeste declaratur, & præsertim ad Matutinum Officii Nativitatis Domini, sic: Sanctus Deus, qui Nativitate tua sancta liberasti nos a seductionibus: Sanctus fortis, qui fortificasti gregem tuam, ut canat tibi gloriam: Sanctus immortalis, quoniam mortales Filii Adam vixerunt Nativitate tua vivificante omnes. Qui crucifixus es Domine noster pro Ecclesia tua, & liberasti eam die Nativitatis tuæ ex seductione, & peccato. Hactenus Naironus, cui consonant Assemanus Bibliot. Orientalis tom. 1. pag. 520. nec non eruditus Michael le Quien Ordinis Prædicatorum *Orientis Christiani* tomo 3. *De Ecclesia Maronitarum* n. 9. pag. pag. 24. Atque hanc ipsam a Nairono traditam de duplici apud Maronitas Trisagii acceptione distinctionem attulerunt quoque Maronitæ Præsules anno 1596. mense Septembris in Synodo congregati coram R.P.Hieronymo Dandino, quem eorum doctrinæ cognoscendæ causa Clemens VIII. in Syriam miserat. Cujus quidem Concilii Acta capite 34. hystoriæ itineris eiusdem P. Dandini ad Montem Libanum inserta habentur.

FINIS.



De Hæresi Eutychiana Expositio Historica.

§. I.

Quis Eutyches? Quis ejus error? Et quando exortus?



NON longo temporis intervallo, Catholica Fides, quæ est singularis, & vera, cuique nihil addi, nihilve minui potest, a duobus est hostibus appetita: quorum prior Nestorius, Eutyches secundus emersit, qui Ecclesiæ Dei duas hæreses sibimet contrarias inferre voluerunt, ut uterque a Prædicatoribus veritatis merito damnaretur, inquit S. Leo Epistola 97. ad Leonem Augustum data.

Presbyter erat Eutyches, & Archimandrita, id est Abbas præsidens celeberrimo

Constantinopolitanæ Civitatis Monasterio, teste Liberato cap 11. Breviarii. Adversus Nestorium zelo pugnavit ardentissimo, ut constat ex Epistola 6. S. Leonis ad ipsum data, & ex Interlocutione Flaviani Constantinopolitani Archiepiscopi in Concilio Constantinopolitano I. in caussa Eutychetis celebrato, Actione 4. Sed Eutychetis Nestorianam in Hæresim zelus secundum scientiam non fuit. Ipsum enim extremum in errorem abripuit imperitia, quo utramque naturam in Christo miscuit, coalitamque in unam asseruit; sive Christum esse ex duabus naturis, sed non in duabus, id est, duas fuisse ante unitionem naturas, unicam postea: unde illud consectarium, Christum consubstantialem nobis non esse secundum carnem. Ita ejus errorem exponit Liberatus, quem Dissertatione singulari inferius refellemus. Eutychetis imperititiam prodit Sanctus Leo Epistola decimatertia ad Pulcheriam Augustam data, ubi ejus errorem *de imperitia magis, quam de versutia natum* asserit. Et Epistola 15. ait ipsum *Nulla maturitate cordis ornasse canitiem senectutis*. Et Epistola 19. vocat ipsum *Indoctum antiquæ Fidei Impugnatorem*.

Cum Hæresim inter familiares Monachos, aliosque sibi amicitia conjunctos furtim docere cœpisset, Eusebius Dorylæi in Phrygia Episcopus, cui cum Eutychete amicitia intercedebat, ipsum privatis monitionibus corrigere tentavit, quod cum frustra fecisset, rem detu-

detulit ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Id conſtat ex Liberato, & ex Breviculo Hiſtoriæ Entychianiſtarum, quod edidit Sirmondus poſt appendicem Codicis Theodoſiani. Exorta eſt Eutychetis Hæreſis anno Chriſti 448. Sancti Leonis Pontificis Maximi 9. Theodoſii Junioris 42. & Valentiniani 24. anno poſt Epheſinum Concilium 18.

§. II.

Quomodo Eutyches ad Concilium I. Conſtantinopolitanum velut Hæreſeos reus delatus fuerit; & quid geſtum Actione 1.

ANno Chriſti 449. Flavio Zenone, & Poſthumiano Coſſ. Synodum Conſtantinopoli Flavianus celebrabat ad dirimendam litem Florentii Sardorum Epiſcopi, Lydiæ Metropolitani, adverſus duos Epiſcopos ſuæ Provinciæ, Joannem & Caſſinium; cum Euſebius Dorylæi libellum Patribus obtulit adverſus Eutychetem Archimandritam. Id conſtat ex iſtius Concilii Actione 1. ex Evagrio lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 9. & ex Liberato in Breviario cap. 11. Libellus ab Euſebio datus habetur Actione 1. Concilii Chalcedonenſis, & incipit: *Optaveram quidem*. Ejus ſingularem aliquem errorem non prodit; ſed vaga quadam querimonia accuſat quod auſus ſit adverſus Salvatorem omnium

noſtrum Chriſtum blaſphemam linguam movere, & SS. Patres Hæreticos nominare, & ipſum Euſebium Hæreticis ſemper repugnantem, Patrum Sectatorem, in Fide Nicæna permanentem, Epheſinæ Synodo, & Cyrilli Anathematiſmis religioſe conſentientem. Addit, ipſum effræni lingua negare piiſſimam rectæ Religionis doctrinam. Obteſtarur denique Patres Sanctam & ὁμοούσιον Trinitatem & per ſalutem & incolumitatem piiſſimorum Imperatorum, ut jubeant Eutychetem coram Concilio ſe ſiſtere, mox enim ſe illum Hæreſeos & impietatis convicturum.

Libelli audita lectione, Patres Euſebium rogarunt, ut pro jure amicitiæ adiret Eutychem, ipſique perſuaderet meliora. Renuit Euſebius, ſe nihil neglexiſſe aſſerens, ut eum ad rectam Fidem revocaret, monuiſſe, docuiſſe, increpuiſſe, quod multorum teſtimoniis ſe pollicitus eſt probaturum, & omne adverſus ipſum oleum operamque perdidiſſe. Quamobrem Patres Joannem Presbyterum & Defenſorem & Andream Diaconum ad Eutychem miſerunt, qui in ejus impietatem inquirerent, eumque ad Synodum vocarent.

§. III.

§. III.

Quid gestum sequentibus Actionibus Concilii Constantinopolitani I. adversus Eutychem usque ad VII.

ACtione 2. pridie Idus Novembris habita, lectæ ac probatæ sunt S. Cyrilli Epistolæ duæ, una ad Nestorium, altera ad Synodum Orientalem & Joannem Antiochenum, tempore initæ pacis data: quarum approbatione, Eutychetis error anticipato judicio proscriptus est. Notanda est inter alias Flaviani Sententia. „ Lectæ sunt (inquit) E- „ pistolæ sanctæ memoriæ inter Sanctos Pa- „ tris nostri Cyrilli, diligenter SS. Patrum, „ qui in Nicæna convenerunt, sensum inter- „ pretantis, docentis ea quæ nos sapuimus „ semper & sapimus; quia Dominus noster „ Jesus Christus Filius Dei unigenitus, Deus „ perfectus, & homo perfectus est, ex ani- „ ma rationali & corpore, ante omnia qui- „ dem sæcula ex Patre sine initio genitus se- „ cundum Deitatem: in fine autem & in- „ vissimis temporibus idem ipse propter nos „ & propter nostram salutem de matre Virgi- „ ne natus secundum humanitatem: Consub- „ stantialis Patri secundum Deitatem, & con- „ substantialis matri secundum humanitatem. „ Etenim ex duabus naturis confitemur Chri- „ stum esse post Incarnationem in una subsi-

„ ſtentia, & in una perſona unum Chriſtum,
„ unum Filium, unum Dominum confiten-
„ tes. Volentes autem præter hæc ſapere,
„ abdicamus a ſancta Sacerdotali Synodo, &
„ Eccleſiæ plenitudine,

Tandem ubi Patres ſinguli ſententiam dixiſſent, interceſſit Euſebius Dorylæi, ut Epiſcopi Conſtantinopoli degentes, ſed abſentes a Synodo, ſive infirmitatis ratione, ſive quod illos convocatio Synodi lateret, per Notarios monerentur, qui perlegentes Acta hucuſque in Concilio, eorum ſententiam exciperent. Annuit Euſebio Flavianus Concilii Præſes.

Actiones 3. Euſebio Dorylæi intercedente, Joannes Presbyter & Andreas Diaconus, qui ad Eutychem directi fuerant a S.Synodo, referunt, Flaviano jubente, quid reſponſi dederit Archimandrita: nempe quod Libellos ei cum legiſſent, dediſſent exemplaria, patefeciſſent accuſatorem, juſſiſſent Flaviani & Patrum nomine ut Synodo ſe ſiſteret, ipſum renuiſſe hoc prætextu, quod e Monaſterio numquam exire ſuo decreviſſet, quo velut ſepulchro eſſet incluſus. Euſebii accuſationem detractionis & injuriæ loco habendam a Patribus, tamquam ab homine veteres ſecum inimicitias fovente fabricatam. Paratum ſe eſſe Decretis Nicænorum ac Epheſinorum Patrum ſubſcribere; neque tamen ſubſcribere ſe Patrum placitis, ſi in aliquo ipſos erraſſe contigiſſet: ſolas autem Scripturas ſecta-

sectari, tamquam firmiores Patrum expositionibus. Unam se agnoscere naturam Dei Incarnati, & humanati. Innoxium se esse a Valentini errore, nec dixisse usquam: Quod Deus Verbum carnem de cælo detulisset.

His Synodo renuntiatis, placuit Patribus ut secundo vocaretur Eutyches ad Concilium per Mamam & Theophilum Presbyteros: quam citationem sicut & priorem elusit, sibi constitutum asserens, non egredi e Monasterio citra mortis necessitatem. Tertio tandem vocatus est per Memnonem Presbyterum & sacrorum vasorum Custodem, Epiphanium item Presbyterum, & Germanum Diaconum.

Actione 4. Abraamius Presbyter & Monachus cum aliis Monachis, Eutychetis nomine ad Concilium venit, qui ægrotare Archimandritam mentiti sunt, & habere se ab ipso dixerunt in mandatis, quæ Synodo exponerent interrogati. Flavianus Concilii Præses responsum dedit charitatis plenum: „ Et intermittimus nos (inquit) non urgemus. Dei „ enim est dare sanitatem; nostrum autem „ expectare sospitatem ipsius. Neque enim „ in abscissionem inspicimus, sed ad incrementum. Nec enim Deus delectatur in „ perditione vivorum: nec sumus filii inhumanitatis, sed clementiæ Dei. Ad misericordiæ enim opera a Deo facti sumus. „ *Rursus Abraamium allocutus est Flavianus his verbis:* „ Quomodo rogo te, est possibile altero accusato, pro eo alterum dicere? Sed

„ magis intermittimus, & non urgemus; ad-
„ veniat huc, ad Patres veniat, & ad fratres.
„ Accusator ejus instat; & debet satisfacere.
„ Homines sumus. Multi & magni scanda-
„ lizati sunt, & per imprudentiam, & im-
„ peritiam decepti sunt, putantes se recta
„ sapere. Pœnitentia non affert confusio-
„ nem, sed permanere in peccato oppro-
„ brium est. Sed magis adveniat, & confi-
„ tenti ei delictum, & anathematizanti, da-
„ bimus pro præcedentibus veniam: & de
„ futuris nos & Sanctam Synodum muniat,
„ quod similia expositionibus SS. Patrum
„ sapiat, & præter has postmodum neque
„ doceat aliquos, neque in aliquorum præ-
„ sentia disputet,

Die 17. Novembris, dum quintus ageretur Synodi consessus, Memnon, Epiphanius & Germanus ad Concilium redierunt, quid cum Eutychete egissent exposituri. Responderat ipsis Eutyches, missum a se Abraamium, qui ejus nomine consetiret omnibus Nicænorum Patrum & Ephesinorum Decretis, necnon S. Cyrilli Capitulis & Epistolis. Ceterum cum ab ipsis urgeretur, petierat septem dierum inducias ut affectam valetudinem confirmaret, pollicitus se sequentis hebdomadis feria secunda Concilio præsto futurum. Hæc vix retulerant Deputati, cum Eusebius Dorylæi zelo abreptus expostulat ne magnifica illa promissa Eutychetis aliquatenus derogent causæ non tam suæ, quam religio-

gionis; non satis esse ut subscribat Eutyches veritati; damnandum, ni pro iis quorum accusatus, & mox convincendus est satisfaciat: non dimitti furem e carcere, etsi spondeat se nusquam furta perpetraturum, sed patibulo damnari pro furtis ante admissis: ita non dimittendam Eutychetis caussam, quidquid in posterum polliceatur, ni revocet prolatos & jam disseminatos errores, ac Ecclesiæ satisfaciat.

Interim eodem Eusebio intercedente, qui ad Monasteria missi fuerant Presbyteri, ut de seditiosis ausibus Eutychetis inquirerent, ad Synodum retulerunt, se didicisse ab Archimandrita Martino, perlatam fuisse ad ejus Monasterium Eutychetis nomine chartulam a Constantino quodam Diacono, cui ut subscriberet enixe rogabat, afferens non aliam in ea Fidem contineri, quam quæ in Nicæna Synodo jurata, & quæ a Sancto Cyrillo recepta traditaque esset, necnon ab Ephesino Concilio approbata. Respondisse vero Archimandritam Martinum: *Non est meum subscribere, sed Episcoporum tantum est*.

His & aliis testimoniis cum Eutychetem turbas in Monasteriis excitare ac hæreseos virus diffundere constitisset, Eusebius Dory'ęi ejus accusator intercessit ut canonicæ vindictæ subjaceret, & Sacerdotio exutus, Monasterii deturbaretur principatu, ceu hæreseos, seditionis, perjuriique reus: perjurii quidem, quia venturum se ad Concilium

spondebat, quamvis fidem suam (ut dixerat) obstrinxisset, quod e Monasterio nusquam exiret. Visum est Flaviano & Patribus, ferri quidem sententiam posse adversus Eutychetem secundum Canones: ipsi nihilominus concedendas, quas rogaverat inducias, propter pleniorem caussæ discussionem, & accuratius examen. Ni vero sistat se Synodo statuta die, Sacerdotio & Monasterii Præfectura spoliandum.

Die 20. Novembris Patribus sexto considentibus, jussit Flavianus, postulante Eusebio Dorylæi, ut testes ad convincendum Eutychetem necessarii stata die Synodum vocarentur. Audita est deinde Mamæ & Theophili relatio, qui ad Eutychem nomine Concilii conveniendum perrexerant. Exposuerunt illi Patribus, quas audiverant ab errone Archimandrita blasphemias, & quod dixisset: Numquam duas in Christo naturas se agniturum.

§. IV.

Quid gestum Actione septima?

Induciis sibi a Concilio datis abusus Eutyches ad Theodosium Imperatorem confugit, eique per Chrysaphium Eunuchum, quem de sacro Fonte susceperat, commendatus, ab eo obtinuit ut cum Patritio Florentio, & Magno Silentiario Concilium illud Fla.

Flaviani ingrederetur. Timere enim se dicebat Flaviani calumnias. Fuit autem Chrysaphius inter Imperiales Cubicularios Primarius apud Theodosium potentissimus, Flaviano infensissimus. Odii quo in Sanctissimum Archiepiscopum exarsit, ea fuit caussa. Consecrato Flaviano, Chrysaphius munus benedictionis ab ipso postulavit, quod Imperatori, electionis gratia, offerret. Flavianus panes puros misit. Aureum benedictionis donum mittendum dixit Chrysaphius. Flavianus respondit: Non esse sibi auri copiam, nisi ad hoc sacris Templorum donariis uteretur: Ipsum Crysaphium optime nosse, sacra vasa Deo & pauperibus esse consecrata. Chrysaphius ob repulsam invidia percitus, omnem funem movit, ut FlavianumSede sua deturbaret. Hæc tot malorum origo. Eunuchus enim, cum se optatis frui non posse intelligeret, Pulcheria Thodosii sorore summam rerum administrante, Eudoxiam adversus ipsam concitavit, eique auctor fuit, primo ut Præpositum omnia pro ejus nutu gerentem, illi ademptum, sibi adsciseeret. Id ut obtineret Eudoxia, frustra Theodosii tentavit animum. Id consilii cum fauste non cessisset Chrysaphio, aliud molitus est. Suasit nimirum Eudoxiæ, ut Imperatorem instigaret, quo ille secreto Pulcheriam Diaconissam ordinaret. Inflexit Imperatoris animum importunis precibus Eudoxia. Theodosius indicavit arcanum Flaviano. Flavianus consilium

omne detexit Pulcheriæ, monens ne in conſpectum ſuum veniret, ne forte Imperatoris mandata ſibi illique parum grata exequi cogeretur. Ex Aula ſeceſſit Pulcheria, miſſo ad Eudoxiam Præpoſito, & privatam aliquandiu vitam egit. Ex hoc magis infenſus Flaviano fuit Chryſaphius, qui ipſum Theodoſio & Eudoxiæ ſuſpectum fecit ac inviſum, quod arcanum Imperatoris patefeciſſet. Hæc refert Nicephorus lib. 14. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 46.

Chryſaphius igitur Eutychetem adverſus Flavianum tueri ac fovere aggreſſus perſuaſit Imperatori, ut Florentium Patricium cum imperio, Synodo intereſſe juberet, ne quid detrimenti pateretur Eccleſia. Ea de re Mandatum Principis ad Concilium per Magnum Silentiarium perlatum eſt, quod incipit: *Nos pacem cogitamus ſanctarum Eccleſiarum.* Theodoſii Mandatum feſtivis acclamationibus Patres excepere: *Magna fides Imperatorum. Orthodoxis Imperatoribus multos annos. Pio & orthodoxo Imperatori &c.*

Interim venit ad Concilium & Eutyches cum turbulenta Monachorum phalange, Prætorianorumque Militum manu. Florentio Patritio, & Magno Silentiario præſentibus relecta ſunt Acta Concilii. Ubi ad illam partem ſecundæ Sancti Cyrilli Epiſtolæ ventum eſt, quæ duarum in Chriſto naturarum inconfuſam unionem aſſerit, juſſus eſt Eutyches exponere, an unionem ex duabus naturis con-

confiteretur? An assensum iis præberet quæ a Sancto Cyrillo scripta erant? An post Incarnationem, Christum nobis consubstantialem agnosceret? Errorem dissimulare suum conatus est perfidus Archimandrita, cavillis interrogationes Patrum eludere. Primo, confiteri se dixit unionem ex duabus naturis. Secundo, Fidem de Trinitatis Mysterio suam exposuit. Tertio, falsus est, se huc usque Christum nobis consubstantialem non dixisse. Quarto, se consubstantialem nobis Christum dicere jubente Synodo. Quinto hæresim prodit duas quidem asserens naturas ante unionem: unam vero post unionem. Urget illum Sancta Synodus. „ Oportet (inquit) te clare confiteri & anathematizare omne dogma, quod contrarium est his, quæ modo lecta sunt. *Tergiversatur Eutyches*: Dico (inquit) quia jussistis, licet huc usque non dixerim: sed Patres non anathematizo. Ego legi scripta B. Cyrilli, & SS. Patrum, & S. Athanasii. Quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem: post Incarnationem autem & adunationem, non jam duas, sed unam naturam dixerunt.

Sancta Synodus hæreticum comperiens Eutychetem; & necessitate quadam ac Patrum imperio adductum ut consubstantialem nobis Christum fateretur, exclamavit: *Quæ ex necessitate est, fides non est*. Tum ore Flaviani Præsidis sui sententiam dixit in Eutychem

chem hoc tenore : „ Per omnia Eutyches
„ quondam Presbyter & Archimandrita, Va-
„ lentini & Apollinaris perversitatibus com-
„ pertus est ægrotare, & eorum blasphe-
„ mias incommutabiliter sequi: qui nec no-
„ stram reveritus persuasionem atque doctri-
„ nam, rectis noluit consentire dogmatibus.
„ Unde illacrymati & gementes perfectam
„ ejus perditionem decrevimus per Domi-
„ num nostrum Jesum Christum quem blas-
„ phematus est, extraneum eum esse ab
„ omni Officio Sacerdotali, & a nostra com-
„ munione & primatu Monasterii; scienti-
„ bus hoc omnibus, qui cum eo exinde col-
„ loquentur, aut eum convenerint, quo-
„ niam rei erunt & ipsi pœnæ excommuni-
„ cationis.

Huic Synodo subscripserunt Episcopi 32. Abbates vero 23. sed notandus est longe diversus subscribendi modus Episcoporum, & Abbatum. Illi enim subscribunt hac formula: *Basilius Episcopus N. judicans subscripsi*. Hi vero sic: *N. Presbyter & Archimandrita subscripsi in depositione Eutychetis*. Quo ex discrimine colligitur Episcopos Conciliis adesse ut Judices, Abbates vero ut honorificos spectatores: illos sententiam dicere; istos sententiæ ab Episcopis latæ assensum præbere.

Hujus Concilii Historia deprompta est ex Actis ipsius Actione prima Concilii Chalcedonensis relatis: ex Liberato *in Breviar. capi-*

te

te undecimo : ex Evagrio *libro primo Historiæ Ecclesiasticæ, capite nono* : & ex *Breviculo Historiæ Eutychianistarum*.

§. V.

Eutyches S. Petri Chrysologi patrocinium imploravit. Quid responderit Episcopus Ravennas?

EUtychem patrocinium Sancti Petri Chrysologi Ravennatis Episcopi implorasse, ut ipsi faveret apud Sanctum Leonem Romanum Pontificem, vel ut caussæ ipsius etiam Judex esse vellet, constat ex Epistola Sancti Petri Chrysologi ad Eutychetem ipsum data, quæ incipit: *Tristis legi tristes litteras tuas*. Ea in Epistola tria præstat Sanctus Episcopus. Primo, luget nimiam de Mysteriis Fidei disputandi pruriginem. „ Triginta an-„ nis (*inquit*) humanæ leges humanas adi-„ munt quæstiones, & Christi Generatio, „ quæ divina Lege scribitur inenarrabilis, „ post tot sæcula disputatione temeraria ven-„ tilatur, „ Secundo scribit, se Mediatorem ipsum inter & Flavianum esse non posse, cum nihil hacce de caussa scripserit ad ipsum Flavianus. Justum quippe Mediatorem esse non posse, qui partem utramque non audit. „ His omnibus respondi, Frater, „ Litteras tuis (*inquit*) plura rescripturus, „ si ad me Frater & Coepiscopus noster Fla-„ via-

„ vianus aliqua de hac caussa scripta misisset. „ Si enim tibi displicet, quoniam scripsisti „ electum judicium, nos quomodo de his „ judicare poterimus, quos neque vidimus „ propter absentiam, & quid intellexerunt „ eorum taciturnitate nescimus? Justus Me- „ diator non est, qui sic unam partem audit, „ ut nihil alteri parti reservet. „ Tertio, Eutychetem hortatur, ut morem gerat Pontifici Romano, cujus auctoritatem luculenter asserit his verbis: „ In omnibus autem „ hortamur te, ut his quæ a Beatissimo Pa- „ pa Romanæ Civitatis scripta sunt obedien- „ ter attendas: quoniam Beatus Petrus, qui „ in propria Sede vivit, & præsidet, præ- „ stat quærentibus Fidei veritatem. Nos „ enim pro studio pacis, & Fidei extra con- „ sensum Romanæ Civitatis Episcopi, caus- „ sas Fidei audire non possumus. „ Caussas Fidei Summi Pontificis judicio peculiariter dirimendas, scribit Ravennas Episcopus.

§. VI.

Quid post Synodum Constantinopolitanam gestum sit in causa Eutychetis.

Damnatus a Flaviano & Constantinopolitana Synodo Eutyches, ad Romanum Pontificem confugit, seu appellavit, ipsumque circumvenire aggressus est. Conquestus est, quod immerito accusatus esset hæ-

hæreſeos ab Euſebio; quod nihil in ejus Fide reprehenſione dignum expreſſe & evidenter oſtendiſſet accuſator; quod vocatus ad judicium, ſe ſiſtere non denegaſſet; quod privatus Communione eſſet, quamvis Nicænam Fidem profiteretur; quod denique Libellus appellationis, quem obtulerat, non fuiſſet ſuſceptus. S.Leo de his quæ Conſtantinopoli gerebantur, non admonitus a Flaviano, ne vel innocentem condemnaret, vel reum abſolveret, ad Theodoſium, Flavianumque ſcripſit. (Epiſtolis 7. ſive 20. in editione P. Quenellii, & 21.) Protinus reſcripſit ad Summum Pontificem Flavianus & acta Conſtantinopolitanæ Synodi in cauſſa Eutychetis, ſimul cum Epiſtola, ad eum miſit. Acceptis Litteris Flaviani, Leo opem operamque ſuam adverſus Eutychem pollicetur; & per illuſtrem Virum Rhodanum Epiſtolam miſit, quam ex Codice Cardinalis Grimani primum edidit P. Quenellius ordine 22. quam & alia ſecuta eſt ad Theodoſium, in qua Nicænæ Fidei ſe inhærere profeſſus Neſtorii & Eutychetis dogmata condemnat, poſtulatque Synodum intra Italiam congregari .... (Epiſtola 23.) In ea ampliores Litteras promittit, per Flaviani Nuntium perferendas; fuitque illa celebrata adeo ad Flavianum Epiſtola 24. ſive alias 10. quam laudavit, probavitque Chalcedonenſis Synodus.

Interea novas turbas Conſtantinopoli excita-

citabat Eutyches, publicis palamque propositis scriptis contestatus, se injuriam passum, Actaque Concilii Constantinopolitani per Notarios diminuta falsataque arguens. Hac de caussa oblato Libello Imperatori, Acta Synodi retractari obtinuit, favente Chrysaphio Eunucho. Edixit itaque Theodosius, ut iidem Episcopi Constantinopolim convenirent, Præside Thalassio Cæsareæ in Cappadocia Episcopo, & Florentio Patritio præsente, Acta prioris Synodi ad amussim examinarentur. Ista patent ex Epistola Flaviani ad Sanctum Leonem, quæ extat 1. p. Concilii Chalcedonensis, cap. 4. ex Liberato cap. 11. Breviarii, & ex Libello Eutychetis porrecto Imperatori, cujus exordium est: *In omnibus mihi post Deum*: Qui insertus est Actioni 1. Concilii Constantinopolitani II. relectæ Actione 1. Concilii Chalcedonensis.

§. VII.

De secundo Concilio, seu Conventu Constantinopolitano in caussa Eutychetis.

Anno Christi 449. ineunte Aprili, Conventus Episcoporum Constantinopoli ea, qua dixi, de caussa, celebratus est. In eo ut caussam per Procuratorem ageret Eutyches, ab Imperatore concessum; nec valuit Eusebii Dorylæi exceptio: Non licere de ejusmodi caussis alterum pro altero decertare.

re. Admiſſi ſunt igitur in Concilium Conſtantinus, Eleuſinius, & Conſtantius Monachi, Eutychetis Procuratores. Macedonius Tribunus & Notarius, nomine Imperatoris, ab Epiſcopis poſtulavit, ut juramenti religione confirmarent veritatem vel falſitatem Actorum ab utraque parte prolatorum. Conditionem recuſarunt Epiſcopi, & Baſilius Seleucienſis interceſſione ſua obtinuit ne jurare cogerentur. *Hactenus*, inquit, *juramentum Epiſcopis neſcimus oblatum*. Recitato deinde Eutychetis Libello & Mandato Imperatoris juſſi ſunt adeſſe Notarii Flaviani, qui Acta Synodalia exceperant, Aſterius, Aetius, Aſclepiades, Nonnus, atque Procopius. Hi, jubentibus Epiſcopis, Acta a ſe conſcripta protulere. Ediderunt & alia Eutychetis Procuratores, ſed non autographa. Examinata ſunt accurate, nec in iis immutatum aliquid, aut depravatum inventum eſt. Tum de Eutychetis appellatione diſceptatum, cujus mentionem ingeſſit Conſtantinus Diaconus, dicens: *Eutyches, dum legeretur damnatio, appellavit ſanctum Concilium ſanctiſſimi Epiſcopi Romani, Alexandrini, & Hieroſolymitani, & Theſſalonicenſis*; hæcque Actis non contineri conquerebantur Eutychetis Procuratores. Id confirmabat Florentius Patricius, dicens: „ Turba facta, & diſſo-
„ luto Conventu, dixit ad me ſilenter, Ap-
„ pellans Romanum, & Ægyptium, & Hie-
„ roſolymitanum Concilium. Et ego arbi-
„ tra-

„ tratus indecens esse hoc latere Sanctissi-
„ mum & Reverendissimum Archiepisco-
„ pum Flavianum,abscedens dixi ei &c. *Basilius Episcopus dixit* : „ Jam in veritate di-
„ co, adhuc ipso Conventu sedente, & pro-
„ ponente hoc sancta Synodo, ut diceret
„ iste duas naturas inseparabiles & inconfu-
„ sas in uno Domino, idque post adunatio-
„ nem, scio quia dixit Religiosus Archi-
„ mandrita Eutyches : Si præceperint mihi
„ Patres Romanus & Alexandrinus, dico
„ hoc ipsum ; hoc autem non quasi appellans
„ dixit, sed dicens : Non sum ausus dicere
propter Patres. „ *Rogati Patres de appellatione, nihil auditum omnes responderunt*.
„ Dum esset Concilium, & interrogatio pro-
„ veniret, (*inquit Seleucus Episcopus*) ni-
„ hil tale cognovimus dictum ab Archiman-
„ drita Eutyche de appellatione. A Reve-
„ rendissimis Episcopis dictum est, Et nos
„ eadem confitemur. „ *Itaque vere scripserat Flavianus ad Leonem de Eutychete* : „ Li-
„ bellos direxit vobis plenos omni fallacia,
„ atque calliditate, dicens, Judicii tempo-
„ re Libellos se dedisse appellationis & no-
„ bis, & hic convenienti sancto Concilio,
„ & appellasse vestram Sanctitatem, quod
„ nequaquam ab eodem factum est. „ Sed etsi judicii tempore, sive dum legeretur damnatio, aut ipso Conventu adhuc sedente, Romanum Pontificem non appellaverit, ex quo factum est ut Actis inserta non fuerit hu.

hujusmodi appellatio; inde tamen perperam colligitur, Eutychetem dissoluto Concilio non appellasse majorum Sedium Episcopos, & Romanum præcipue, apud cujus Apostolicam Sedem persecutus Appellationem suam est, accusatorio Eusebii Dorylæi Libello, & mediis suæ defensionis ad Sanctum Leonem transmissis, ut constat ex Epistola Sancti Leonis ad Flavianum. (Epistola octava.) Hinc est quod Eutychetis caussa coram Sede Apostolica pendente, Flavianus Sanctum Leonem rogabat, ut sententiam in ipsum latam Constantinopoli confirmaret: „ Conventus itaque, Sanctissime Pater, in his omnibus quæ ab eo præsumpta sunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundum quod Sacerdotio competit, propriamque faciens communem caussam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem adversus eum reguIariter factam per propria scripta dignare. „ Id præstitit, caussa cognita, Sanctus Leo. Unde Chalcedonenses Patres in Synodica ad ipsum ità scribunt de Dioscori Alexandrini nefariis ausibus: *Eutychem pro impietate damnatum, suæ tyrannidis decretis innoxium statuit, & dignitatem, quæ a vestra illi ablata fuerat Sanctitate, restituit.*

Quæri potest, cur Eutyches appellando majorum Sedium Episcopos, aut eorum Concilia, Domni Antiocheni Episcopi non meminerit? Respondeo rationem hujus silentii mul-

multiplicem proferri posse. Præcipuæ sunt, quod Orientalis Diœceseos Episcopi Nestorianismi apud ipsum suspecti essent: quod Domnus contra 12. sancti Cyrilli Capitula scripsisset olim, teste Liberato, cap. 12. Breviarii: quod Joannis Antiocheni ex sorore nepos esset: quod Theodoreto Cyri Episcopo, & Flaviano Constantinopolitano, studiis & partibus conjunctus esset, adversus quos jam conspiraverant Eutyches & Dioscorus Alexandrinus: tum denique, quod Domnus, cum sua Synodo, primus omnium Eutychem ejusque infandam Hæresim oppugnaverat, ut testatur Facundus Hermianensis lib. 12. cap. ultimo, & lib. 8. cap. 5. ubi & Synodicam ejusdem Patriarchæ ad Theodosium Augustum Epistolam contra Eutychem refert.

Quæri secundo potest, cur Thessalonicensem Episcopum inter majorum Sedium Antistites appellaverit Eutyches? Respondeo, quia etsi Diœcesis Illyrici Orientalis, cujus caput erat Thessalonicensis Episcopus, Occidentis Patriarchæ subdita esset; quia tamen iis temporibus ab Occidentali Imperio recisa erat, par erat singularem ejus mentionem fieri, cujus scilicet Episcopi Occidentalis Patriarchæ Concilio se sistere non solebant, nec poterant sine Orientalis Imperatoris Edicto. Præterea hæc Diœcesis amplissima erat, magnisque prærogativis decorata; a suo peculiari Præfecto Prætorio regebatur, Thessalo-

salonicensis Episcopus consessus honorem prae ceteris obtinebat in Conciliis, ut patet ex Ephesino, ubi post Hierosolymitanum & Ephesinum Episcopos, & ex Chalcedonensi, ubi post Patriarchas locum suum habuit. Denique sperabat Eutyches ex Illyricianis Episcopis plurimos sibi indulgentiores futuros, ut revera fuerunt: Dioscoro enim adhaerentes in Latrocinio Ephesino, Eutychetem suo suffragio absolverunt, damnarunt Flavianum, aliosque Catholici dogmatis defensores. Unde in Concilio Chalcedonensi prae omnibus *Illyriciani, & qui cum ipsis Reverendissimi Episcopi, clamaverunt: Omnes peccavimus, omnium miseremini.*

Die 27. Aprilis ejusdem anni 449. habita est altera Sessio Conventus Constantinopolitani. Lectus in ea est alter Eutychetis Libellus supplex Imperatori porrectus, quo rogabat, ut Magnus Silentiarius scriptis profiteretur, quae audiverat & viderat. Annuit Eutychetis supplicationi Theodosius. Testatus est Silentiarius, se accepisse a Flaviano, antequam de Eutychetis damnatione in Synodo ageretur, jam Eutychetem esse damnatum, scriptum scilicet damnationis Libellum, quem Synodo porrecturus esset. Sed & Asterii Presbyteri testimonio assertum est & monimentis commendatum, prioris Synodi Acta fuisse a Notariis immutata. His cavillis illusum est legitimo prioris Synodi de Eutychete judicio, faventibus perfido Haeresiarchae Magistra-

ftratibus, in gratiam Chrysaphii. Hæc videre eft Actione 1. Concilii Chalcedonenfis, & apud Liberatum cap. 11.

Poftea expetivit Imperator a Flaviano Fidei Profeffionem manu ejus exaratam & fubfcriptam. Paruit Mandatis Flavianus, mifitque ad Theodofium Profeffionem illam, quæ incipit: *Nihil ita convenit Sacerdoti Dei*, &c. Extat. 1. part. Concilii Chalcedonenfis, & refertur a Liberato cap. 11.

§. VIII.

Indicitur a Theodofio Imperatore Ephefina II. Synodus, quæ vulgo Prædatoria dicitur.

Cum Eutyches communionem a S. Leone extorquere non potuiffet inaudito Flaviano, Sinodum a Theodofio impetravit, ope Chryfaphii Eunuchi, & Diofcori Alexandrini malis artibus: ac ne præfidentibus Legatis, quos a Sancto Leone Pontifice Maximo mittendos prævidebat, confirmaretur fententia damnationis in fe lata in Synodo Flaviani, curavit Chryfaphii opera, ut Synodi Primatus Diofcoro Alexandrino deferretur fpeciali Refcripto Theodofii. Edictum ad Diofcorum extat Actione 1. Concilii Chalcedonenfis. Incipit: *Cunctis conftitit manifeftum*. Alias direxit litteras ad eumdem Diofcorum, quæ incipiunt: *Antehac quidem*. Utrifque litteris cavet, ne Theodoretus interfit Synodo; utrif-

utrisque Primatum Dioscoro defert in caussa Eutychetis judicanda. Nominatim rejectus est Theodoretus a Concilio, hoc quidem praetextu, quod in Anathematismos Sancti Cyrilli scripserat, reipsa vero quia Eutychianae doctrinae erat aperte contrarius. Quoad Primatum vero & praesidendi honorem Dioscoro delatum, haec ad ipsum Theodosius scribit: „ Necessarium duximus his sacris Lit-
„ teris uti ad tuam Reverentiam, per quas
„ manifestum facimus tuae Beatitudini, &
„ universae Sanctae Synodo, quod nos regulas
„ Sanctorum Patrum sequuti, non solum
„ propter Theodoretum, sed etiam alios om-
„ nes qui ad congregatam Sanctam Syno-
„ dum pertinent, auctoritatem & primatum
„ tuae praebemus Beatitudini.

Jussit Theodosius adesse Concilio & Barsumam, e Syria Archimandritam, scelere & perfidia notum, & vices agere omnium Monachorum Orientales Episcopos accusantium, ut refert Liberatus cap. 12. Extant Epistolae hac de caussa scriptae tum ad Dioscorum, tum ad Barsumam ipsum, a Theodosio Imperatore, Actione 1. Concilii Chalcedonensis, quibus constat, facinorosissimum illum Abbatem directum fuisse ad Concilium, nedum ut accusatorem Episcoporum Orientalium, quos Nestorianae haereseos fuligine infuscatos calumniantur Monachi nequissimi, Eutychetis sectatores, verum etiam ut Judicem futurum cum Episcopis. „ Placuit eum considere

 „ tam

„ tam tuæ Sanctitati, quam universis Sanctissimis Patribus ibidem convenientibus; „ quatenus Deo placita de omnibus sententia „ proferatur: (*inquit Theodosius ad Dioscorum scribens.*) *Et in Epistola ad ipsum Barsumam*; „ Justum esse duximus tuam Sanctitatem ad Ephesinam civitatem pergere, „ & locum tenentem omnium Religiosissimorum Archimandritarum Orientalium, „ considere sanctæ Synodo quæ ibidem disposita est, & cum aliis Sanctissimis Patribus & Episcopis, quæ sunt Domino placita ordinare. „ Duo tentavit contra Canones Theodosius. Primo detulit præsidendi munus Dioscoro Alexandrino, quod Romani Episcopi erat singulare. Secundo, Barsumam flagitiosum Archimandritam suffragandi jure donavit, summa in Ecclesiasticas Regulas injuria.

Subreptum fuisse Principi quoad utrumque caput, recte observat Illustrissimus & Doctissimus Antistes Petrus de Marca. Primo quoad munus præsidendi Dioscoro adjudicatum. Primatum enim in futura Synodo ipsi decrevit Theodosius *secundum Canones*. Suggestum scilicet fuit Imperatori, primum a Romano Episcopo locum, juxta Nicænos Canones, Alexandrino deberi. Quare absente Leone Romano, primas deberi Dioscoro Alexandrino, præ Legatis etiam Sedis Apostolicæ. Quod præjudicio etiam Synodi Ephesinæ prioris confirmabatur, cui Cyrillus Alexan-

xandrinus præfuerat. Facile autem fuit obrepere Theodosio forsan ignoranti Cyrillum vice Romani Pontificis Cælestini Ephesino Concilio præfuisse. Eadem facilitate subreptum fuit Principi quoad Barsumam; tum quia Ecclesiæ regulas ignorabat, solis Episcopis suffragandi jus in Conciliis Œcumenicis tribuentes: tum quia ipsi fuerat a Chrysaphio Eunucho insusurratum, Barsumam puritate vitæ, & Catholica Fide esse probatissimum, & Nestorianorum Episcoporum in Orientis partibus hostem acerrimum; uti ipse ad Dioscorum scribit.

Sanctum Leonem ad Concilium invitavit Imperator, Ephesi ad Kalendas Augusti ejusdem anni 449. celebrandum, missa per Epiphanium Tribunum Epistola. Excusavit se apud Theodosium Pontifex, tum propter temporis angustias; tum propter imminens Romæ ab Hunnis periculum; tum quod consuetudo non esset Romanum Pontificem extra Italiam Synodo interesse; quæ tamen, si celebranda videretur, convenientius esse ut congregaretur in Italia. Hæc habentur ex Epistola 13. S. Leonis ad Pulcheriam Augustam, & ex Epistola 9. ad Theodosium Imperatorem.

§. IX.

Sanctus Leo misit Legatos ad Ephesinam Synodum II.

Cum obtinere non petuisset Sanctus Pontifex a Theodosio, ut vel Synodum omnino revocaret, vel in aliquam Italiæ urbem transferret, decrevit Legatos mittere Ephesum, qui suo nomine Concilio interessent, & auctoritate sua cuncta peragerent. De his scribit ad Pulcheriam Augustam, Epistola quæ extat 1. part. Concilii Chalcedonensis. „ Quia igitur ad publicam utilita-
„ tem pertinuisse cognoscitis, ut salva cle-
„ mentiæ vestræ venia, caritati me & pre-
„ cibus civium non negarem: in his fratri-
„ bus meis, quos vice mea misi, me quo-
„ que adesse cum ceteris qui adfuerint, exi-
„ stimate: quibus secundum caussam satis
„ mihi & gestorum serie, & ipsius, de quo
„ agitur, professione patefactam, eviden-
„ ter & plane quid servandum esset ostendi.
„ Non enim de portiuncula aliqua Fidei no-
„ stræ, quæ minus lucide declarata sit, quæ-
„ ritur; sed hoc stolidissima insultatio audet
„ incessere, quod Dominus noster in Eccle-
„ sia sua neminem utriusque sexus voluit
„ ignorare: siquidem ipsa Catholici symbo-
„ li brevis & perfecta confessio, quæ duo-
„ decim Apostolorum totidem est signata sen-

„ ten-

„ tentiis, tam instructa sit munitione cælesti,
„ ut omnes hæreticorum opiniones solo ip-
„ sius possint gladio detruncari.

De iisdem Legatis scribit ad Theodosium, Epistola decimaseptima. „ Quamvis (inquit)
„ ad diem Concilii Episcopalis, quem Pie-
„ tas vestra constituit, occurrere me ratio nul-
„ la permittat, cum nec aliqua ex hoc exem-
„ pla præcesserint, & temporalis necessitas
„ me non patiatur deserere civitatem; præ-
„ sertim cum tam evidens Fidei caussa sit,
„ ut rationabilibus caussis ab indicenda Syno-
„ do fuisset abstinendum; tamen in quantum
„ Dominus juvare dignatur, meum studium
„ commodavi ut Clementiæ vestræ decretis
„ aliquatenus pareatur, ordinatis hinc fratri-
„ bus meis, qui amputandis scandalis pro
„ causæ æquitate sufficiant, quique præsen-
„ tiæ meæ impleant vicem: quia non talis
„ quæstio orta est, unde aut possit, aut de-
„ beat dubitari.

Et Epistola decimanona, quæ est secunda ad Ephesinam Synodum, Legatos illos nominibus suis designat; quibus & conditiones præscribit, quibus Eutychetem, si forte resipiscat, recipere debeant. „ Quia (inquit)
„ pie ac religiose Christianissimus Imperator
„ haberi voluit Episcopale Concilium, ut
„ pleniori judicio omnis possit error aboleri:
„ fratres meos Julium Episcopum, Renatum
„ Presbyterum, & filium meum Hilarium
„ Diaconum, cumque his Dulcitum Nota-

 „ rium

„ rium probatæ nobis fidei misi, qui vice mea „ sancto conventui vestræ Fraternitatis intersint, & communi nobiscum sententia, quæ „ Domino sint placitura, constituant. Hoc „ est, ut primitus pestifero errore damnato, „ etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, „ restitutione tractetur; si tamen doctrinam „ veritatis amplectens, sensus hæreticos, „ quibus imperitia ejus fuerat irretita, plene aperteque, propria voce, & subscri„ ptione damnaverit.

De his etiam scribit in celebri Epistola ad Flavianum, quæ in antiquis editionibus ordine decima est, in editione vero Quenellii 24. „ Ad omnem vero caussam (inquit) pie „ ac fideliter exequendam, fratres nostros, „ Julium Episcopum, & Renatum Presbyte„ rum Tituli S. Clementis, sed & filium „ meum Hilarium Diaconum vice nostra di„ reximus. Quibus Dulcitum Notarium no„ strum, cujus fides nobis est probata, so„ ciavimus.

Julium Episcopum Puteolanum, non Julianum Coensem ad Synodum Ephesinam secundam, ut Apostolicæ legationis caput missum esse, constat ex MSS. optimæ notæ codicibus Epistolæ S. Leonis ad Flavianum, aliarumque Epistolarum, in quibus legatos a se missos nominat. Constat etiam ex Evagrio lib 1. cap. 10. ex Chronico Prosperi, ex Breviculo Historiæ Eutychianistarum, quem edidit P. Sirmondus, ex Nicephoro Callisto lib.

lib. 14. cap. 47. ex lib. de Romanis Pontificibus, ex Mariano Scoto &c. Id præterea probat Quenellius, in notis ad Epistolam 24. S. Leonis, duplici argumento. Primum ex eo petitur, quod Julianus Coensis Episcopus interfuerit & subscripserit tam Concilio Constantinopolitano, in quo primum damnatus est Eutyches a Flaviano, quam Conventui Episcoporum, qui anno sequenti in eadem urbe jussu Imperatoris habitus est: qui cum sit habitus mense Aprili, vix sibi facile quis persuadeat, eumdem Episcopum Roma missum esse Junio eiusdem anni, quo datæ leguntur laudatæ S. Leonis Epistolæ.

Secundum argumentum ex eo petitur, quod S. Leo scripserit ad Julianum Coensem in Oriente versantem Epistolas 11. & 19. sive 25. & 31. eodem die scriptas, quo & aliæ in quibus legatos missos recenset. Immò in posteriori eosdem nominatim; & inter eos Julium Episcopum. Caput itaque illius legationis fuit Julius Puteolanus Episcopus, non Julianus Coensis.

Licet porro missus fuerit a S. Leone Julius Puteolanus, qui legationem Apostolicam in Synodo obiret, non ipse tamen interfuit Synodo, nec legationem in ea obiit, sed Julianus Coensis: quod non levibus conjecturis asserit Quenellius, quia quoties de Legato Sedis Apostolicæ mentio habetur in Synodo Ephesina, Julianus appellatur, etiam in Græco textu: quod argumento est de alio sermo-

nem esse, quam de illo Roma misso, qui in Epistolarum S. Leonis Græca Versione, P. I. Concilii Chalcedonensis, semper Ιυλιος dicitur. Verisimile est igitur Julium vita functum esse, antequam Synodus inchoaretur, vel aliquo impedimento detentum ne Ephesum accederet; Julianum vero Coensem in ejus locum substitutum esse, qui vices Romani Pontificis in Synodo gereret. Et certe Julianum S. Leonis aliquo modo personam gessisse, colligitur ex Epistola 61. in qua eum exhortans ut ,, contra falsitatis astutias perse-,, verantem diligentiam teneret; *addit*: Cum ,, ad hoc & tuus animus, & nostra auctoritas ,, suffragetur. *Et postea*: Ad quam rem no-,, stros post diem venerabilem Paschæ dirige-,, mus, qui tecum participato consilio, ea ,, quæ a nobis constituta fuerint, exequan-,, tur. ,, Lege eruditas Quenellii Notas loco laudato.

§. X.

Legati S. Leonis in Ephesini Latrocinii consessum non sunt admissi.

INtromissos in Concilium constat S. Leonis Legatos, sed ipsos consedisse Dioscoro inficiamur. Adfuere quidem ut Fidei, quæ deserenda non erat, prospicerent: Non consedere, ut Sedis Apostolicæ consulerent dignitati. Id testatur Liberatus in Breviario,

cap. 12.

cap. 12. „ Et sedentibus (inquit) in Basili-
„ ca Dei Genitricis Mariæ illis Episcopis,
„ Ecclesiæ Romanæ Legatis, vices haben-
„ tes Papæ Leonis, assidere non passi sunt,
„ eo quod non fuerit data præsessio Sanctæ
„ Sedi eorum. Insuper etiam, quod non
„ lecta fuerat ad Flavianum Epistola in Eu-
„ tychetis damnatione a Papa Leone scri-
„ pta, & occultata fuerat Epistola ejus, per
„ supra memoratos Legatos ad ipsam Syno-
„ dum directa.

Sane nullum poterant occupare locum Romani Legati, donec Litteræ ad Synodum Ephesinam a Leone Papa directæ, quibus eorum Legatio continebatur, recitatæ essent, & in Acta relatæ. Quare in ipso Synodi ingressu recitatis Litteris convocatoriis Imperatoris, Hilarius Diaconus postulavit, ut Sancti Leonis Litteræ ad Synodum per Legatos missæ legerentur. Ac Dioscorus quidem interlocutus est, earumque lectionem se procuraturum sollemni juramento spopondit: sed non stetit promissis, elusitque iteratam Legatorum petitionem. Qua de re graviter conquesti sunt Orientales Episcopi, & Aetius Archidiaconus in Concilio Chalcedonensi Actione I. & Magistratus severissime expostulaverunt cum Dioscoro, & ceteris Concilii Præsidibus, Juvenali Hierosolymorum, & Thalassio Cæsareæ Episcopo, eo quod Litteræ illæ relectæ non essent. Quæ Dioscori lectionem illam prohibentis impu-

dentia, inter præcipua crimina, ob quæ damnatus fuit, recensita est a Paschasino Legato in Concilio Chalcedonensi. ,, Super hæc ,, vero (inquit) neque Epistolam legi per- ,, misit Beatissimi Papæ Leonis, scriptam ,, ad Sanctæ memoriæ Flavianum, & hoc ,, frequenter rogatus a portitoribus recitare ,, eam, & cum juramento legendam pro- ,, mittens: qua non lecta, scandalum & læ- ,, sionem sanctæ Dei Ecclesiæ per totum ,, mundum pertulerunt.,, Denique cur Legati S. Leonis in ipso statim Concilii Chalcedonensis exordio Dioscoro exprobrassent, ,, quod,,, Cum judicandi personam non ,, haberet, præsumpsit, & Synodum ausus ,, est facere sine auctoritate Sedis Apostoli- ,, cæ, quod numquam factum est, nec fie- ,, ri licet?,, Falso enim illud objecissent Dioscoro, si cum ipso Legati S. Leonis in Ephesina Synodo consedissent.

Objiciet aliquis hæc verba Prædatoriæ Synodi: *Residentibus Dioscoro Alexandrino, & Juliano Episcopo, vices agente & tenente locum Sanctissimi, & Beatissimi Romanæ Ecclesiæ Episcopi Leonis*: Consederunt igitur illa in Synodo S.Leonis Legati.

Respondeo purum putumque mendacium his Synodi Prædatoriæ verbis contineri. Unde cum relegerentur Actione I. Concilii Chalcedonensis, Orientales Episcopi reclamarunt, & mendacii Acta illa redarguerunt, his verbis: *Ejectus est, nullus suscepit nomen*

men Leonis. Viden ut Leonem a Synodo in Legatis suis expulsum quærunt Patres? Tentavit quidem Dioscorus a Juliano suffragium extorquere; sed ipse per Florentium Lydorum Episcopum Imterpretem suum respondit: *Hac ratione volumus gesta relegi, ut prius Papæ legatur Epistola*. Similiter Hilarius Diaconus S. R. E. Legatus respondit: *Quoniam & Sanctissimus Episcopus Romanæ Ecclesiæ, relectis sibi istis monimentis, quorum nunc quæritis lectionem, transmisit Epistolam, quam scripsit, eam legi iubete*. Tum Eutyches, Legatos sibi suspectos esse contestatus est, quod a Flaviano, & domo, & convivio, laute excepti essent. „ Directi „ (inquit) Religiosissimi Viri a Sanctissi„ mo, & Deo amantissimo Leone Archie„ piscopo R. E. in Sanctam vestram Syno„ dum, suspecti mihi facti sunt. Manse„ runt enim apud Religiosissimum Flavia„ num Episcopum, & pransi sunt apud eum, „ & munerati sunt, & omne obsequium eis „ præbuit. Postulo ergo Sanctitatem ve„ stram, si quid ab eis injuste factum fuerit „ contra me, id præjudicium mihi non ge„ nerare. „ His verbis vaferrimus Hæresiarcha ad Romanæ Sedis Legatos rejiciendos grassatus est.

§. XI.

Soli Dioscoro præsidendi jus tribuerat Imperator.

Difficultatem movet Dioscori ipsius interlocutio Actione I. Concilii Chalcedonensis. „ Comperit vestra Clementia (inquit) quia non mihi soli Sacratissimus noster Imperator commisit judicium, sed & beatissimo Juvenali, & Sanctissimo Episcopo Thalassio auctoritatem Synodi dedit... Quare in me solum illa extenduntur, quando auctoritas & ex æquo tribus data est, & judicatis a nobis consensit universa Synodus? „ His consona est appendix quæ Epistolæ Theodosii ad Dioscorum adjecta est, quæ sic habet: *Eodem tenore scriptum est etiam Juvenali Reverendissimo Episcopo Hierosolymorum.*

At licet hæc probare videantur præsidendi auctoritatem Sacra Jussione his tribus Episcopis commissam, Dioscoro nempe, Juvenali, & Thalassio, vix tamen adduci possum ut existimem Imperatorem tot Præsides Concilii designasse, ex quorum multitudine confusio oriri posset. Duo sunt momenta quæ id mihi persuadeant. Primum, quia Theodosius ad Dioscorum scribens de ipso quidem ait: „ Auctoritatem & Primatum tuæ præbemus Beatitudini. *De aliis vero*: Scien-

„ tes

„ tes diligentius quod, & Reverendissimus „ Archiepiscopus Hierosolymorum Juvena- „ lis, & Beatissimus Archiepiscopus Thalassius,& omnis talis fervens amator, & æmu- „ lator orthodoxæ Fidei consentanei erunt „ tuæ Beatitudini radianti per Dei gratiam „ honestate vitæ, & Catholica Fide. „ Ex quibus patet, soli Dioscoro a Theodosio factam præsidendi potestatem.

Unde ad interlocutionem Dioscori dicendum est, tribus ex æquo datam esse auctoritatem judicandi, non præsidendi. Itaque tres illi Episcopi velut Commissarii fuere ad cognitionem & judicium caussæ Eutychianæ a Theodosio singulariter delegati, ita tamen ut præsideret Dioscorus.

Alterum momentum eruitur ex interlocutione Judicum, & Senatus Actione I. Concilii Chalcedonensis. „ Videtur nobis (in- „ quiunt) justum esse, si placuerit divinissi- „ mo & piissimo Domino nostro, eidem „ pœnæ Dioscorum Reverendissimum Epi- „ scopum Alexandrinum, & Juvenalem Re- „ verendissimum Episcopum Hierosolymo- „ rum, & Thalassium Reverendissimum „ Episcopum Cæsareæ, & Eusebium Reve- „ rendissimum Episcopum Ancyræ, & Eu- „ stathium Reverendissimum Episcopum „ Beryti, & Basilium Reverendissimum „ Episcopum Seleuciæ Isauriæ, qui tunc po- „ testatem, & Principatum Synodi tenue- „ runt, subjacere: & a Sancto Concilio se-

„ cun-

„ cundum Canones, ab Episcopali dignitate „ fieri alienos. „ Viden ut hi omnes potestatem, & Principatum Synodi tenuisse dicuntur? Nec tamen omnes a Theodosio pari auctoritate donati sunt, cum eorum omnium non meminerit in sua ad Dioscorum Epistola, sed trium dumtaxat priorum. Unde nec hi parem censendi sunt cum Dioscoro auctoritatem habuisse, licet ad eos eodem tenore scripserit, id est, eadem de caussa, ut nimirum Concilio adessent cum suis Episcopis, & caussam Eutychianam judicarent.

§. XII.

Theodosius Magistratus mittit ad Concilium, ac decernit ut Flavianus, Julianus, & alii, a suffragandi jure excludantur.

ID probatur ex Commonitorio Theodosii ad Elpidium Comitem Sacri Consistorii, quod Actione I. Concilii Chalcedonensis perlectum est. Incipit: *Sancta quidem Synodi*. Hoc auctoritatem dat omnem tum Elpidio, tum Eulogio Tribuno, & Notario Prætoriano, ut tumultus prohibeant, ut auctores turbarum, si qui extiterint, carceri mancipent, ut omnia ordine discuti jubeant ac decerni, ut intersint judicio, & celerem curent ac circumspectam discussionem a Synodo fieri, ac tandem omnia ad ipsum refe-

fe-

ferant. Insuper ut Fidei caussa ante aliud quidvis expendatur. Vult præterea Theodosius hoc Rescripto, exclusos a suffragii jure Flavianum, &ceteros Antistites, quotquot Eutychetem Constantinopoli damnarunt. Scribit denique, se nominatis Magistratibus, & civile, & militare auxilium delegasse, ut sua Mandata facilius executioni mandarent. Extat Epistola eam ob rem data ab Imperatore ad Proclum Asiæ Proconsulem, Actione I. Concilii Chalcedonensis; quæ incipit: *Sanctæ quidem Synodi*. Extat ibidem Epistola Theodosii ad Synodum Ephesinam, quæ incipit: *Vellemus quidem*. Illa Flavianum notabat velut totius tumultus auctorem; Chrysaphii scilicet mendaciis deceptus.

§. XIII.

De Gestis Prædatoriæ Synodi.

COeptæ est illa Synodus 4. Idus Augusti anno Christi 449. Leonis Papæ X. Theodosii XLII. Valentiniani XXV. Adfuere CXXX. Episcopi. Locus Synodi fuit Basilica Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Flavianus suo loco sedere non est permissus, sed quinto loco, post Episcopum scilicet Hierosolymorum Juvenalem: qua de injuria graviter conquesti sunt Orientales Episcopi Actione I. Concilii Chalcedonensis. *Flavianus*, inquiunt.

quiunt, *in proprio loco quare non sedit? Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt?* Legati Sedis Apostolicæ legationem suam exposuere, excusaveruntque S. Leonem quod Synodo per se non interesset, eo quod non esset moris, nisi per Legatos, extra Urbem Romanos Pontifices Synodis interesse. Istud patet ex Hilarii Diaconi, & Legati interlocutione. Sancti Leonis Epistolam suscipi quidem jussit vaferrimus Dioscorus, sed ejus lectionem, aliarumque Litterarum, ad diversos caussa Synodi scriptarum, semper elusit. Prius de controversiis Flavianum inter & Eutychetem exortis, quam de Fide agendum dixit ex Imperatoris Mandato. Eutyches introductus, continuo cœpit diluere labem hęreseos, Confessionemque Fidei proponere simulationis plenam, & ambage verborum perplexam. Extat Actione I. Concilii Chalcedonensis. Incipit: *Gratias ago per omnia Sancto Deo*. Profitetur eo Libello Eutyches Nicænam Fidem, quam Ephesini Patres, & Sanctus Cyrillus confirmarunt, cui & aliquid addere vel minuere prohibuerunt. Nicænam Fidem professus est, quæ Incarnationis mysterium non explicuit, nullis tunc Hæresibus impugnatum: prætermisit vero additiones factas Nicæno Symbolo propter hæresim Apollinaris, quod ipse in Apollinaris errores versaretur. Id Graviter urgebat Diogenes Cyzicenus Actione I. Concilii Chalcedonensis.

Le-

Lecto Eutychetis Libello, intercessit Flavianus, ut Eusebius Dorylæi, accusator Eutychetis, in Synodum admitteretur. Id vetuit Elpidius Comes Mandatum Imperatoris obtrudens. Relecta deinde sunt acta Synodi Constantinopolitanæ sub Flaviano. In iis Catholicam Fidem egregie propugnasse adversus Eutychetem celebrabatur Basilius Seleuciensis Episcopus. Cujus gloriæ Dioscorus invidens, insigne mendacium a suis Notariis scribi jussit in Actis Latrocinii, quod nimirum palinodiam Ephesi recantâsset, duarumque naturarum vocabulum proscripsisset. Hæc enim ejus interlocutio legebatur: „ Eos „ qui contraria sentiunt his, quæ in Nicæa, „ vel in Epheso ordinata sunt, aversor ana„ thematizans dividentes post unionem, „ in duas naturas, vel substantias, vel „ personas unum Dominum nostrum Je„ sum Christum, accusans & reprehendens „ propriam vocem, quam de duabus natu„ ris professus sum in gestis apud Regiam „ Civitatem; & adoro unam naturam Dei„ tatis Unigeniti humanati, & incarnati. „ Dioscorum & ejus Notarios falsi postulavit Basilius in Chalcedonensi Concilio: testes appellavit Auxonium, & Athanasium, quod palam dixisset Dioscoro in Ephesino Conventu: „ Noli Domine, noli solvere totius „ orbis opinionem. „ Fassus est se dixisse quidem Eutycheti: „ Confusionem inducis, & „ commixtionem, si unam naturam dicis ab-

„ so-

„ solute post adunationem. Si vero dicas unam „ naturam incarnatam & inhumanatam, eadem cum Patribus dicis: „ Seque id dixisse, ut Eutychetem blande ad officium revocaret.

Perlectis omnibus monimentis gestorum in Constantinopolitana Flaviani Synodo, in Sacerdotii gradum, & Monasterii principatum restitutus est Eutyches, lata Sententia depositionis in Flavianum, & Eusebium Dorylæi, cui ceteri Episcopi alioqui orthodoxi, metu fracti, vique adacti subscripsere, ut ipsi contestati sunt Actione I. Concilii Chalcedonensis. Quidam venerabiles Episcopi, quod in gratiam Flaviani ad pedes Dioscori accidentes, ejus iracundiam frangere tentaverint, a Militibus & Monachis Eutychetis, qui cum gladiis & fustibus ad fores adstabant, jubente Dioscoro, sunt repulsi. Plurimi cum Flaviano condemnati sunt Episcopi, quos inter Ibas Edessenus, Theodoretus Cyrensis, & Domnus Antiochenus, & quicumque jurare in verba Hæretici renuerunt. Absentes damnati sunt Ibas & Theodoretus: ille quidem propter Epistolam ad Marim Persam & propter sacrilegas voces, quas evomuisse ab adversariis asserebatur, *Non invideo Christo facto Deo, quoniam si volo, & ego fio*. Hic vero propter Scripta contra Capitula Sancti Cyrilli, & propter scriptam Epistolam contra Sanctam Synodum Ephesinam ante Ecclesiæ pacem. Quamquam illud Dioscori in Theodoretum judicium, non tam nova Sententia fuit,

fuit, quam Sententiæ in eum & alios Nestorii fautores latæ a Synodo prima Ephesina, ni resipisceret, quædam confirmatio. Illum itaque habens pro damnato Dioscorus, tamquam Nestorianæ hereseos fautorem, declaravit coram Synodo, curaturum se ut Ephesini canones adversus illum custodirentur, eumque velut Nestorianum ab Ecclesia sua expulit. Huc enim allusisse videntur Ægyptii Episcopi in Concilio Chalcedonensi: *Cyrillum*, inquiunt, *ejicimus*, *si Theodoretum acceperimus*. *Canones istum ejecerunt*. Unde constat verba hæc eorumdem Ægyptiorum: *Coram universa Synodo damnatus est*, significare eum fuisse damnatum omissis judiciorum sollemnibus, in consequentiam sententiæ a Concilio I. Ephesino in ipsum latæ: ut notat Illustrissimus & doctissimus Dominus de Marca *lib. 7. de concordia Sacerdotii & Imperii*, *cap. 9*.

§. XIV.

De tyrannica Dioscoris in Flavianum, & Legatos Apostolicos crudelitate.

FLavianus a judicio Prædatoriæ Synodi Sedem Apostolicam appellavit. Post appellationem, indigne exceptum, ac multis injuriis verberibusque affectum, ita ut dolore plagarum efflaverit animam, atque pro Fide mortem oppetierit, testatur Liberatus cap. 12. Breviarii. Immanis adeo sceleris au-

auctor fuit Barsumas Archimandrita, ut plures Episcopi in Concilio Chalcedonensi affirmarunt, Actione 4. Diogenes Episcopus Cyzicenus dixit: *Barsumas qui inter alios intravit, occidit B. Flavianum. Ipse enim instabat, & dicebat, Occide.* Episcopi vero Syriæ exclamaverunt; *Omnem Syriam Barsumas evertit: duxit super nos mille Monachos . . . . Homicidam Barsumam mitte foras: homicidam in arena: anathema Barsumæ: Barsumam in exilium.* Ceterum illa cædes licet per Barsumam & Monachos ejus perpetrata, impio Dioscoro malorum omnium auctori tributa est. Unde in Concilio Chalcedonensi Quintus Phocensis Episcopus ipsum vocat interfectorem Flaviani. *Quando:* inquit, *Sanctum Virum Flavianum Catholicæ Fidei Custodem interfecit, neque Canones protulit, neque lecti sunt, neque aliquo Ecclesiastico ordine usus est, sed propria usus auctoritate eum damnavit.* Hinc etiam Sabas Episcopus Palti vocavit eum *Novum Cain*, Actione 3. Concilii Chalcedonensis. Denique Evagrius lib. 2. cap. 2. scribit: Flavianum miserandum in modum *a Dioscoro interfectum per vim ab eo Ecclesia extrusum, & calcibus verberatum.* Verum Flaviani mortem non eodem modo narrant Auctores. Prosper in Chronico prolixiori ait, quod *Inter manus eorum, a quibus in exilium ducebatur, glorioso ad Christum fine transivit.* Nicephorus refert, triduo post decessisse. Marcellinus Comes

mes & Menologium Græcorum ajunt, ipsum ad Epypam Lydiæ relegatum, ibique tædio, dolore, & tormentis confectum & exanimatum; quibus similia habet Breviculus Caussæ Euthychianistarum: *Ducitur*, inquit, *in exilium Flavianus, & apud Epypam, quæ est Lydiæ Civitas, seu superveniente, seu ingesta morte defunctus est*.

In Legatos etiam Apostolicos damnationi Flaviani obfirmate resistentes desævit impotens Dioscori furor, quos violata Fide publica in custodiam detrusit. Unus Hilarius fuga elapsus, post varias circuitiones & fortunas Romam tandem adnavigavit, & S. Leonem de omnibus Ephesi gestis fecit certiorem, ut testantur S. Leo in Epistola ad Clerum Plebemque Constantinopolitanam, quæ extat 1. p. Concilii Chalcedonensis, cap. 21. & Hilarius ipse in Epistola ad Pulcheriam Augustam.

NOTA.

DE Flaviani appellatione interjecta ad Leonem, velut si Romanus Pontifex jure gauderet excipiendi Orbis Christiani appellationes in Caussis Ecclesiasticis, non satis constare opponunt nonnulli, quorum argumenta iterum urgens Basnagius ad A. 449. contendit provocatum quidem ad S. Leonem, sed non ut Romanum Episcopum, quin potius ad ipsum cum universali Sy-

Synodo ex Italis colligenda. Verba tamen Liberati provocationem ad Leonem apertissime docent: Flavianus per legatos Sedem Apostolicam appellavit libello; idque confirmat Valentinianus Imp. ad Theodosium scribens: Flavianus per libellos appellavit; quos libellos legatis Apostolicis datos in iisdem litteris Imperator tradit: quod sane Imperatoris testimonium testimonio Liberati fidem adstruit. Neque his opponas factum Leonis, qui his acceptis libellis Synodum ad ejus caussæ discussionem indicendam censuit. Id enim ab eo præstitum pro sollemni Romanorum Pontificum more, ut quoties de caussis majoribus ageretur, numquam nisi re prius in Synodo discussa judicandum sibi de illis sumerent, ut sæpe aliàs est a me in rem præsentem animadversum. Numquid igitur quia in re gravissima Romani Pontifices judicium ferre recusarunt, nisi caussa prius mature discussa in Concilio; ideo in caussis illis non ad eosdem Pontifices, sed ad Synodos ab eo cogendas provocatum jure diceretur? Donatistæ ad Constantinum Imperatorem provocasse agnoscuntur in caussa Cæciliani, quamvis Imperator de illa per se cognoscere recusans ad Synodum retulerit.

At enim, teste Galla Placidia, Flavianus libellum ad Apostolicam Sedem & ad omnes Episcopos earum partium misit. Admitto libellum ad omnes missum, utpote quos omnes consultores adfuturos norat Leoni in eo judi-

judicio ferendo; sed provocatio ad unum Leonem facta est; id asserit Liberatus, & Valentinianus confirmat. Repones: Valentinianus in suo rescripto ad Theodosium; & Eudoxia Augusta in suis litteris judicium flagitant Synodi generalis. Nihil hic quæro de Valentiniano & Eudoxia; de Flaviano disputo, num ad Leonem, vel potius ad generalem Synodum provocaverit. Quamquam Valentinianus & Eudoxia nihil contra Flaviani mentem voluisse censendi sunt; volebant enim caussam ad Leonem deferri, sed probe scientes futurum ut Leo numquam commissurum fuisset ut gravem adeo caussam absque judicio Synodi terminaret; Synodum voluerunt: cum præsertim tunc nonnisi assentiente, vel etiam invitante Augusto cogi Concilia solerent. Hæc satis de appellatione Flaviani.

§. XV.

Theodosius lege lata Ephesinum Latrocinium firmavit, quam rescidit Marcianus Imperator.

LIcet Valentinianus Occidentis Imperator, Galla Placidia Valentiniani mater, & Licinia Eudoxia Theodosii filia, ad ipsum scripsissent pro caussa Ecclesiæ, ac obsecrassent, ut S. Leonis votis annueret, jubendo Generale Concilium in Italia celebrari, ad-

adduci tamen non potuit Theodosius, ut res semel judicatas adversus Flavianum refricari sineret. Quod patet ex ejus ad Liciniam Augustam Epistola: *Tuæ vero Dulcedini*, inquit, *hoc solum approbavimus intimandum, quia memoratus Flavianus sacro judicio ab Ecclesiasticis rebus ablatus est, quatenus totius dubietatis contentio a sacris removeretur Ecclesiis: & nihil ulterius post hæc definire possibile est, cum jam ista semel decisa sint.*

Id confirmat Liberatus in Breviario cap. 12. „ Sed fortissimus Leo (inquit) audiens „ Legatorum suorum suggestionem, & Theo„ doreti querelas suscipiens, litteris suis „ Theodosium Imperatorem & Pulcheriam „ Augustam petit, ut fieret intra Italiam „ generale Concilium, & aboleretur error „ Fidei per violentiam Dioscori factus. Va„ lentinianum autem Imperatorem, & Eu„ doxiam uxorem ejus, ad memoriam „ B. Petri, cum multis Episcoporum, ge„ nibus provolutus Romanus Pontifex de„ precatus est, ut Theodosium hortarentur „ aliam fieri Synodum, ad retractandum „ illa quæ a Dioscoro male acta atque per„ petrata fuerant in damnatione Flaviani „ Episcopi, & Orthodoxorum depositione. „ Rescripsit Theodosius, Flavianum læsibi„ lis novitatis reum, dignum mortis debi„ tum suscepisse, & ideo omnis pax & concor„ dia in Ecclesiis regnaret, Principe con„ tentionis ablato, &c.

Nec vero negavit solum Theodosius eorum quæ in Ephesino latrocinio gesta erant retractationem; sed etiam lege lata illud firmavit, quæ extat 3. p. Concilii Chalcedonensis, cap.10. „ Et nos igitur (inquit) ejusdem Sanctæ Synodi, *Ephesinæ scilicet*, „ decreta laudamus, atque confirmamus, „ hanc Orthodoxam Fidem putantes atque „ nominantes, quæ a trecentis decem & „ octo Patribus exposita est & firmata in „ Sanctis Conciliis, quæ Ephesi congregata sunt. *Et post pauca*: Omnino autem „ nullus, qui Nestorii ac Flaviani, & eorum qui ejusdem hæresis sententia detinen„ tur, ullo modo Episcopus ordinetur.

Concilii Chalcedonensis Patres, secundum Paschasini Legati Apostolici sententiam, Marciano Imperatori supplicarunt, ut Ephesini latrocinii vires lege lata infringeret. Qua in petitione, S.Leonis exemplum secuti sunt, qui hoc a pietate Marciani beneficium expectabat, sic ad ipsum scribens Epistola 43. *Non potest vocari Concilium, quod in eversionem Fidei fuisse constat agitatum, quodque vestra Clementia amore veritatis, Catholicis adsutura, aliud statuendo cassabit.*

Leonis ergo & Synodi Chalcedonensis votis annuit Marcianus Imperator, & Theodosii Constitutionem rescidit lege lata, his verbis: „ Cum falsa invidia, & improbe con„ cinnata calumnia, Religiosæ ac venera-

 „ bi-

„ bilis recordationis Flavianus hujus almæ
„ Urbis Episcopatu fuisset expulsus . . . Ta-
„ men ita ejus Reliquias & expetiit hæc re-
„ gia civitas, & recepit, ut beatior omni
„ vivente videretur: ut exitus ille qui pu-
„ tabatur acerbus, optandus credatur fuis-
„ se, quo illam immortalem mercatus est
„ laudem, secutumque est illud quod meri-
„ tis ejus Divinitas præstitit, ut venerabi-
„ lis Synodus innumerabilium pene Sacer-
„ dotum Chalcedonem conveniret, quæ
„ dum Fidem diligenter inquirit, auctori-
„ tate Beatissimi Leonis Episcopi æternæ
„ Urbis Romæ & Religionis fundamenta
„ confirmat: Flaviano & anteactæ vitæ pal-
„ mam, & mortis tribuit gloriosæ. Ergo
„ quoniam venerabilis recordationis Flavia-
„ nus tanto, ac tali decoratus est testimonio,
„ aboleatur illa constitutio, quæ scelerato-
„ rum subreptione, post obitum sanctæ me-
„ moriæ Flaviani adversus eum lata cogno-
„ scitur, cessentque in totum ea, quorum
„ initium fuit iniquum; & injusta sententia
„ nihil obsit Eusebio quoque, & Theodore-
„ to Religiosis Episcopis, qui eadem Lege
„ continentur: quoniam non possunt Sacer-
„ dotes Constitutione damnari, quos Syno-
„ dicum ornat Decretum.

§. XVI.

§. XVI.

Quid actum a S. Leone cum Anatolio Constantinopolitano Archiepiscopo ante Concilii Chalcedonensis celebrationem.

PLurimis a S.Leone acceptis litteris, quibus Concilii Ephesini II. verius Latrocinii, rescissione postulabat, Theodosius Imperator litteras ad ipsum dedit, quibus diserte professus est, se curaturum ne Fides Nicæna injuriam pateretur. Monuit insuper, Flavianum vita functum, eique Anatolium successisse in Ecclesiæ Constantinopolitanæ regimine, cujus ordinationem a Dioscoro Ephesi factam, a Romano Pontifice ratam haberi cupiebat. Data ad Theodosium Epistola respondit S.Leo, sibi gratam fuisse Concilii Nicæni commendationem: de Ordinatione vero Anatolii nihil in alterutram partem a se temere rescribendum, donec exploratum sibi sit, an sinceram Fidem teneat Anatolius: se nihil ab eo vel arduum petere, vel ambiguum, sed ut relegat quæ a Patribus Incarnationis Dominicæ Fides fuerit custodita; Cyrilli Alexandrini Epistolam, & quæ inserta sunt Ephesinæ I. Synodi Gestis, Catholicorum Sacerdotum testimonia recenseat: suam denique ad Flavianum Epistolam de Incarnationis Dominicæ Sacramento perspiciat; atque ad horum omnium normam

edat Professionem Fidei, cui absolutissima subscriptione, id est, absque ulla restrictione, aut tergiversatione subscribat. „ Non „ aspernetur etiam (inquit) meam Epistolam recensere, quam pietati Patrum per „ omnia concordare reperiet. Cumque a se „ hoc quod eidem profuturum sit, expeti, „ desiderarique cognoverit, Catholicorum „ sententiis toto corde consentiat: ita ut „ sinceram communionis Fidei Professionem absolutissima subscriptione, coram „ omni Clero & universa plebe declaret, „ Apostolicæ Sedi & universis Domini Sacerdotibus atque Ecclesiis publicandam, ut „ pacificato per unam Fidem mundo, possimus omnes dicere, quod Angeli nato de „ Maria Virgine Salvatore cecinerunt: Gloria in Excelsis Deo, &c. Quia vero, & „ nos, & Beati Patres nostri, quorum doctrinam veneramur, & sequimur, in unius „ Fidei concordia sumus, sicut Provinciarum omnium protestantur Antistites: agat „ Clementiæ vestræ devotissima Fides, ut „ quamprimum ad nos Constantinopolitani „ Episcopi, qualia debent probati & Catholici Sacerdotis Scripta perveniant, aperte „ scilicet atque dilucide protestantia, quod „ si quis de Incarnatione Verbi Dei aliud aliquid credat, aut asserat, quam Catholicorum omnium & mea professio protestantur, hunc a sua communione secernat, „ ut ei fraternam in Christo charitatem possimus impendere.

Ut

Ut autem velocior pleniorque effectus his curis præstaretur, Legatos quatuor Constantinopolim Sanctus Leo misit, Abundium scilicet, & Asterium Episcopos, Basilium & Senatorem Presbyteros, per quos veram Fidei formulam Princeps edoceretur: ut si in eamdem Confessionem Constantinopolitanus Antistes toto corde consentiret, pax Ecclesiæ firmaretur, omnisque de eo aboleretur suspicio. „ Sin vero aliqui a puritate atque „ Patrum auctoritate dissentirent, Conci„ lium Universale intra Italiam cogeretur, „ ut in unum convenientibus his, qui aut „ ignorantia, aut terrore prolapsi essent, „ correctionis remediis consuleretur. „ Hæc totidem verbis excerpta sunt ex Epistola 33. S. Leonis ad Theodosium data anno Christi 450. 17. Kal. Augusti.

Ejusdem argumenti Epistolam direxit ad Pulcheriam Augustam, quæ est inter ejus Epistolas 35. in ea exponit cur Fidei professionem, & singularem quidem exposcat. *Quia nimirum*, inquit, *in Ordinatione ejus plura præcesserint, taliaque ad nos debuerit Scripta dirigere, quæ illum a contagione hujus, qui nuper emersit, erroris, alienum ostenderent*. Ordinatus scilicet a Dioscoro fuerat Anatolius, cujus & fuerat Apocrisiarius, eique semper conjunctissimus, unde vir dubiæ Fidei habebatur.

Subdit deinde quid ab illo exigat, ut scilicet S. Cyrilli Epistolæ ad Nestorium acquie-

 scat,

scat, & suæ ad Flavianum Epistolæ: *Et Epistolæ meæ*, inquit, *quæ ad sanctæ recordationis Flavianum est directa, consentiat*. Tum denique Imperatricem rogat, ut si qui a Confessione Fidei, quam ipse explicuerat, dissentiant, Synodum Generalem cogi procuret: *A qua*, inquit, *si forsitan ab aliquibus discrepatur, Universale Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam, Clementia vestra annuente, jubeatur: quo remota arte fallendi, tandem pateat quid altiore tractatu aut coerceri debeat, aut sanari*.

Cum Leonis Epistolam ad Flavianum sibi a Legatis Pontificis oblatam legisset Anatolius, eam reverenti animo suscepit; retulitque Pontifici una cum Legatis, plures in Oriente Episcopos Romanæ communionis cupidos dolere, quod adversus terrores Dioscori non tenuissent constantiam: qua de re plena auctoritate S. Leo decernit quid agendum esset. *Sed cum Legatis nostris*, inquit, *participata tecum sollicitudine volumus disponatur: quatenus hi qui plenis satisfactionibus mala gesta condemnant, & accusare magis se eligunt quam tueri, pacis & communionis nostræ unitate lætentur: ita ut digno prius anathemate quæ contra Fidem Catholicam sunt recepta, damnentur .... Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, cum satisfacientes recipimus, quos doluimus esse deceptos. Nec aspere igitur communionis nostræ gratia deneganda est, nec temere largienda:*

da: quia sicut plenum pietatis est oppressis charitatem Dominicam redhiberi, ita justum est omnia perturbationis Auctoribus imputari. Quod autem attinet ad Dioscorum, Juvenalem, & Eustathium Berytensem, Anatolio jubet S. Leo ut ea custodiat, quæ sui Legati facienda esse dixerint, nempe ut eorum nomina ad Altare non recitentur, nec Sanctorum nominibus sine discretione misceantur; cum damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua pravitate condemnent, quos convenit aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.

Commendat denique Anatolio S. Leo Julianum Coensem Episcopum, & Clericos qui S. Flaviano adhæserunt: nec non Eusebii Dorylæi secum Romæ degentis, & in sua communione persistentis Ecclesiam: Hæc excerpta sunt ex Epistola 40. S. Leonis, sive 60. in P. Quenellii Editione.

§. XVII.

De Concilio Chalcedonensi.

CUm Theodosius fato functus esset, antequam Legati S. Leonis Constantinopolim pervenissent, Marcianus qui ipsi in Imperii administrationem successerat, ducta in conjugem Pulcheria, sanctissimi Pontificis Legatos benigne suscepit. Sed & existimavit se Christianæ Religioni ac Fidei Catholi-

cæ consulturum, si Generalem Synodum, quæ Imperatore Theodosio tantopere fuerat expetita, & a dicto Principe tam pertinaciter recusata, celebrari quantocyus curaret. Qua de re litteras dedit ad S. Leonem, quæ extant I. P. Concilii Chalcedonensis c. 34. Dedit quoque Pulcheria Augusta litteras ad S. Leonem, quæ I. P. ejusdem Concilii leguntur, quibus scripsit primo, Anatolium Regiæ Urbis Episcopum in eadem Fide permansisse, & litterarum Apostolicarum confessionem complexum esse: similiter ipsum sine dilatione subscripsisse Epistolæ Catholicæ Fidei, quam ad S. Flavianum ipse Leo direxerat. Secundo scribit, S. Flaviani corpus Marciani conjugis sui præcepto, & suo, Constantinopolim allatum esse, & in Basilica Apostolorum honorifice sepultum. Tertio, Episcopos, qui ob Fidei caussam, & Flaviani defensionem in exilium erant amandati, Imperatoria Sanctione revocatos, quatenus per approbationem Synodi, atque sententiam omnium Episcoporum convenientium, Episcopatum & Ecclesias proprias recipere decernantur. Quarto, scribit de cogendo Concilio, secundum Imperatoris placitum.

Acceptis per Tatianum Urbis Præfectum Marciani litteris, ad ipsum protinus rescripsit S. Leo; gratias egit ob illud, quo fervebat, pacis Ecclesiasticæ studium: non esse reparata disceptatione tractandum scripsit, utrum Eu-

ty-

tyches impie senserit, & utrum Dioscorus impie judicarit, sed qualiter annuendum sit lapsorum precibus, veniam de inconstanti trepidatione poscentium. Tandem quod Synodum spectat, ait se plenius ad ejus Majestatem scripturum per Legatos, confestim Constantinopolim mittendos. Hæc S. Leo Epistola 42.

Misit itaque Sanctus Pontifex Legatos suos ad Marcianum cum Epistola, qua declarat primo se annuere ejus votis de Synodo celebranda, licet ipsam in aliud tempus ob imminentes undique hostes differri peroptasset. *Poposceram quidem*, inquit, *a gloriosissima Clementia vestra ut Synodum, quam ad reparandam Ecclesiæ Orientalis pacem, a nobis etiam petitam necessariam judicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis: ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi quos hostilitatis metus detinet, convenirent. Sed quia pio studio humanis negotiis divina præponitis*, &c. *Ego etiam vestris dispositionibus non renitor.*

Obsecrat deinde Imperatorem, ne in Synodo quæ habenda est, Fidem quam Patres ab Apostolis sibi tradita prædicarunt, quasi dubiam retractari patiatur, & quæ olim Majorum sunt auctoritate damnata, redivivis excitari permittat conatibus. Tandem monet se Concilio adfuturum per Legatos, quos mittit Constantinopolim. (Epistola 43. data 6. Kalend. Junii sub Adelphii Consulatu.)

Dedit etiam litteras ad Pulcheriam Augustam, Idibus Junii eodem Consule. Quibus inter alia obsecrabat, ut Eutychetem longius deportari, & Catholicum Abbatem ejus Monasterio præfici juberet. (Epistola 45.)

Interea Marcianus Imperator Metropolitas omnes ad Concilium proximis Kalendis Septemb. Nicææ in Bythinia celebrandum convocavit. Quin etiam spopondit se adfuturum Synodo. Qua de re speciales direxit litteras ad Anatolium Constantinopolitanum Antistitem. Extant I. P. Concilii Chalcedonensis c. 36. & 37. Legitur ibidem c. 38. Epistola, Pulcheriæ Augustæ sub idem tempus data ad Strategium Bythiniæ Consularem, ut Clericos Monachos, & Laicos, qui forte Nicæam superventuri essent, ibidemque tumultus excitaturi, de Civitate vicinisque locis expelleret, quos nempe nulla ratio ad Concilium vocabat.

Cum autem inter hæc preturbari Illyricum ob metum Barbarorum imminentium Imperator ex Litteris Præfectorum accepisset, neque Nicæam posset se conferre, Concilium Nicæa transtulit Chalcedonem, illucque Episcopos omnes suis Litteris convocavit. Transferendi porro Concilii etiam occasionem dedit obsecratio Legatorum Apostolicæ Sedis, qui Imperatorem enixe rogaverant, ut adesset Sancto Concilio, protestantes se ipso absente illuc non venturos. Ista patent ex Epistolis Marciani Imperatoris ad Synodum

quæ

quæ Nicæam convenerat relatis 1. p. Concilii Chalcedonensis, Num. 41. & 42. ex Liberato cap. 13. Breviarii, & ex Evagrio lib. 2. cap. 1.

Synodo Chalcedonensi præfuit S. Leo per Legatos Paschasinum Lilybæi in Sicilia Episcopum, Lucentium Asculanum Episcopum, Bonifacium & Basilium Presbyteros; quibus & Julianum Coensem Episcopum adjunxit.

Incepta est Synodus anno Christi 451. Leonis XII. Marciani Imperatoris II. Valentiniani Imperatoris XXXVII. Marciano & Adelphio Coss. mense Octobri. Celebratum est in suburbiis Civitatis, in amplissima S. Virginis & Martyris Euphemiæ Basilica, cujus extat egregia descriptio apud Evagrium lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 3. Episcopi interfuere ferme sexcenti, teste S. Leone Epistola 52. Triginta supra sexcentos scribit Liberatus cap. 13. Breviarii: cui consentit Marcellinus in Chronico. Nicephorus sexcentos triginta sex fuisse scribit, ut major duplo fuerit numerus Chalcedonensium, quam Nicænorum Patrum. Dimidiæ partis subscriptiones in Actis, quæ extant, desiderantur. Illic vocatum etiam Nestorium mentitur Zacharias Rhetor, quem refellit Evagrius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 2. ex eo quod Nestorius in illa Synodo passim anathemate damnatus sit, ut diserte etiam testatur Eustathius Berytensis in Epistola ad Joannem Episcopum. Secundo quod jampridem e vi-

e vivis Nostorius excessisset, ut constat ex eadem Epistola. Adfuere sęculares Magistratus, ut tumultus prohiberent, ut judiciorum ordinem servarent, utque secundum Canones omnia geri curarent. Quæ octavo Idus Octobris inceperat Synodus, Kalendis Novembris est absoluta. Quo tempore Actiones fuerunt decem & octo. Liberatus *in Breviario* quindecim numerat. Sexdecim in Actis reperiuntur, pluribus sub eodem numero collocatis.

Actione I. petentibus Legatis, Dioscorus in Synodo sedere prohibitus est ut judex, jussus in medio sedere ut reus. Actorem egit Eusebius Dorylæi. Relecta sunt Acta Pseudo-Synodi Ephesinæ. Itemque Acta Synodi Constantinopolitanæ sub Flaviano. Flavianus, & Eusebius Dorylæi, a labe Hæreseos vindicati sunt, & præter jus æquumque exauctoratos, privatosque Communione, pronuntiatum est. Decretum, Dioscorum Alexandrinum, Juvenalem Hierosolymitanum, Thalassium Cæsariensem Cappadociæ, Eusebium Ancyranum, Eustathium Berytensem, Basilum Seleuciesem, auctores Latrocinii Ephesini, eadem pœna plectendos, qua immerito Flavianum aliosque aff cerant, Actum quoque est de Theodoreto, quem Judices in Synodum introduci petierunt, ut, esset particeps Synodi: *Quia*, inquiebant, *& restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus & piissimus*

mus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo. Illyriciani, Palæstini & præcipue Ægyptii Episcopi intercessere, & clamoribus tumultuariis petiere, ut non admitteretur: *Miseremini*, inquiebant, *Fides perit: Istum Canones ejiciunt: hunc foras mittite, Magistrum Nestorii foras mittite*. Judices hanc componendis animis viam iniere, ut interim tamquam accusator sederet, nullumque ex ejus receptione fieret aliis præjudicium. Clamarunt Orientales, *Dignus, Dignus. Orthodoxum Synodo, seditiosos foras mittite, homicidas foras mittite*. Contra Ægyptii: *Cyrillum ejicimus: si Theodoretum acceperimus, Canones istum ejiciunt*. Tumultuarios hujusmodi clamores auctoritate & prudentia sua Judices compescuerunt, sic Episcopos allocuti; *Acclamationes istæ populares, neque Episcopos decent, neque partes juvant*.

Actione secunda de Fide agi cœptum. Nullam aliam Regulam Fidei recipiendam a Nicæna, in secunda Synodo Oecumenica probata & exposita, Patribus visum est. Cum enim Judices interlocuti essent, ut Fidei expositio a Patriarchis, Metropolitis, & singulis, aut binis ex unaquaque Provincia Episcopis fieret, Patres responderunt: *In scriptis expositionem non facimus. Regula est quæ prædicat sufficere quæ sunt exposita. Regula vult aliam expositionem non fieri. Ea quæ sunt Patrum teneantur*. Spectabat prohibitionem factam in Ephesino Concilio, ne conderetur aliud

aliud Fidei Symbolum. Lectum deinde Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum, Synodicæ Epistolæ duæ S. Cyrilli, una ad Nestorium, altera ad Joannem Antiochenum data, cum pax inter eos inita est, & Epistola S. Leonis ad Flavianum. Prolata etiam SS. Patrum testimonia, quibus duæ in Christo naturæ post unitionem asseruntur, Hilarii scilicet Episcopi, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Joannis Chrysostomi, Augustini, Cyrilli, quæ in Acta relata sunt. Tum probata est a Synodo S. Leonis ad Flavianum Epistola. Syriæ & Palæstinæ Episcopis difficultatem aliqua illius loca facessebant, sed prolatis Sancti Cyrilli similibus testimoniis, omnis ambigendi sublata est occasio. Tandem hæc Actio absoluta est Orientalium & Illyricianorum Episcoporum contrariis clamoribus. Illi Dioscorum in exilium mitti postulabant, *Ægyptium exilio, Dioscorum exilio, Hæreticum exilio, Dioscorum Christus damnavit: Qui communicat Dioscoro Judæus est*. Reclamabant isti, ut quoniam omnes peccaverant, omnibus parceretur, adeoque & ipsi Dioscoro. *Omnes peccavimus*, inquiebant, *omnibus indulgete. Dioscorum Synodo, Dioscorum Ecclesiis.*

Actione 3. Dioscori caussa ventilata est, jubente Paschasino S. Leonis Legato, lectus Eusebii Dorylæi in ipsum Libellus accusationis. Semel & iterum vocatus ad judicium, se sistere coram Synodo renuit, modo detentionem, nunc ægrotationem, tum absentiam Judi-

Judicum cauſſatus. Cui reſpondit appoſite Cecropius Epiſcopus: *Quando quædam regularia examinantur, neque Judices, neque aliquos Laicos ineresse oportet, niſi tantummodo tuam Sanctitatem, quæ in propria accuſatur perſona*. Lecti poſt hæc Libelli Iſchorionis & Theodori Diaconorum Alexandriæ, & Athanaſii Presbyteri, qui S. Cyrilli nepos erat, & Sophronii Laici, in Dioſcorum, quibus eum variis flagitiis accuſabant coram ſancta Synodo. Verum cum ille tertio vocatus venire contemneret, Legati Sancti Leonis, conſentiente Synodo, ſententiam depoſitionis in eum tulerunt, quod Eutychem canonice excommunicatum a proprio Epiſcopo irregulariter in communionem ſuſcepiſſet, etiam ante Pſeudo-Synodum Epheſinam: quod Epiſtolam S. Leonis legi prohibuiſſet in Synodo Epheſina: quod Sanct. Leonem abſcindere a communione auſus eſſet: quod ter ad Synodum vocatus venire contempſiſſet. „ Unde „ (inquiunt) Sanctiſſimus & Beatiſſimus Ar„ chiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ Leo „ per nos & per præſentem ſanctam Syno„ dum, una cum ter beatiſſimo & omni lau„ de digno Petro Apoſtolo, qui eſt petra„ & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ „ Fidei fundamentum, nudavit eum tam E„ piſcopatus dignitate, quam etiam & ab „ omni Sacerdotali alienavit miniſterio. „ Secundum ſententiam Legatorum pronuntiarunt ceteri Patres, & ſubſcriptione ſua Dio-

ſcori

ſcori depoſitionem approbarunt. Sententia Synodi Dioſcoro denuntiata eſt, in qua ſolius contumaciæ fit mentio, alia flagitia generatim ſignificantur: ſcriptum de ejus depſitione ad Clericos Alexandrinos. Miſſa etiam ea de re Relatio ad Imperatores, & ad Pulcheriam Auguſtam. Et quia Dioſcorus ſe Sedi ſuæ reſtitutum iri jactabat, Edictum a Concilio propoſitum eſt Chalcedonenſibus ac Conſtantinopolitanis, quo Dioſcorum omni ſpe recuperandæSedis ablata,exhauctoratum fuiſſe inoteſceret.

Actione 4. accuratiorem de Fide inquiſitionem eſſe faciendam, Judicibus viſum eſt. Quinque dierum datæ induciæ, ut Anatholius cum ſelectis Epiſcopis, qui jam S. Leonis Epiſtolæ ſubſcripſiſſent, eos, qui difficultatem circa nonnulla ejus loca patiebantur, doceret, ac communi conſilio de Fide tractaretur. Tum rogati Patres quid laudata de Epiſtola cenſerent, ſuo ſinguli ordine reſponderunt, Symbolis Nicæno & Conſtantinopolitano conſentaneam eſſe, nec non Fidei a S. Cyrillo in Epiſtolis expoſitæ, ideoque ſe illi ſubſcripſiſſe. Ex Epiſcopis nonnulli perplexa quædam atque dubia ſibi viſa eſſe ſignificarunt, quod ex linguæ obſcuritate ortum: ſed omnem a Legatis Apoſtolicis difficultatem abſterſam, qui nullam partitionem & ſeparatiouem in Chriſto his Epiſtolæ locis indicari profeſſi ſunt; ideoque ſe illi ultro ſubſcripſere.

Poſt

Post hæc Judices Patribus significarunt, Imperatorem ipsis permittere ut de fautoribus Dioscori statuerent quod ipsis æquum videretur, scilicet de Juvenali, Thalassio, Eusebio Ancyrano, Basilio Seleuciensi, & Eustachio Berythensi. Ii vero Epistolam S. Leonis sua subcriptione approbantes, in Synodum sunt admissi.

Sed cum illi subscriptione sua promeriti fuissent inter Patres consessum, parum abfuit quin Ægyptii Episcopi subscribere recusantes, hæreseos notam, & sententiam damnationis incurrerent. Sibi licitum non esse subscribere causabantur, nisi ex sententia Alexandrini Episcopi Patriarchæ sui, & ipso præeunte. Se statim atque ordinatus esset Alexandriæ Episcopus, ultro subscripturos. Magnis contentionibus res acta est. Synodus ipsorum dilationem contumaciæ & hæresi tribuebat: illi contra, eamque se Fidem profiteri, & Eutychetis doctrinam execrari contestabantur: sed vitam suam in tuto non fore, si contra consuetudinem Ægyptiacæ regionis præter sententiam Alexandrini Archiepiscopi subscriberent. Interlocuti Judices obtinuerunt, ut eorum subscriptio post Ordinationem Episcopi Alexandrini differretur, & Fidejussoribus datis, aut præstito juramento se de civitate interim non exituros, dimitterentur.

Eadem actione, Carosi, Dorothei, aliorumque Archimandritarum, & Monachorum Eutychianorum libellus Marciano Imperatori obla-

oblatus, ex mandato Judicum lectus est, cum illum ipsi recognovissent. Varia complectebatur capita. Primo obsecrabant Imperatorem, ut universalem Synodum fieri præciperet, quam sanxerat convenire. Chalcedonense enim Concilium non agnoscebant Oecumenicum, nisi ibi Dioscorus cum partium suarum Episcopis inter Patres sederet. Secundo rogabant, ne subscriptiones per vim exigerentur. Quia enim ab ipsis merito postulabatur, ut Epistolæ S. Leonis, & Dioscori damnationi subscriberent, id contumaciter abnuentes, illam subscriptionem & tam justam exactionem persecutioni, quam clerici semper exercerent in Monachos, tribuebant. Tertio postulabant, ut Archimandritarum & Monachorum nemo ejiceretur e monasterio suo, Ecclesia, aut Basilica Martyris, usque ad justum ac legitimum Synodi judicium. Iniquum enim plane fuisse, quod in Dioscorum latum erat, contendebant. Invitati a judicibus ut amplecterentur Synodi de Fide decreta, ipsorum dicta nova petitione eluserunt, ut scilicet recitaretur libellus, quem pro Dioscori restitutione in communionem & Episcopatum Synodo porrigebant. Eo libello minabantur, se communione Concilii discessuros, si quid petitionibus suis contrarium decerneretur, aut fieret: *Non enim patimur*, inquiebant, *Symbolo Fidei trecentorum decem & octo recusato communicatores fieri eorum qui hoc respuunt*. Vide insignem perfido-

fidorum Monachorum calumniam. Chalcedonenſes Patres Nicænum reſpuere Symbolum mentiuntur, quia Conſtantinopolitanum etiam vindicabant. Illud vero execrabantur perduelles Monachi, quod illud velut mucrone jugularetur Eutychiana perfidia. Unde & Symbolum Nicænum, & Decretum Epheſini Concilii, quo ipſi aliquid addi vetat, vafro & hæretico animo libellis ſuis attexuerunt.

Vix dum lecta erant hæc libelli ſupplicis verba: *Ad hoc Concilium conveniat ſanctiſſimus Archiepiſcopus Dioſcorus*, cum una voce clamarunt omnes Epiſcopi: *Anathema Dioſcoro: Dioſcorum Chriſtus depoſuit. Iſtos mitte foras. Tolle injuriam a Synodo. Tolle violentiam a Synodo.* Cumque viciſſim clamarent perfidi Archimandritæ: *Tolle injuriam a monaſteriis*: Patres dixerunt: *Petitiones iſtas audire non licet. Illum qui damnatus eſt ab omni Synodo, Epiſcopum nominare auſi ſunt. Regulæ quare calcantur?* Quia vero minati fuerant Monachi ſe a communione ſanctiſſimi Concilii diſceſſuros, Aetius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archidiaconus relegit ex codice Eccleſiæ canonem quintum Concilii Antiocheni, de Clericis & Monachis qui ſeipſos a communione ſuſpendunt: quo ſancitum eſt eum qui ſemetipſum a communione ſuſpenderit Eccleſiæ, & noluerit evocanti Epiſcopo obedire, omnino damnandum abſque ulla ſpe curationis aut reſtitutionis. Si vero turbas aut ſeditiones in Eccleſia movere non deſti-

stiterit; illum per extraneam, id est, sæcularem potestatem coercendum. Quo prelecto Canone, Patres conclamarunt. *Hæc justa regula: hæc regula Patrum.*

Jubente deinde Senatu, lectus est libellus supplex a Fausto, aliisque Archimandritis Orthodoxis Marciano Imperatori porrectus, quo adversus Monachos Eutychianos expostulabant, quod nollent piæ & Orthodoxæ Fidei subscribere, & parere monitis Anatolii Archiepiscopi sui, aliorumque Antistitum & clericorum. Secundo rogabant Imperatorem, ut sibi potestas fieret sacro ejus mandato subjendi Monachos pertinaces & hæreticos pœnis in monasticis constitutionibus latis: & disponendi de spelunca, in qua more bestiarum degebant. Perlecto libello Catholicorum Archimandritarum, Dorotheus Monachus Apologiam Eutychetis suscepit, eum integerrimæ Fidei virum esse, & calumniam pati, impudenter effutiens. Hæc vix dixerat, cum ipsum his verbis Judices compellarunt: *Eutyches ait, quod Corpus Salvatoris nostri Jesu Christi non fuit nostræ substantiæ: Tu de hoc quomodo confiteris?* Ille Fidei professionem statim edidit: multis ambagibus involutam, qua nec Eutychianam hæresim damnaret, nec Epistolam S. Leonis susciperet. Qua de caussa Patres acclamarunt: *Subscribis Epistolæ, an non?* Respondit pertinax Monachus; *In Baptisma credo: Epistolæ autem non subscribo.*

Inte-

Interea Alexander Presbyter & Ecclesiarum Visitator, qui Monachorum Eutychianorum caussa a Sancta Synodo & clarissimis Judicibus ad Imperatorem missus fuerat, Mandata retulit, quibus ipsis jubebatur ut Synodi Decretis parerent, ac illius judicio acquiescerent. Rogantibus Magistratibus, datæ sunt pertinacibus Monachis triginta dierum induciæ, quibus elapsis, ad eos mitterentur Clerici, monituri ut recte ambularent in veritate, cederent placitis Concilii Œcumenici ad hæreseos destructionem, alioqui omni gradu, dignitate, & communione privandos. Quod si subterfugia solita quærerent, pœnam eamdem in illos valituram: externa videlicet auctoritate, juxta divinas sacrasque regulas corroborante Sententiam in contumaces latam.

Huic Actioni inserta est altera, qua dirempta est Controversia inter Photium Episcopum Tyri, & Eustathium Berytensem, intercedens de jure Metropolitico in primam Phœniciam, quo exutus est Eustathius: id vero Photio assertum & confirmatum.

Actione 5. Constitutio, seu Definitio Fidei lecta est, quæ omnibus Patribus non placuit. Legati Sedis Apostolicæ, & aliquot Orientis Episcopi, multa deesse ad profligandam hæresim Eutychianam contestati sunt. Ad id enim satis non esse, ut Christus *Ex duabus naturis* diceretur; sed necesse esse ut ***In duabus naturis inconfuse, immutabiliter & indi-***

indivise subsistere diceretur. Hinc non levis inter Patres orta est dissensio, quam Senatores compresserunt, decernentes ut ex Diœcesi Orientis sex Episcopi, ex qualibet alia tres seligerentur, qui cum Anatolio & Legatis de Definitione scribenda statuerent. Repugnantibus aliis, & tumultuatim vociferantibus, nihil Definitioni deesse, nil penitus addendum: urgente tandem Imperatore id perfectum est; & conscripta receptaque Fidei Definitio, quæ Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum, Epistolas Synodicas S.Cyrilli, & memoratam S. Leonis Epistolam, & illa verba diserte continebat, propter quæ tanta fuerat contentio: *Unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum*, &c.

Actione 6. cui Marcianus Imperator interfuit, & in qua Sermonem ad Concilium habuit, relecta est definitio Fidei, & omnium subscriptione Episcoporum approbata. Gratulatoriis acclamationibus Marcianum, & Pulcheriam Augustam prosecuti sunt Patres. Imperator in Clericos depositionem, ut executor Canonum, in Milites exauctorationem, in Laicos exilium decrevit, si Ecclesiam, disputando de Fide, turbarent.

Post hæc, Capitula quædam Synodo proposuit approbanda Marcianus. Primum interdicit Monachis, ne præter voluntatem Epi-

Episcopi Monasteria ædificent, & ne servos in Monasteriis absque Dominorum consensu recipiant. Secundum Clericis prohibet ne possessiones conducant, aut procurationem suscipiant. Tertium iisdem vetat, ne ex sua Ecclesia in aliam transeant, & cum in eos, tum in illos, a quibus suscepti fuerint, excommunicationem decernit. Notanda sunt verba Marciani ista Capitula proponentis: *Quædam Capitula sunt, quæ ad honorem vestræ Reverentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes a vobis hæc regulariter potius firmari per Synodum, quam Lege sanciri.* Quibus verbis significavit religiosissimus Imperator, se ex reverentia in Synodum, non ex officio, hæc tria Disciplinam Ecclesiasticam spectantia capita Patribus statuenda reservasse. Nec tamen ex hoc quis inferat Principem posse condere Canones, sed solum urgere Legum Divinarum & Ecclesiasticarum observantiam, Canonumque executionem promovere, & eadem Legibus statuere suis, quæ divina Lex vel Ecclesiastica jubet. Nec aliud sibi tribuit Marcianus Augustus, cui Facundus Hermianensis hoc appendit elogium, lib. 12. cap. 3. „ Sciens igitur ille „ modestissimus Princeps Oziæ Regi non „ impune cessisse, quia sacrificare præsum- „ psit, quod licitum est singulo cuique etiam „ secundi Ordinis Sacerdoti: multo magis „ sibi impune cedere non posse cognovit, „ vel, quæ jam de Fide Christiana rite fue-

„ rant

„ rant constituta, discutere, quod nullatenus licet: vel novos constituere Canones; „ quod nonnisi multis, & in unum congregatis primi Ordinis Sacerdotibus licet. „ Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus Officio, Ecclesiasticorum Canonum „ executor esse voluit, non conditor, non „ exactor. „ Hinc Patres Chalcedonenses gratias agentes Marciano, acclamaverunt: *Sacerdoti Imperatori multos annos*.

Denique Marcianus Augustus in honorem S. Martyris Euphemiæ, & in S. Synodi memoriam, Chalcedonensem Civitatem Metropoleos nomine adauxit, salva Nicomediæ propria dignitate.

Actione 7. caussa Juvenalis Hierosolymitani, & Maximi Antiocheni composita est, cum judicio Synodi, tum mutuo partium consensu. De Provinciis inter illos erat contentio: duæ Phœniciæ & Arabiæ attributæ Antiochenæ Ecclesiæ, tres Palæstinæ vero Hierosolymitanæ.

Actione 8. sancta Synodus Theodoretum jussit dicere in Nestorium anathema. Cum autem Fidem antea suam exponere vellet, clamoribus Episcoporum pene oppressus est vociferantium: *Iste hæreticus est: iste Nestorianus est: Hæreticum foras mitte*. An æque cum Theodoreto hac in parte actum, ad rem modo non spectat. Satis sit in præsentiarum nosse, ipsum dicto in Nestorium anathemate, Ecclesiæ suæ restitutum esse,

ex

ex qua Latrocinii Ephesini Decreto fuerat dejectus & expulsus; sive potius approbatam ejus restitutionem a S. Leone factam.

Actione 9. & 10. caussa Ibæ Edesseni Episcopi acta est. Relecta sunt quæ de eo Antiochiæ, Tyri, & Beryti acta fuerunt. Is depositus a Dioscoro in Pseudo-Synodo Ephesina, Libellum Imperatori obtulerat: sed re delata ad Synodum Chalcedonensem, probatæ vitæ, & integræ Fidei compertus est, & dicto in Nestorium & Eutychetem anathemate, Sedi suæ restitutus. Nonni, qui in ejus locum intrusus fuerat, caussa ad Maximum Antiochenum remissa est; qui statuit ut honore Episcopatus frueretur, donec cum Episcopis suæ Diœceseos, si videretur, aliter judicaret. Abolendam esse penitus Pseudo-Synodi Ephesinæ memoriam decretum est, & pro ea re Imperatori supplicandum. Ordinationem Maximi Antiocheni Episcopi ad illius Synodi Acta non pertinere pronuntiatum est, adeoque nihil ex iis approbatum esse, quamvis Maximi Ordinatio a S.Leone fuisset approbata, & a Patribus rata haberetur. Sic Legati Apostolici censuerunt: *Si ergo & a Beatissimo & Apostolico Romanæ Urbis Episcopo, omnia quæ ibi gesta sunt, vana sunt habita; (claret quia & sanctissimus Episcopus Antiochenæ Civitatis extra hæc est, quem post hæc Beatissimus Episcopus in propria communione suscepit,) necessarium est ut rursus eumdem tranquillissimum & Chri-*

stianissimum Principem adeamus, quatenus illud Concilium sacra & propria Lege neque nominari præcipiat.

Actio de Domno Antiocheno Maximi Decessore, quæ post decimam Actionem inserta est Concilio Chalcedonensi, commentitia est: in qua videlicet Maximus inducitur Domno quasi post exauctorationem suam superstiti alimenta de suæ Ecclesiæ redditibus impertiens, ex indulgentia Concilii. Hanc autem Actionem esse ex Concilii Chalcedonensis Actis expungendam, omnes facile conveniunt.

Actione 11. & 12. Bassiani & Stephani controversia dirempta est. Ille ex Sede Ephesina depositus, iste subrogatus. Judicatum fuit, ut neuter sederet, tertius ordinaretur; utrique sumptus ex ærario Ecclesiæ subministrarentur. Lapsus est Evagrius lib. 2. Historiæ cap. ultimo, ubi scripsit: *In altero Conventu caussa Bassiani Episcopi Ephesi examinata fuit, & decretum, ut Bassianus de eo dignitatis gradu dimoveretur, inque ejus locum sufficeretur Stephanus.* Tantum enim abest ut Stephanus substitutus sit Bassiano, quin potius uterque sit abdicatus Synodica Sententia, ut ex Actis Chalcedonensibus compertum est. Recte igitur Valesius supplendum esse monet Evagrii locum hoc modo: *Sequenti Actione, discussa est caussa Bassiani Ephesiorum Episcopi: statutumque est ut tam ille, quam Stephanus deponerentur, & alius in eorum locum*

tum substitueretur : & Græcum textum emendandum esse ac restituendum.

Actione 13. Eunomii Nicomediensis, & Anastasii Nicæni lis cognita est. Querebatur Eunomius, ex Edicto Valentiniani Nicænum Episcopum jus Metropolitani sibi tribuere, & Basilinopolitanorum Ordinationes usurpare, Nicomediamque truncare velle in duas Metropoles, quæ Canonum erat manifesta violatio. Respondit Anastasius, nihil se contra Canones tentasse: primum & alterum Episcopum Basilinopoleos consecratos fuisse a Nicæno; extare Epistolam S. Joannis Constantinopolitani, vulgo Chrysostomi, ad Proclum Nicænum Episcopum, qua ipsi suasit ut Nicæam se conferret, Ecclesiæ viduæ pro jure suo provisurus. Excepit Eunomius, Ordinationes Basilinopolitanorum Episcoporum a Nicænis semel aut iterum factas, sed subreptitie, vel quod Nicomedia Bythiniæ Metropolis Episcopum non haberet: ideo sibi juribusque Ecclesiæ suæ non obesse. Lectus est deinde Nicæni Concilii Canon 4. quo sancitur Ordinationum in singulis Provinciis potestatem penes Metropolitas esse. Lectæ etiam Leges Valentiniani, quibus recensitis, æquissimi Judices pronuntiarunt, ipsas civilibus dumtaxat rebus, non Ecclesiasticis prospexisse: Metropoleos nomen & honorem Nicænæ Civitati delatum, jus vero Metropoliticum Nicæno Episcopo non concessum: immo iis Legibus cautum esse, ne alia-

D 2 rum

rum Civitatum juribus detraheretur. Sancitum vero esse Canonibus, ut unicus una in Provincia Metropolita esset. Quapropter Patres a Judicibus rogati, ut Sententiam ea de Controversia dicerent, uno ore clamarunt: *Canones teneant*; *Canonibus satisfiat*.

Actione 14. de Perrhænorum Episcopatu contentio fuit. Athanasius Perrhænorum in Provincia Eufratesia Episcopus, apud Domnum Antiochenum Patriarcham variorum criminum accusatus, ejus Synodo sistere se renuens, ob contumaciam, e Sede sua rejectus est; in ejusque locum a Stephano Hierapoleos Metropolita ordinatus Sabinianus. Contigit porro ut convocata non longe post Ephesina Synodo secunda, Latrocinii notissima nomine, Dioscorus illius Synodi Præses Sabinianum non vocatum, inauditumque deponeret, legitimeque depositum Athanasium Sedi restitueret. Hac de caussa Marciano Imperatori Libellum supplicem obtulit Sabinianus; & alterum Synodo Chalcedonensi, cui caussæ illius cognitio ab Imperatore permissa fuerat. Interrogatus Athanasius quid ad hæc responderet, dixit: Caussam suam a longo jam tempore agitari cœptam: innotuisse Cyrillo & Proclo persecutionem in se motam: eos ad Domnum Antiochenum ea de re Litteras dedisse ac certam formam, seu agendi modum præscripsisse: Domnum vero spretis tantorum Antistitum consiliis, quibus se adhæsurum spoponderat, ipsum

ipsum vocasse ad judicium, atque e Sede deturbasse. Lectæ sunt itaque ex Decreto Judicum Litteræ Cyrilli & Procli ad Domnum, quibus ipsum rogaverant ut injuriæ a Clericis Parrhensibus irrogatæ Athanasio vindex esset, & probatos quosdam Episcopos ad audiendam ipsius caussam deligeret, quia ipsi merito suspectus erat Hierapolitanus Metropolita, ob veteres inimicitias. Post hæc, postulante Sabiniano, lecta sunt Acta Antiochenæ Synodi sub Domno in caussa memorati Athanasii, ex quibus probatum est illum Panolbii Metropolitæ, amicique in primis sui tribunal declinasse: tertio ab illo vocatum non paruisse: BB. Cyrillo & Proclo fecisse fucum: peregre profectum sponte abdicato Episcopatu: denique canonice vocatum a Domno Antiocheno, & Synodo illius Patriarchica, examen & judicium fugisse; ac proinde merito Episcopatu exutum ut contumacem & canonum contemptorem. Quapropter Judices censuerunt, Sabinianum Episcopatu frui debere: Athanasium vero ut merito depositum, & a Dioscoro perperam restitutum quiescere. Litem vero ipsi intentatam, examinandam esse ab Antiocheno Patriarcha Maximo, Synodoque illius, ea tamen lege, ut infra octo menses caussa disceptaretur: utque (si criminum sibi impositorum reus probatus esset) non solum ab Episcopatu alienus, sed publicis etiam legibus subdendus esset. Si vero infra tempus

constitutum non convinceretur Athanasius, restitueretur in Sedem Perrhensis Ecclesiæ a Maximo Antiocheno: Sabinianus vero dignitatem Episcopatus eo casu retineret, & substitutus esset, id est, Coadjutor, Ecclesiæque Perrhensis sumptibus aleretur. Hanc judicii formam cum Synodo probandam, si luberet, proposuissent Judices, Patres ipsam plausibus gratulatoriis exceperunt: *Nihil justius*, dixerunt, *nihil integrius*. *Quæ disposita sunt, effectui mancipentur*, *quia cum Deo vos judicatis*. Ne quis vero existimet sæculares magistratus aliquam sibi auctoritatem in Judiciis Episcoporum arrogasse, audi quibus verbis huic Actioni finem imponant: *Ea*, inquiunt, *quæ a nobis quidem approbata sunt, disposita vero a S. Concilio, firma consistant*.

Actione 15. absentibus Sedis Apostolicæ Legatis, atque etiam Judicibus, plures Canones a Patribus conditi sunt. Græci Codices habent 30. Latini 28. ex quibus vigesimus octavus Sedi Constantinopolitanæ confirmat Patriarchica Privilegia, quæ centum quinquaginta Patres Constantinopoli sub Nectario congregati olim ipsi contulerant: ut scilicet primo post Romanam Ecclesiam honore frueretur, ejusque & potestatem haberet in Thraciæ, Ponti, & Asiæ Diœceses, earumque Metropolitas, & Barbarorum insuper Episcopos ordinaret.

Actio 16. postularunt Legati Apostolici, ut relegeretur Canon de Sede Constantinopolita-

litana, ipsis absentibus constitutus: quo recensito, cum omnium ferme Patrum subscriptionibus, Lucentius Sedis Apostolicæ Legatus, Judices interpellans dixit: *Primo Gloria vestra perpendat, qua circumventione cum Sanctis Episcopis gestum sit, ut non conscriptis Canonibus, quorum mentionem fecerunt, subscribere sint coacti*. Ultimam illam vocem excidere passi non sunt Patres. Unde conclamarunt: *Nemo coactus est*: Resumpsit Lucentius; *Accedit ad cumulum, quod trecentorum decem & octo Constitutioninus postpositis, centum quinquaginta, qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur, quæ dicunt ante octoginta prope annos constituta fuisse. Si ergo his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? Si numquam usi sunt, quare requirunt*.

Aetius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archidiaconus Legatorum oppositiones eludere conatus, ipsos convenit, ut Synodo coram exponerent, an id accepissent in mandatis, quod tam acri pertinacia præstabant. Legit Bonifacius hæc verba ex Diplomate Legationis: „ Sanctorum quoque Patrum Constitu- „ tionem prolatam, nulla patiamini temeri- „ tate violari, vel imminui, servantes om- „ nibus modis personæ nostræ in vobis, quos „ vice nostra transmisimus, dignitatem: ac „ si qui forte Civitatum suarum splendore „ confisi, aliquid sibi tentaverint usurpare

 „ hoc,

„ hoc, qua dignum est constantia retundatis: „ Hæc scilicet Legatis suis præceperat S. Leo, ne Sedis Apostolicæ Majestatem ullatenus lædi, ne Canones ullatenus violari quorumdam ambitu paterentur.

Quia vero de Canonibus erat controversia, jusserunt Judices, ut Canones ab utraque parte proferrentur. Prolatus est a Paschasino Canon 6. Nicæni Concilii: ab Aetio vero Canon 3. Concilii Constantinopolitani. Tum accurato examine disquisitum est, an Patres ad illius Canonis (ut Legati contendebant) subscriptionem coacti essent. Acclamaverunt universi: *Sponte subscripsimus*.

Post hæc, Judices Canonem iterum recensitum firmarunt Patribus acclamantibus: *Hæc justa sententia. Hæc omnes dicimus, hæc omnibus placent. Quæ constituta sunt, valeant, omnia ordinate decreta sunt*. Reclamavit Lucentius Apostolicæ Sedis Legatus: „ Sedes „ Apostolica (inquit) præcepit nobis præ„ sentibus omnia fieri & ideo quæcumque „ in præjudicium Canonum hesterna die ge„ sta sunt nobis absentibus, a Sublimitate „ vestra petimus ut circumduci jubeatis: sin „ aliàs contradictio nostra his Gestis inhæ„ ret, ut noverimus quid Apostolico, & to„ tius Ecclesiæ præcipuo Episcopo referre „ debeamus: ut ipse aut de Sedis suæ inju„ ria, aut de Canonum eversione possit ferre „ Sententiam.

Canonem 28. Concilii Chalcedonensis im-

improbavit S. Leo, & e numero Canonum expunctus est a Græcis ipsis. Canones vero ceteros ejusdem Concilii Sanctissimus Pontifex tacito saltem consensu approbavit, eosque Ecclesia recepit universa.



DISSERTATIO

Adversus Hæresim Eutychetis.

Error præcipuus Eutychetis in eo positus erat, quod duas in Christo naturas post Incarnationem negaret, unam dumtaxat assereret ex humanæ divinæque velut mixtione, & confusione resultantem; vel unius in alteram naturæ conversione, id est, aut Divinitatis in carnem, aut carnis potius in Divinitatem.

PRobatur I. ex Actione 3. Concilii Constantinopolitani sub Flaviano, relecta in Concilio Chalcedonensi Actione 1. ubi Joannes Presbyter, & Defensor, qui ad Eutychetem directus fuerat a Synodo, ejus errorem sic exponit quod nempe dixerit: „ Se „ post Incarnationem Dei Verbi, hoc est post „ Nativitatem Domini Nostri Jesu Christi „ unam Naturam adorare, & hanc Dei In- „ carnati, & inhumanati: & Librum aliquem „ hujusmodi proferens, perlegabat: Adjicie- „ bat vero contumelias adversus se ab aliqui- „ bus dictas, quasi dixerit: Verbum carnem „ secum e cælo detulisse: Se innoxium ab „ ejusmodi contumelia. Ex duabus autem „ naturis unitis secundum subsistentiam fa- „ ctum

„ ctum fuiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chri. „ ſtum, neque didiciſſe in expoſitionibus „ SS. Patrum, neque ſuſcipere, ſi contige- „ ret ei ab aliquo tale quid legi: quia divi. „ næ Scripturæ (ut dicebat) meliores ſunt „ Patrum doctrinis. Et hæc dicens confite- „ batur perfectum Deum eſſe, & perfectum „ hominem, qui natus eſt de Maria Virgi- „ ne, non habentem carnem conſubſtantia- „ lem nobis.

Et Actione 6. ibidem relecta, Theophi. lus, & Mammas Præſbyteri a Synodo miſſi ad Eutychetem tertia citatione conveniendum, referunt, hæc ipſum dixiſſe, multis coram teſtibus: „ In qua Scriptura habentur „ duæ naturæ? Deinde vero quis SS. PP. ex. „ poſuit, Deum verbum habere duas natu- „ ras? Cui cum Theophylus reſpondiſſet „ ὁμοούσιον in Scripturis non contineri, & „ tamen ab Eccleſiaſticis uſurpari tractatori- „ bus, quia a SS. Patribus expoſitum eſt; „ ita de duabus naturis dicendum eſſe. *Rur-* „ *ſus cum Eutyches Theophilo conceſſiſſet*, „ Chriſtum eſſe perfectum Deum, & perfe- „ ctum etiam hominem: *repoſuit Theophi-* „ *lus*: Si ergo Deus perfectus, duo perfecta „ unum perficiunt Filium, quid igitur pro- „ hibet nos dicere, ex duabus naturis unum „ Filium? *Tum reſpondit ignarus Archiman-* „ *drita*: Abſit a me dicere, ex duabus na- „ turis eſſe Chriſtum, aut de natura loqui, „ aut diſputare Dei mei. *Ibidem reſpondiſſe* „ *dici-*

„ *dicitur Theophilo* : Si permiserit Deus me
„ pati aliquid , libenter patior : ego tamen
„ duas naturas non confiteor.

Et Actione 7. ejusdem Concilii Florentio Patritio interroganti, Christumne consubstantialem nobis , & ex duabus naturis diceret, post Incarnationem? Respondit Eutyches: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem : post adunationem vero unam naturam confiteor.* Ibidem iterum interroganti Florentio: *Duas naturas dicis , & consubstantialem Christum nobis esse? Dic*: Respondit Eutyches: *Ego legi scripta B. Cyrilli, & SS. Patrum, & S. Athanasii: quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem : post adunationem autem & Incarnationem, non jam duas naturas, sed unam naturam dixerunt.*

Eutychetis id prodit imperitiam, quod cum B. Virginem consubstantialem nobis esse ultro fateretur, Filium ejus Christum nobis esse consubstantialem negaret, unde Basilius Seleuciæ Isauriæ Episcopus demonstrationem istam in illum intorsit. *Si Mater nobis est consubstantialis, & ipse, quoniam Filius hominis vocatus est. Si ergo Mater ejus consubstantialis est nobis; & ipse secundum carnem consubstantialis est nobis.*

Probatur 2. ex Epistola S. Flaviani Constantinopolitani Archiepiscopi ad S. Leonem, quæ extat 1. p. Concilii Chalcedonensis, c.4.
„ Iste Eutyches (inquit) absconditum in se
„ lan-

„ languorem malæ sectæ retinens, inverecunde & impudenter in multos impietatem „ propriam præsumpsit inferre, dicens: Ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri Jesu Christi duas naturas esse Divinitatis & humanitatis: post unitionem vero, „ unam naturam factam: neque sciens quod „ dicit, neque de quibus affirmat. Adjecit „ autem & aliam impietatem, dicens: Corpus Domini, quod ex Maria factum est, „ non esse nostræ substantiæ, neque humanæ „ consperssionis: sed humanum quidem illud „ vocat, non tamen nobis consubstantiale, „ neque Genetricis ejus, secundum carnem.

Probatur 3. ex Ephesino Latrocinio; ubi cum recitata essent illa Eusebii Dorilæi verba ad Eutychem: *Confiteris duas naturas, Domine Archimandrita, post Incarnationem; & consubstantialem nobis esse dicis Christum secundum carnem, an non?* Dixit Prædatoria Synodus: *Tolle, incende Eusebium: iste vivus ardeat, iste in duo fiat: sicut partitus est, partiatur.* Deinde cum Dioscorus dixisset: *Tolerabilis est vobis iste sermo, post inhumanationem duas naturas dicere?* Synodus Prædatoria dixit: *Anathema ei qui dixerit.* Idem patet ex illis Eutychianorum Episcoporum tumultuariis vocibus, Actione 1. Concilii Chalcedonensis relatis: *In duo separate eos, qui dicunt duas naturas. Qui dicunt duas, dividite, interficite, ejicite.*

Probatur 4. ex S. Leone Epistola 45. ad Pul-

Pulcheriam Augustam data. „ Sicut (*inquit*)
„ Nestoriana impietas, ita & Eutychiana
„ blasphemia, ab omnium est Catholicorum
„ eliminanda consortio, quia tam impium
„ est, consubstantialem & consempiternam
„ Patri Filii Deitatem, etiam ex utero Vir-
„ ginis Matris partu editam negare corporeo,
„ quam unam in Dei Filio, post Incarnatio-
„ nis Sacramentum, affirmare naturam: ut
„ scilicet aut humanitas ejus refutetur, aut
„ Deitas: cum unitione utriusque essentiæ
„ nec altera sit in alteram versa, nec assum-
„ pta in assumente finita.

Et in Epistola ad Flavianum, quæ a Concilio Chalcedonensi approbata est, ait: „
„ Christum, post Resurrectionem, Aposto-
„ lis recentissimæ Passionis signa demonstras-
„ se, ut agnosceretur in eo proprietas divi-
„ næ humanæque naturæ individua permane-
„ re; & ita sciremus Verbum hoc non esse
„ quod carnem, & unum Dei Filium & Ver-
„ bum confiteremur, & carnem. Quo Fidei
„ Sacramento Eutyches iste nimium æstiman-
„ dus est vacuus, qui naturam nostram in
„ Unigenito Dei, nec per humilitatem mor-
„ talitatis, nec per gloriam resurrectionis
„ agnovit. Nec sententiam B. Joannis Apo-
„ stoli & Evangelistæ expavit, dicentis:
„ Omnis Spiritus qui confitetur Jesum Chri-
„ stum in carne venisse, ex Deo est, & om
„ nis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non
„ est, & hic est Antichristus. Quid autem
„ est

„ est solvere Jesum, nisi humanam ab eo se-
„ parare naturam, & Sacramentum, per quod
„ unum salvati sumus, impudentissimis eva-
„ cuare figmentis?

„ *Et cap. 6.* Cum autem ad interlocutio-
„ nem examinis vestri Eutyches responderit
„ dicens: Confiteor ex duabus naturis fuisse
„ Dominum nostrum ante adunationem; post
„ adunationem vero unam naturam cofiteor;
„ miror tam absurdam, tamque perversam
„ ejus professionem, nulla judicantium in-
„ crepatione reprehensam, & sermonem ni-
„ mis insipientem, nimisque blasphemum,
„ ita omissum, quasi nihil quod offenderet,
„ esset auditum: cum tam impie duarum na-
„ turarum ante Incarnationem Unigenitus
„ Dei Filius fuisse dicatur, quam nefarie,
„ postquam Verbum caro factum est, natura
„ in eo singularis asseritur.

Et in Epistola ad Leonem Augustum: „ Et
„ Eutyches quoque (*inquit*) eodem percel-
„ latur anathemate, qui per impios veterum
„ Hæreticorum volutatus errores, tertium
„ Apollinaris dogma delegit, ut negata hu-
„ manæ carnis atque animæ veritate, totum
„ Dominum nostrum Jesum Christum unius
„ assereret esse naturæ, tamquam Verbi
„ Deitas ipsa se in carnem animamque con-
„ verterit; & concipi ac nasci, nutriri & cre-
„ scere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resur-
„ gere, & ascendere in cælum, & ad Patris
„ dexteram consedere, divinæ tantum
„ essen-

„ essentiæ fuerit, quæ nihil horum in se
„ sine carnis recipit veritate ... Unde si ab
„ Apollinaris perversitate Eutychianus quis-
„ que descifcit, ne convincatur Deitatem
„ passibilem sentire atque mortalem, & ta-
„ men Verbi Incarnati, id est, Verbi &
„ carnis unam audet pronuntiare naturam,
„ manifeste in Valentini & Manichæi transit
„ insaniam, & Mediatorem Dei & hominum
„ hominem Jesum Christum simulatorie cre-
„ dit omnia egisse, nec verum in ipso cor-
„ pus, sed phantasticam corporis speciem o-
„ culis apparuisse credentium.

Ex quibus evidenter probatur, Eutychetem non admisisse in Christo unam naturam ex duabus in sua integritate manentibus compositam, quemadmodum hominis una dicitur natura, licet ex anima & corpore, quæ diversæ quodammodo naturæ sunt, coalescat (quod contendit Vasquezius.) Sequeretur enim S. Leonem, & alios Patres, vel Eutychis errorem non intellexisse, vel rationibus nugatoriis, & nihil adversus ipsum concludentibus, Catholicæ veritatis caussam propugnasse. Et sane qui Eutychis hæresim ita explicat, ipsam ad quæstionem nominis reducit totam, ut ille humanam quidem in Christo naturam, post Incarnationem, agnoverit; sed non esse nominandam naturam contenderit, quia in illa ineffabili compositione minus præcipua est.

Probatur 5. ex Gelasio lib. de duabus in Chri.

Christo naturis adversus Eutychetem, & Nostorium. „ Eutychiani (*inquit*) dicunt unam „ esse naturam, idest divinam. *Et rursus*: „ Contra Eutychem, qui unam, id est solam divinam conatur asserere, humanam „ competenter addentes, ut duas ex quibus „ illud singulare Sacramentum constat, illic „ permanere monstremus. *Et infra*: Sed „ jam diligentius vestigemus, si Eutychiani „ qui se Nestorium refutare prætendunt, & „ propter hunc, Catholicis sensibus unam conantur subintroducere naturam: (quamvis „ hoc jam manifesta sit ratione destructum.) „ Si non ipsi quodam circuitu, & occultis „ ambagibus, ad eumdem Nestorium volentes nolentesque rediguntur. Dicunt enim: „ Ante adunationem duæ naturæ fuerunt: post „ adunationem, una facta est. *Et infra*: Jam „ vero, si (ut ipsi delirant) adunatione una „ facta natura est; aut unius abolitio est, „ aut utriusque confusio. „ His Gelasii testimoniis refellitur Vasquezii figmentum, Eutychetis hæresim nova plane ratione explicantis.

Probatur 6. ex Vigilio Tapsensi, lib. 2. adversus Nestorium & Eutychetem. „ Nunc videamus (*inquit*) quo fuerint Nestorius & „ Eutyches errore decepti. Nestorius duas „ putavit esse personas..... Eutyches respiciens unam personam, unam censuit „ esse naturam; & ob hoc humanam ausus „ est denegare. Et quia est in Christo & naturarum proprietas, & personæ unio, Ne-

„ sto-

„ storius proprietatem attendendo naturarum,
„ a personæ excidit unione, & duos putavit
„ Christos, unum passibilem, alterum im-
„ passibilem esse. Et Eutyches unam in-
„ tuendo personam, a naturarum proprietate
„ descivit, & ipsam Divinitatem asseruit
„ passam, &c.

Probatur 7. ex Theodoreto *lib.* 4. *Hæreticarum Fabularum cap.* 13. ubi de Eutyche sic loquitur: *Dicebat, Deum Verbum nihil humanum ex Virgine sumpsisse: sed ipsum immutabiliter conversum, & carnem factum, per Virginem tantummodo trajecisse, crucique affixam fuisse incircumscriptam Unigeniti Divinitatem.*

Et in Dialogo *Inconfusus*, Eranistes Eutychianorum caussam agens, ait: *Ex duabus naturis dico Christum, duas vero non dico.* Et cum interrogasset Orthodoxus: *Nempe tu naturæ utriusque propria non fateris?* Respondet Eranistes: *Post unionem haudquaquam.*

Et cum dixisset Orthodoxus: *Doce nos quomodo unam post unionem dicas naturam: an quod una ex ambabus facta sit? An quod altera deleta, altera remanserit?* Respondet Eranistes: *Ego dico mansisse Divinitatem, ab hac vero absorptam esse humanitatem.* Et statim id explicat exemplo maris: *Ut mare mellis guttam si accipiat,* inquit, *statim enim gutta illa evanescit, aquæ maris permixta.*

Probatur 8. ex Liberato, in Breviario Caussæ Nestorianæ & Eutychianæ, c. 11. *Eutyches* inquit, *urgente Satana, prædicabat Dominum*

num nostrum Jesum Christum consubstantialem nobis non esse secundum carnem, sed de cælo corpus habuisse: rursusque varians dicebat; Ante adunationem duas in Christo fuisse naturas, post adunationem vero unam factam esse.

Objicies, Eutychem asseruisse unam carnis & Verbi in Christo esse naturam, & hanc carnem non de B. Virgine sumptam, sed de cælo advectam. At non potuisse dicere unam carnis Verbique naturam, nisi caro in Christo mansisset: Agnovit itaque Eutyches in Christo naturam carnis.

Probatur major ex Vigilio Tapsensi lib. 3. *Quoniam*, inquit, *Eutychiana hæresis in id impietatis prolapsa est errore, ut non solum Verbi & carnis unam credat esse naturam; verum etiam hanc eamdem carnem non de sacro Mariæ Virginis corpore assumptam, sed de cælo dicat, juxta infandum Valentini & Marcionis errorem fuisse deductam; ita pertinaciter asserens Verbum carnem factum, ut per Virginem, ac si aqua per fistulam transiisse videatur: non tamen ut de Virgine aliquid quod nostri sit generis, assumpsisse credatur: optimum duxi etiam hanc impietatis partem, veritatis assertione destruere.*

Respondeo, Eutychem unam carnis Verbique naturam dixisse, non compositione, quasi carnis integra substantia maneret, sed conversione, vel commixtione. Unde carnis quidem naturam integram agnovit ante unitionem, non vero post unitionem. Id habe-

bemus ex Vigilio lib. 2. ubi ſic Eutychianos alloquitur. *Olim opperiebamur, diutius præſtolati ſumus, unde erroris veſtri rivulus originem trahat, & quo diſcurſum faciat, tandem reperimus Eutychianam amariſſimam hæreſim ex Apollinaris amariſſimo fonte derivatam, uſque ad cœnulentam Arii voraginem turbidis ferri mentibus; quibus in tantum perfidiæ copula jungitur, ut omnia ad Divinitatis copulam referat, quæ Chriſtus ſecundum diſpenſationem carnis aut locutus eſt, aut peregit: dum unam tantummodo Divinitatis contendunt eſſe naturam.* Et poſt hæc Vaſquezius Vigilium figmento ſuo favere glorietur?

Objicies ſecundo Gelaſii teſtimonium *lib. de duabus in Chriſto naturis*, ubi Eutychianorum errores referens hæc habet: *Adhuc autem illud adjiciunt, ut ſicut ex duabus rebus conſtat homo; id eſt, ex anima, & corpore, quamvis utriuſque rei ſit diverſa natura: uſus tamen loquendi, ſingulariter pronuntiet, ſimul utrumque complectens, ut humanam dicat naturam, non humanas naturas: ſic potentiam in Chriſti myſterio, & unitionem Divinitatis atque humanitatis unam dici, vel debere, vel poſſe naturam.* At quamvis natura hominis ſit una, tamen ex duabus naturis compoſita dici poteſt, ex natura ſcilicet corporis & animæ in ſua integritate manentibus. Igitur Eutyches unam agnovit id Chriſto naturam, per compoſitionem ex duabus in propria ſubſtantia manentibus, non per

con.

conversionem unius in alteram.

Confirmatur ex Facundo Hermianensi *lib.* 1. *c.ultim.* ubi de Eutychianis sic loquitur. *In hoc autem quod putantes unam ex duabus factam esse naturam a fundatissima Patrum auctoritate discedunt, videamus si, quemadmodum fidunt, vel secundum sapientiam Mundi constare illis sua ratio potest. Dicunt igitur: Sicut ex duabus naturis, id est, ex anima & carne una composita est Christi natura: & ideo ex duabus quidem, sed non in duabus naturis Christum confitemur.* Compositione igitur, non commixtione, aut confusione, unam in Christo factam esse naturam Eutyches asseruit.

Respondeo, Eutychianos istud unionis animæ & corporis in una hominis natura exemplum attulisse, ut suum loquendi modum aliqua ratione tuerentur: sed illos ultra progressos, asseruisse non solum unam hoc sensu dici posse naturam, sed ita unam esse ut humana non remaneret. Unde Gelasius ait; *Aliud est, quod usitato loquendi compendio, sæpe de qualibet rei parte dicimus, & totum quod est sine dubio profitemur. Aliud cum prorumpit humanæ temeritatis audacia, quæ sic aliquam partem nuncupare contendit, ut quod totum est negare moliatur.*

Idem ex Facundo colligitur asserente, Eutychianos *creatricem naturam creatamque confundere*. Unde cum ait, ipsos *affirmasse Dei Verbi unitatem incommutabiliter simplicem,* cum

cum suscepta humanitate, in unam componi potuisse naturam: ibi compositionis nomen usurpat, quatenus mixtioni etiam convenit. Mixta enim ex naturis eorum quæ miscentur, dicimus composita: quamvis miscibilium naturæ destruantur, & ex iis tertia quædam natura resultet. Duas igitur ante Incarnationem fatebatur naturas Eutyches, sed post Incarnationem, nonnisi unam agnoscebat ex illarum mixtione & confusione resultantem; sicut quoddam ex utraque temperamentum. Hinc Facundus cap. 5. lib. 1. ait: *Jam illud tertium Eutychianis contrarium rectum esse monstremus, quod Dominum nostrum Jesum Christum confitemur in duabus naturis, idest, in Divinitate atque humanitate perfectum.* Hinc etiam lib. 8. cap. 5. hæc verba refert ex Synodica Domni Antiocheni Epistola ad Theodosium: *Apollinaris hæresiarchæ impietatem Eutyches Presbyter renovare pertentat, & Apostolicas labefactare doctrinas, mysterii Incarnationis dogma corrumpens, & Divinitatem Unigeniti & humanitatem, unam naturam vocans, commixtionemque, confusionemque asserens factam, & salutarem passionem ipsi incontaminabili Deitati adnectens.*

Denique quamvis illa Eutychiani commenti explicandi ratio, qua ex duabus naturis una quædam facta dicebatur, eoque composita, sicut ex anima & corpore hominis natura conflatur, inventa sit ac usurpata ab aliquibus ex Eutychiano grege: qui Catholi-

co-

corum disputationibus irretiti ad ista subtilius enucleanda compulsi sunt: non tamen ab Eutyche ipso stupidi ingenii sene reperta est.

Objicies tertio: Eutyches Verbum incarnatum confessus est. Verbum autem incarnatum non fuisset, si carnis extincta fuisset natura commixtione aut conversione. Igitur Eutyches non asseruit carnem mixtione, aut conversione in Divinitatem desiisse, sed integram post unitionem manere.

R. Eutychem Incarnationem verbo tenus confessum fuisse: sed adorandum illud mysterium reipsa evertisse, ut passim ipsi exprobrant SS. Patres, ac unus præ omnibus Leo: & duo hæc adeo pugnantia propugnasse, Verbum scilicet fuisse Incarnatum, & in eo carnis non fuisse naturam post unitionem. Quod mirum Vasquezio videri non debet, cujus objecto male supponit Hæresiarcham illum consequenter locutum & aliqua saltem rationis specie commenta sua obduxisse, cum ejus imperitiam, & vecordiam S. Leo passim sugillet. Audire præstat, quæ de ipso scribit in celeberrima ad Flavianum Epistola: *Eutyches*, inquit, *qui Presbyterii nomine honorabilis videbatur, multum imprudens, & nimis imperitus ostenditur, ut etiam de ipso dictum sit a Propheta: Noluit intelligere ut bene ageret; iniquitatem meditatus est in cubili suo. Quid autem iniquius, quam impia sapere, & sapientioribus, doctioribusque non cedere? Sed in hanc insipien-*

tiam

tiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro; non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas litteras, nec ad Evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt: & ideo Magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris novi & veteris Testamenti paginis acquisivit, qui ne ipsius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regenerandorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur.

Denique Eutychem humanitatis in Christo veritatem negasse, adeoque Incarnationis evertisse mysterium, constat ex Gennadio in appendice ad librum S. Augustini de Hæresibus: *Humanitatis*, inquit, *in Christo denegans veritatem, quidquid a Verbo nostræ proprietatis receptum est divinæ tantummodo adscribit essentiæ, ut Sacramentum salutis humanæ, quod nonnisi in utraque substantia est, nostram in Christo naturam negando dissolveret insulsa impietate, non inspiciens universo corpori auferri, quod capiti defuisset.*

Producuntur Argumenta, quibus Hæresis Eutychiana refellitur.

I. Hanc Hæresim confodiunt Scripturæ Sacræ loca plurima, scilicet cap. 1. S. Evangelistæ Joannis, in quo duplex Verbi

bi divini Nativitas diserte exprimitur æterna ex Patre, his verbis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Temporalis ex matre, his verbis: *Et Verbum caro factum est*. Duplex autem Nativitas naturam probat duplicem. Idem probat ille locus 1. Joannis 5. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ: Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Certe Verbum nisi in assumpta carne tractari non potest. Duplicem pariter Filii Dei naturam Apostolus ad *Romanos* 1. indicat, ita scribens: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*. Et *cap*.9. ubi de populi Judaici prærogativa loquens ait: *Quorum Patres, & ex quibus est Christus; qui est super omnia benedictus Deus in sæcula*. Et ad Philippenses 11. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo*. Ibi formam pro natura sumi, perspicuum est.

II. Eam Hæresim Conciliorum definitiones elidunt. Symbolum Nicœnum, quod asserta Filii Divinitate, mox de suscepta hominis natura subjicit: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit*,

& incarnatus est, & homo factus est, passus est. Chalcedonense Concilium in definitione Fidei pronuntiat, *Christum Dominum nostrum, eumdem perfectum in Deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum, eumdem ex anima rationali & corpore: consubstantialem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem: ante sæcula quidem de Patre genitum secundum Deitatem: in novissimis autem diebus eumdem propter nos, & propter nostram salutem, ex Maria Virgine Dei genitrice, secundum humanitatem, unum eumdemque Christum, Filium, Dominum Unigenitum, duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum. Nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque subsistentiam concurrente.*

Synodus 5. Oecumenica *cap.7. & 8.* anathemate confodit eos, qui duas in Christo manentes naturas confessi non fuerint. Legatur Concilii Hispalensis II. Canon 13. quo duarum naturarum Fides contra Acephalos diserte afferitur.

III. SS. Patres Concilio Chalcedonensi antiquiores Eutychianam Hæresim prædamnarunt, & Catholicæ Fidei dogma de duabus in Christo manentibus naturis docuerunt.

S. Ignatius in Epistola ad Ephesios: „ U-
„ nus (inquit) Medicus est, carnalis, &
„ spi-

„ spiritualis, factus, & non factus; in ho-
„ mine Deus, in morte vita æterna; ex Ma-
„ ria, & ex Deo: primum passibilis, &
„ tunc impassibilis, Dominus noster Jesus
„ Christus.

S. Justinus Martyr in Apologia 2. „ Prin-
„ ceps autem virtus post Patrem omnium &
„ Dominus ac Filius, est Verbum: quod
„ quemadmodum incarnatum homo factum
„ sit, dicemus postea.

S. Iræneus lib.5. cap.14. „ Si non haberet
„ caro salvari, nequaquam Verbum Dei ca-
„ ro factum esset: & si non haberet sanguis
„ Justorum inquiri, nequaquam sanguinem
„ habuisset Dominus.

Origenes Homilia 1. in Ezechielem. „
„ Respondeant mihi Hæretici, qui nativita-
„ tem illius ut phantasma eludunt: Quare
„ Christus Filius hominis appellatur? Ego
„ affirmo Filium hominis ipsum fuisse, nam
„ qui passiones assumpsit humanas, necesse
„ est ut ante passionem susceperit nativita-
„ tem.

S.Dionysius Alexandrinus in Epistola Sy-
nodica ad Paulum Samosatenum. „ Deus ap-
„ paruit in carne, factus ex muliere; qui
„ ex Deo Patre natus est ex utero ante Lu-
„ ciferum, tamquam ex corde Verbum, edi-
„ tum ex Patre; & simplex atque impartibi-
„ le Verbum caro factum est.

Antiochenæ Synodi contra Paulum Samo-
satenum celebratæ Patres in Epistola ad eum

scripta. „ Idcirco corpus ex Maria natum,
„ cum totam Divinitatis plenitudinem ce-
„ pisset, corporaliter Divinitati, sine con-
„ versione, unitum est, & deificatum.

S. Hippolytus Martyr in Oratione de distributione talentorum, *Hæreticos impugnat.* „
„ Qui vel nudum hominem confitentur ap-
„ paruisse Christum in vita, Divinitatis ejus
„ talentum negantes: vel Deum confiten-
„ tes, hominem rursus negant, docentes
„ eum fallaci specie spectantium oculis illu-
„ sisse velut hominem, cum hominem non
„ gestaverit, sed inane potius spectrum fue-
„ rit, sicut Marcion, & Valentinus, &
„ Gnostici, Verbum a carne divellentes,
„ talentum unum, hoc est, Incarnationem
„ objiciunt. „ Istud & alia plura ejusdem sanctissimi Episcopi & Martyris testimonia contra Eutychianos profert Theodoretus Dialogo II. pag. 88. & 89.

S. Athanasius in Epistola ad Epictetum. „
„ Audiant quod si creatura erat Verbum,
„ non assumpsisset creatura corpus, ut illud
„ vivificaret. Quodnam enim Creatori a
„ creatura auxilium esse potest, quæ ipsa
„ quoque auxilio indiget? Sed quia Ver-
„ bum cum esset Creator, ipse creaturarum
„ conditor fuit, ideo in consummatione sæ-
„ culorum creaturam ipse sibi adjunxit ut
„ eam tamquam conditor renovaret ac re-
„ crearet. *Ibidem*: Quomodo autem vel
„ dubitare ausi sunt, qui dicuntur Christia-
„ ni,

„ ni, si Dominus qui ex Maria processit,
„ Filius quidem de substantia naturæ Dei est;
„ quod autem secundum carnem, ex semi-
„ ne David est & carne Sanctæ Mariæ. „
Plura alia S. Athanasii testimonia profert Theodoretus *Dialogo* II. ad dogma de duabus Christi naturis confirmandum.

S. Basilius a Leone laudatus in Epistola ad Leonem Augustum. „ Cum ergo quædam
„ in Christo ita videmus humana, ut nihil a
„ communi mortalium fragilitate distare vi-
„ deantur; quædam ita divina, quæ nulli
„ alii, nisi illi ineffabili naturæ conveniant
„ Deitatis: hæret humani intellectus angu-
„ stia, & quo se convertat, ignorat. Si ho-
„ minem putet, devicto mortis regno cum
„ spoliis redeuntem a mortuis cernit. Pro-
„ pter quod cum omni metu & reverentia
„ contemplandum est, ut in uno eodemque
„ ita utriusque naturæ veritas demonstretur,
„ ut neque aliquid indignum & indecens de
„ divina illa & ineffabili substantia sentiatur:
„ neque rursus, quæ humanitus gesta sunt,
„ falsis illusa imaginibus æstimentur. „ Alia S. Basilii loca laudat Theodoretus *Dialogo* II.

S. Gregorius Nazianzenus in Epistola ad Cledonium: „ Naturæ quidem duæ Deus &
„ homo, quia & anima & corpus: Filii ve-
„ ro nequaquam duo. Neque enim hic duo
„ sunt homines; etiamsi Paulus sic loquitur,
„ cum appellat interiorem hominem & ex-

„ teriorem. At ut summatim dicam, aliud „ quidem & aliud sunt ea ex quibus Salva- „ tor; quia non idem est visibile cum invi- „ sibili, & temporis expers cum tempora- „ neo. Non est tamen alius & alius, absit. „ *Et in oratione in Theophania:* Cum ergo „ processisset ex Virgine Deus, in ea, quam „ assumpserat, humana natura, unum e „ duobus sibi invicem contrariis existens, „ carne & spiritu, aliud in Deum assumi- „ tur, aliud Deitatis gratia..... Missus est „ quidem, sed ut homo. Duplex enim erat „ in eo natura. Inde denique & laboravit ex „ itinere, inde & esuriit, & sitivit, & con- „ tristatus est, & flevit, humani corporis „ lege. „ Alia ejusdem Patris testimonia profert Theodoretus, *Dialogo* 11.

S.Gregorius Nyssenus in *Oratione ad Eunomium*, a Theodoreto laudata ibidem, explicans illa verba Actorum 2. *Dextera Dei exaltatus*, ait: *Quis ergo exaltatus est, humilisne, an Altissimus? Quid est autem humile, nisi humanitas? Quid aliud præter Deum est Altissimus? Atqui Deus exaltatione non indiget, cum sit altissimus. Humanam igitur naturam exaltatam fuisse dicit Apostolus: exaltatam vero, eo quod Dominus & Christus facta sit*. Alia ejusdem testimonia Theodoretus ibidem profert. His suffragatur Amphilochius Iconii Episcopus, cujus insignia testimonia ibidem legere potes.

Theophilus Alexandrinus in Epistola Pascha-

ſchali contra Origenem ; *Unus Filius Patris, noſtrique Mediator, nec æqualitatem ejus amiſit, nec a noſtro conſortio ſeparatus eſt: inviſibilis Deus, & viſibilis homo forma ſervi abſconditus & Dominus gloriæ confeſſione credentium comprobatus. Neque enim privavit eum Pater naturæ ſuæ nomine, poſtquam pro nobis homo, & pauper effectus eſt, nec in Jordane fluvio baptizatum altero appellavit vocabulo, ſed Filium unigenitum: Tu es Filius meus dilectus, Nec ſimilitudo noſtra in Divinitatis eſt mutata naturam, nec Divinitas in noſtræ naturæ verſa eſt ſimilitudinem.* Alia ejuſdem teſtimonia referunt Theodoretus *Dialogo* 12. & S.Leo in Epiſtola ad Leonem Auguſtum.

S.Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. *Si phantaſia eſſet Incarnatio, ſpectrum quoque eſſet ſalus. Duplicis naturæ fuit Chriſtus: homo quidem, quod videbatur; Deus autem quod non apparebat: comedens quidem ut homo vere, ſicut nos, habebat enim carnis ſimiles nobis affectiones: quinque autem panibus quinque millia paſcens ut Deus: dormiens in navi ut homo, & ambulans per aquas ut Deus.*

S. Joannes Chryſoſtomus in Homilia de Aſcenſione Domini: *Nam ſicut duobus jurgio ſeparatis unus in medio poſitus altercantium litem diſcordiamque diſſolvit: ita & Chriſtus nobis fecit. Deus nobis juſte iraſcebatur, & nos contemnebamus iratum, & clementem*

Dominum declinabamus : & se medium Christus ingessit, & sociavit utramque naturam, & nobis quod imminebat a Patre supplicium, ipse sustinuit. Alia ejusdem testimonia legi possunt apud Theodoretum *Dialogo* 2. & apud S.Leonem in Epistola ad Leonem Augustum.

S.Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Nestorium. „ Non enim dicimus quod Dei na-
„ tura conversa vel immutata, facta sit ca-
„ ro; nec quod in totum hominem, qui est
„ ex anima & corpore, transformata sit; sed
„ illud magis, quod carnem animatam ani-
„ ma rationalis sibi copulaverit, Verbum sub-
„ stantialiter, & ineffabiliter factus sit ho-
„ mo, & nuncupatus sit etiam filius homi-
„ nis, non nuda tantummodo voluntate, sed
„ nec assumptione sola personæ; sed quod
„ diversæ quidem naturæ in unum convene-
„ rint, unus tamen ex ambabus Christus &
„ Filius, non evacuata aut sublata diversi-
„ tate naturarum per conjunctionem, sed quia
„ simul nobis effecerunt unum Dominum, &
„ Christum, & Filium, id est, Divinitas &
„ humanitas, per arcanam illam ineffabilem-
„ que copulationem ad unitatem. *Et infra*:
„ Ita Christum unum & Dominum confite-
„ mur, non tamquam hominem cum Verbo
„ coadorantes, ne divisionis quædam spe-
„ cies inducatur; sed unum jam & eumdem
„ adorantes: quia non est alienum a Verbo
„ corpus suum, cum quo ipsi etiam assidet
„ Pa-

„ Patri. „ Alia ejusdem Sanctissimi Doctoris testimonia lege apud S. Leonem & Theodoretum locis laudatis.

S. Hilarius lib. 9. de Trinitate. „ Nescit „ plane, vitam suam nescit, qui Jesum „ Christum ut verum Deum, ita & verum „ hominem ignorat: & ejusdem periculi res „ est, Christum Jesum vel Spiritum Deum, „ vel carnem nostri corporis denegare.... „ Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ „ constitutus, ipso illo inter Deum & homi„ nes Mediatoris Sacramento utrumque unus „ existens, dum ipse ex unitis in idipsum „ naturis, naturæ utriusque res eadem est: „ ita tamen ut neutro careret in utroque ne „ forte Deus esse homo nascendo desineret, „ & homo rursus Deus manendo non esset. „ Hæc itaque humanæ beatitudinis Fides ve„ ra est, Deum & hominem prædicare, ver„ bum & carnem confiteri: Neque Deum „ nescire, quod homo sit, neque carnem „ ignorare, quod Verbum sit. „ Alia ejusdem Patris insignia testimonia legantur apud Theodoretum & S.Leonem locis laudatis.

Idem dogma Fidei asserunt S Hieronymus in Matthæi cap. ult. Rufinus in Symbolum, S.Paulinus Epist. 4. & 24.

S. Ambrosius lib. 2. de Fide ad Gratianum. „ Sileant igitur inanes de sermonibus „ quæstiones, quia regnum Dei, sicut scri„ ptum est, non in persuasione verbi est, sed „ in ostensione virtutis: servemus distinctio-

 „ nem

„ nem Divinitatis & carnis. Unus in utro„ que loquitur Dei Filius, quia in eodem „ utraque natura est. Et si idem loquitur, „ non uno semper loquitur modo. Intende „ in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis „ passiones. Quasi Deus loquitur quæ sunt „ divina, quia Verbum est: quasi homo di„ cit quæ sunt humana, quia in mea substan„ tia loquitur.

Et lib. *de Incarnatione Domini* contra Apollinaristas. „ Sed dum hos redarguimus, e„ mergunt alii, qui carnem Domini dicant „ & Divinitatem unius esse naturæ. Quæ „ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? „ Jam tolerabiliores sunt Ariani, quorum „ per istos perfidiæ robur adolescit, ut ma„ jore contentione asserant Patrem, & Fi„ lium, & Spiritum Sanctum, unius non „ esse substantiæ, quia isti Divinitatem Do„ mini & carnem substantiæ unius dicere „ tentaverunt. „ Plura alia non minus luculenta S. Ambrosii testimonia Theodoretus & S. Leo contra Eutychianos proferunt, locis laudatis.

S. Augustinus in Epistola ad Volusianum. *Nunc vero ita inter Deum & homines Mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, & solita sublimaret insolitis; & insolita solitis temperaret.*

Leporius in Libello Emendationis, quem sub nomine S. Augustini Theodoretus & S. Leo laudant. „ Confitemur Dominum ac „ Deum

„ Deum noſtrum Jeſum Chriſtum, unicum
„ Filium Dei, qui ante ſæcula natus ex Pa-
„ tre eſt, noviſſimo tempore de Spiritu S. &
„ Maria ſemper Virgine factum, hominem
„ Deum natum: & confitentes utramque ſub-
„ ſtantiam carnis & Verbi, unum eumdem-
„ que Deum atque hominem pia Fidei cre-
„ dulitate ſuſcipimus: & ex tempore ſuſce-
„ ptæ carnis, ſic omnia dicimus, quæ erant
„ Dei, tranſiſſe in hominem, ut omnia quæ
„ erant hominis in Deum venirent;& hac in-
„ telligentia Verbum factum ſit caro, non ut
„ converſione, aut mutabilitate aliqua cœ-
„ perit eſſe quod non erat; ſed ut potentia
„ divinæ diſpenſationis Verbum Patris, num-
„ quam a Patre diſcedens, homo proprie
„ fieri dignaretur; incarnatuſque ſit Unigeni-
„ tus ſecreto illo myſterio, quod ipſe novit.
„ Novit enim ſine ſui corruptione miſceri.
„ Abſit ita credere, ut conflatili quodam ge-
„ nere duas naturas in unam arbitremur reda-
„ ctas eſſe ſubſtantiam. Hujuſmodi enim
„ commixtio, partis utriuſque corruptio eſt.
„ Naſcitur ergo nobis proprie de Spiritu
„ Sancto, & Maria ſemper Virgine Deus
„ homo Jeſus Chriſtus Filius Dei, ac ſic in
„ alterutrum unum ſit Verbum & caro, ut
„ manente in ſua perfectione naturaliter u-
„ traque ſubſtantia, ſine ſui præjudicio, &
„ humanitati divina communicent; & Divi-
„ nitati humana participent; nec alter Deus,
„ alter homo; ſed idem ipſe Deus, qui &

„ homo, & viciſſim homo, qui & Deus Je-
„ ſus Chriſtus, unus Dei Filius & nuncupe-
„ tur, & vere ſit.

Ejuſdem Catholici dogmatis de duabus Chriſti naturis in unam perſonam convenientibus, & poſt unitionem ſine ulla confuſione remanentibus, Fidem confirmant Capreolus Carthaginenſis in *Epiſtola ad Vitalem & Conſtantium*, & Caſſianus paſſim in Opere de *Incarnatione*, & præſertim *lib. 3. cap. 5.*

S. Leonem appellaſſe ſatis eſt, qui Chalcedonenſe Concilium in cauſſa Fidei confirmavit & duarum in Chriſto naturarum confeſſionem ſcriptis doctiſſimis expoſuit. Ex variis ejus Epiſtolis & Sermonibus, illam tantum laudo celeberrimam Epiſtolam ad Flavianum, quæ a Synodo Chalcedonenſi, ut diximus, approbata eſt. Unum ex ea locum proferre ſit ſatis. „ Salva igitur proprietate utriuſque
„ naturæ & ſubſtantiæ (*inquit*) & in unam
„ coeunte perſonam, ſuſcepta eſt a majeſta-
„ te humilitas, a virtute infirmitas, ab æter-
„ nitate mortalitas: & ad reſolvendum con-
„ ditionis noſtræ debitum, natura inviolabi-
„ lis naturæ eſt unita paſſibili: ut quod noſtris
„ remediis congruebat, unus atque idem
„ Mediator Dei & hominum, homo Jeſus
„ Chriſtus, & mori poſſet ex uno, & mori
„ non poſſet ex altero. In integra ergo veri
„ hominis perfectaque natura verus natus eſt
„ Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. No-
„ ſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio
„ Crea-

„ Creator condidit, & quæ reparanda su-
„ scepit.

„ *Et infra*: Sicut Deus non mutatur mise-
„ ratione, ita homo non consumitur dignita-
„ te. Agit enim utraque forma cum alterius
„ communione quod proprium est; Verbo
„ scilicet operante quod Verbi est, & carne
„ exequente quod carnis est. Unum horum
„ coruscat miraculis, aliud succumbit in-
„ juriis,

IV. Multiplici ratione ex Incarnationis Dominicæ veritate petita Eutychianos impugnarunt SS. Patres. Primam ex ipsa unitionis voce arcessiverunt. *Unitio* enim *est duarum* naturarum; *non cujuslibet alterius abolitio* (inquit Gelasius *lib. contra Eutychem*) Unitio autem Verbi cum carne ex hoc Scripturæ Sacræ oraculo habetur; *Verbum Caro factum est*.

Secunda ratio hæc est. Si ex duabus naturis unica in Christo facta esset, nec humana illa esset, nec divina; adeoque Christus nec Deus esset nec homo; nec Patri, nec Matri consubstantialis. Sic ratiocinatur Leontius apud Euthymium in *Panoplia* part. 2. tit. 15.
„ Simplex natura compositæ naturæ non con-
„ consubstantialis. Quare si simplex natura
„ Patris est, Filii vero composita, non erit
„ consubstantialis Patris natura naturæ Filii,
„ Atqui consubstantialem Patri Christum, &
„ eumdem nobis consubstantialem profiteri
„ se simulant. Dicant igitur an fieri possit,
„ ut una & composita natura Christi ex toto
„ sit

„ sit Patri consubstantialis, & sit eadem tota
„ nobis: & an non istud ad eamdem nos cum
„ Patre substantiam evehat.

Tertia ratio hæc est, quod nec Divinitas in carnem mutari potuerit, nec humana in Deitatem transire natura. Ita ratiocinatur. Gelasius: „ Etenim si aliquid, quod absit,
„ vel Divinitatis, vel humanitatis inde de-
„ cesserit, sequitur ineffabilis resolutio Sa-
„ cramenti; & quod dictu audituque fugien-
„ dum est, vel homo Deus esse jam desinat,
„ si sola illic humanitas, non etiam Deitas
„ perseverat: vel Deus homo consequenter
„ esse desistat, si sola illic Divinitas, non
„ etiam humanitas unita permaneat. Nec
„ glorificata videatur nostra conditio unitio-
„ ne Deitatis, sed potius esse consumpta, si
„ non eadem subsistit in gloria; sed sola exi-
„ stente Deitate, humanitas illic esse jam
„ destitit. Videtur autem Divinitas in utro-
„ que mutabilis, si vel in carnem est ipsa
„ conversa; vel sic est in Deitatem humani-
„ tatis transfusa conditio, ut proprietas ejus
„ esse desierit. Si enim ex seipsa ex toto
„ jam non est, restat ut accesserit, accreve-
„ ritque Deitati, sic in Deitatis naturam
„ transeundo, ut esse destiterit prorsus huma-
„ nitas: ubi modis omnibus divina substantia
„ mutabilitatem recipere judicetur; quæ cum
„ nec minui possit omnino, nec crescere, tran-
„ sfusione humanitatis adjectæ velut aucta
„ videatur.

Quarta ratio hæc eſt, quod naturæ uni ſimplici contrariæ proprietates non conveniunt; cujuſmodi inſunt Chriſto Domino. Ita Ephræmius, in Bibliotheca Photii, Cod. 229. *Si in contrariis proprietatibus horum utriuſvis natura ſpectatur, carnis, inquam, & Divinitatis, quinam duæ ſunt una natura?* Quod ratiocinium laudat ex S. Gregorio Nyſſeno adverſus Apollinarem ſcribente.

Objiciebant Eutychiani effatum illud evangelicum: *Verbum caro factum eſt*: & ex eo Verbum in carnem converſum, vel carnem ipſam a Verbo fuiſſe conſumptam colligebant.

Reſpondent SS. Patres, Verbum carnem factum eſſe, non converſione in carnem, non commixtione, & confuſione; ſed unitione & aſſumptione; ſicut Chriſtus in Scriptura dicitur factus pro nobis maledictum & peccatum, quia maledictum in ſe ſuſcepit, & peccata noſtra pertulit non quod in execrationem & peccatum ſit converſus. Ita locum illum ex S. Athanaſio explicat Theodoretus, *Dialogo* II. Ita S. Gregorius Nazianzenus in Epiſtola ad Cledonium. Ita S. Ambroſius lib. de Incarnatione, cap. 6. *Deſinat*, inquit, *dicere naturam Verbi in corporis naturam eſſe mutatam; ne pari interpretatione videatur natura Verbi in in contaginm mutata peccati.*

Addunt Patres, caviſſe Spiritus Sancti providentiam, ne verba illa Sancti Joannis mixtionis confuſioniſque falsam quamdam ſpeciem imperitorum animis ingererent, ſubje-

ctis

ctis illis vocibus, *Et habitavit in nobis*. Ita S. Chrysostomus Homilia 11. in Joannem. „ Ut intelligas (*inquit*) ob id unum scriptum „ esse, Factum est, ne apparentem speciem „ suspiceris, audi ut in sequentibus orationem „ suam repurgat, ac pravam illam suspicio- „ nem evertit. Quid enim subjicit? Et ha- „ bitavit in nobis, tamquam sic te alloquere- „ tur: Vide ne quid absurdi suspiceris ex il- „ la voce Factum est. Non enim mutationem „ illa immutabilis illius naturæ significat: „ sed habitationem & commorationem. Por- „ ro id quod habitat, non est idem cum eo „ quod habitatur, sed diversum. Non alte- „ rum habitat in altero, alioqui non esset „ habitatio. Nihil enim in seipso habitat. „ Ceterum alterum dixi substantia. Quippe „ unitione & copulatione unum est Deus „ Verbum & caro: ita ut non confusio, vel „ extinctio ulla substantiarum acciderit: sed „ inexplicabilis quædam & omnem dicendi „ facultatem superans unitio,

Verbum ita carnem factum esse ut ne levissima quidem perstringeretur mutationis aura, eleganti exemplo S. Augustinus explicat Sermone 23. de Tempore. „ Nemo ergo cre- „ dat Dei Filium coæternum & coæqualem „ conversum & commutatum esse in hominis „ Filium: sed potius credamus, & non con- „ sumpta divina, & perfecte assumpta huma- „ na substantia, manentem Dei Filium, fa- „ ctum hominis filium. Neque enim quia „ di-

„ dictum est. Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est; sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus, quando in ipsa carne, quod Verbum caro factum est Emmanuel natum est, nobiscum Deus. Sicut verbum quod corde gestamus, fit vox, cum id ore proferimus; non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro ista in qua procedat, assumitur, ut & intus maneat quod intelligatur, & foris sonet quod audiatur: hoc idem tamen profertur in sono quod ante sonuerat in silentio; atque ita verbum cum fit vox, non mutatur in vocem, sed manens in mentis luce & assumpta carnis voce, procedit ad audientem, & non deserit cogitantem.

Objiciebant Eutychiani auctoritatem Julii Romani Episcopi duarum naturarum professionem convellentis in Epistola ad Dionisium Corinthiorum Episcopum his verbis: *Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare; ac in divinam quidem baptizari; in humanam vero non baptizari.*

Respondet Leontius *lib. de Sedis Actione* 8. Illam Epistolam non esse Julii Romani Episcopi; quod ex multis evincit. Primo, quia „ Si quis eam subtiliter consideret, nihil Julii nomine dignum habeat. Deinde quod in eadem Epistola, corporis mentione facta, nusquam id mente præditum, vel animatum dixerit. Erat autem in more Patrum illius sæculi, ut sicubi corporis men-

„ tio-

„ tionem facerent, idipſum mente prædi-
„ tum, animatumque dicerent. Quod qui-
„ dem uſque adeo verum eſt, ut reformidan-
„ tibus eis hoc crimen, ideoque deinceps
„ illas voces, mente præditum, & anima-
„ tum adjicientibus, nulli poſteriorum libri
„ reperiantur, qui hanc Veterum appendi-
„ cem non habeant. Præterea inde etiam
„ non B. Julii, ſed Apollinaris eſse demon-
„ ſtratur, quod Nyſsenus ille Gregorius in
„ Opere contra Apollinarem, aperte multa
„ recitet, quæ hac Epiſtola continentur, ea-
„ que velut prava refutet. Poteſt & aliunde
„ convinci quod B. Julii non ſit. Ajunt enim
„ Actis Synodi Epheſinæ ſub B. Cyrillo in-
„ ſertam: quod quidem aperte mentiuntur.
„ Nam ibi nihil tale in textu reperitur: ſed
„ alia quædam inſerta eſt Epiſtola velut a Ju-
„ lio ſcripta, nec ipſa Julii, ſed Timothei
„ (*Apollinariſtæ*) quemadmodum de multis
„ exemplaribus intelligi poteſt.

Et in alio Fragmento adverſus Apollinari-
ſtas Patrum depravatores; „ Quidam (inquit)
„ ex hæreſi Apollinaris, vel Eutychis, vel
„ Dioſcori, cum vellent ſuam hæreſim con-
„ firmare, quaſdam Orationes Apollinaris
„ Gregorio Thaumaturgo, aut Athanaſio,
„ aut Julio inſcripſerunt, ut ſimpliciores fal-
„ lerent .... Et apud multos ex recte creden-
„ tibus, reperire poteris librum Apollinaris
„ cui titulus, Fides particularis, inſcriptum
„ Gregorio, & quaſdam ejus Epiſtolas inſcri-

„ ptas

„ ptas Julio, &c. „ Perperam vero Gennadius *in Catalogo Virorum Illustrium*, laudatam Epistolam Julio tribuit.

Secundo responderunt Patres, si hæc Epistola Julii esset, par esse credere, ipsum naturæ nomen pro persona usurpasse, cum duas in Christo negavit esse naturas. Ita Eulogius Alexandrinus Patriarcha apud Photium Codice 230. „ Si vero quis contendat Julium in Christo unam naturam „ dicere: Primum quidem numquam clarum „ si genuinus hic sermo. Secundum par est „ cognoscere, ut posterius Julio apud Romanos, naturæ & hypostaseos studiose nomen „ indicavit, & frustra hæretica zizania semen „ ibidem student suffocare. In indicatis enim „ vocibus manentibus non obviam ivit impietas, potius valde consequens, pro hypostaseos, voce naturæ uti.

Objiciebant Eutychiani S. Cyrilli Alexandrini auctoritatem, dicentis, Post adunationem non esse duas naturas, sed *Unam naturam Verbi incarnatam*, vel unam naturam Filii Incarnati, quod & Sanctus Athanasius ante Cyrillum scripsit. Cyrilli sententia legitur in ejus Epistola ad Acacium Melitinensem. „ Quamobrem (inquit) dum ea, ex quibus „ unus est, & solus Filius ac Dominus Jesus „ Christus, cogitatione, intelligentiaque concipimus, naturas duas unitas esse dicimus: „ post unitionem vero, tamquam sublata jam „ in duo partitione, unam esse credimus Fi-

„ lii

„ lii naturam; verum inhumanati & incarna-
„ ti. Et in Epistola 1. ad Succesſum. Post
„ unitionem (inquit) non dividimus naturas
„ a ſe mutuo, neque in duos ſecamus filios
„ illum, qui unus eſt & individuus. Sed unum
„ dicimus Filium, & quemadmodum locu-
„ ti ſunt Patres, unam naturam Dei Verbi
„ incarnatam.

Reſpondetur, hanc loquendi formulam a S. Cyrillo uſurpatam, Eutychianis minime favere. immo aptiſſimam eſſe ad Eutychetis ac Neſtorii confodiendas hæreſes. Cum enim *Vnam* dicit *naturam Verbi*, perſonæ in Chriſto ſingnificatur; φύσεως enim vocabulum pro natura uſurpat ibi S. Cyrillus, & naturas poſt unitionem diviſas eſſe negat, ſive ſeparatim ſubſiſtentes, ut Neſtorius contendebat: cum autem addit, *Incarnatam*, ſignificat carnem unitam eſſe hypoſtatice Verbo, adeoque a Verbo diſtinctam, quo loquendi modo perimitur Eutychianus error confuſionem afferens naturarum. Præſtat audire S. Cyrillum, qui in 2. ad Succeſſum Epiſtola, calumniam omnem a ſuis illis vocibus amolitur. „ Si
„ enim (inquit) unam naturam dicentes,
„ Verbi Dei tacuiſſemus, non inferentes in-
„ carnatam, ſed velut abjicientes diſpenſa-
„ tionem, erat illis forſitan non improbabi-
„ lis ſermo ſimulantibus interrogare; Ubi
„ eſt in humanitate perfectio, aut quomodo
„ ſubſtantia noſtra ſubſiſtit? Quoniam vero,
„ & perfectio quæ in humanitate eſt, & eſ-
„ ſen-

„ sentiæ nostræ manifestatio, illata est per
„ id quod dictum est, Incarnati, jam desi-
„ nant, arundineam virgam sibi supponen-
„ tes.

Hanc quoque S.Cyrilli sententiam ad Eutychianos refellendos valere plurimum ostendunt Gelasius lib. contra Eutychem, S. Maximus Martyr in Tractatu, *De Expositione vocum quarumdam, quibus utitur Ecclesia, cum de Christo agitur*: Eulogius Alexandrinus Patriarcha apud Photium Cod. 230. & Ephræmius Antiochenus apud eumdem Codice 29. quorum testimonia descripta sunt superius.

Joannes Maxentius in libro contra Acephalos, eamdem loquendi formulam ab errore vindicat his verbis. „ At si voluerint dice-
„ re, Verbum Incarnatum, sive unam na-
„ turam Dei Verbi Incarnatam, eo ipso quo
„ hoc dicunt, duas proculdubio dicere con-
„ vincuntur in Christo naturas, duarumque,
„ non unius nomina naturarum, ejus videlicet
„ qui incarnatus est, id est, Verbi Dei; &
„ ejus quæ ab ipso assumpta est; id est, car-
„ nis .... Quemadmodum si dicatur anima
„ incarnata, sive una natura animæ incarna-
„ tæ, *duæ naturæ diversæ significantur, in*
„ *quibus homo subsistit. Et Anathematismo*
„ I. Si quis non confitetur in Domino nostro
„ Jesu Christo duas naturas unitas, hoc est,
„ Divinitatis & humanitatis; ac sic unam na-
„ turam Dei Verbi incarnatam, sicut duas
„ uni-

„ unitas in una substantia atque persona, se-
„ cundum quod nobis tradidit veneranda Sy-
„ nodus Chalcedonensis, anathema sit.

His concinit Petrus Ciaconus lib. *de Incarnatione*, cap. 2. „ Nec illis (inquit) acquie-
„ scentes, qui unam Dei Verbi naturam in-
„ carnatam prædicantes, venerabilis Chal-
„ cedonensis Concilii Fidem refugiunt: nec
„ illos admittentes, qui duas naturas dolose
„ pronuntiantes, unam Dei Verbi naturam
„ Incarnatam minime confitentur, æstiman-
„ tes hoc duarum naturarum professioni con-
„ trarium: quasi aliquid aliud quam duas na-
„ turas ineffabiliter unitas, una Dei Verbi
„ natura incarnata significet.

Objici possunt Patrum testimonia, qui mixtionis nomen usurparunt, agendo de Incarnatione. Sic enim Tertullianus Apologetici cap. 12. *Nascitur*, inquit, *homo Deo mixtus*. S. Augustinus in *Epistola ad Volusianum*, ait, personam Christi *Mixturam esse Dei & hominis*, sicut persona hominis *Mixtura est animæ & corporis*. Leporius Presbyter in Libello suæ emendationis ab Ecclesia Africana probato, ait *Filium Dei incarnatum esse, & immixtum*. S. Leo Sermone 3. in Natali Domini: *Non sic*, inquit, *natura humana in societatem sui Creatoris est assumpta, ut ille habitator, & illa habitaculum esset; sed ita ut naturæ alteri altera misceretur*. Sicut ergo mixtione liquorum fit unus liquor, ita mixtione naturarum, una natura facta est.

Re-

Respondeo cum S. Cyrillo *lib. 1. adversus Nestorium, cap. 3.* Mixtionis nomen Patres quosdam usurpasse, cum de naturarum duarum unitione in Christo sermonem fecerunt, non eo quod sumitur sensu, cum liquores dicuntur misceri, ut scilicet eorum destruatur natura, & unus in alterum, vel ambo in tertium quemdam transmutentur: *Sed ea voce sunt abusi, cum summam unionem ostenderunt,* inquit S. Cyrillus.

Resp. 2. iisdem verbis quibus Photius Eulogii testimonio respondet, easdem voces usurpanti. „ Utitur (inquit) Verbo mixtio- „ nis, pie quidem, sed non utitur secun- „ dum insanum Apollinarem, quomodo hac „ voce sit utendum testatus, neque secun- „ dum audacem Eutychem, sed ut lex pie- „ tatis permittit: ut qui nosset unum Filium „ Dominum nostrum Jesum Christum, decla- „ rare duabus naturis indivisis & inconfusis „ constare in perfecta humanitate, & per- „ fecta Divinitate: ut permixtio, secundum „ illum, confusionem non significet, neque „ inducat divisionem vocis in duo.

Tertullianus mixtionis nomen pio etiam sensu usurpat, ut summam duorum in sua integritate manentium unionem significat, non quatenus confusionem indicat. Prestat ipsum audire *lib. contra Praxeam, cap. 27.* dicentem: „ Ceterum Deum immutabilem „ & informabilem credi necesse est, ut æter- „ num. Trasfiguratio autem interemptio est

„ pri-

„ pristini: omne enim quod transfiguratur
„ in aliud, desinit esse quod fuerat, & in-
„ cipit esse quod non erat. Deus autem ne-
„ que desinit esse, neque aliud potest esse.
„ *Et infra*: Si enim Sermo ex transfigura-
„ tione & demutatione substantiæ caro factus
„ est, una jam substantia Jesu ex duabus,
„ ex carne & spiritu mixtura quædam, ut
„ electrum ex auro & argento. Et incipit
„ nec aurum esse, id est Spiritus; nec ar-
„ gentum, id est, caro, dum alterum
„ altero mutatur, & tertium quid effici-
„ tur. Neque ergo Deus homo. Caro enim
„ non proprie est, qui Sermo fuit. Ita ex
„ utroque neutrum est. Aliud longe tertium
„ est quam utrumque. Sed enim invenimus
„ illum directo & Deum & hominem expo-
„ situm, ipso hoc Psalmo suggerente: Quo-
„ niam Deus homo natus est in illa, ædifi-
„ cavit eam voluntate Patris. Certe usque-
„ quaque Filium Dei & filium hominis,
„ cum Deum & hominem sine dubio, se-
„ cundum utramque substantiam, in sua
„ proprietate distantem: quia neque sermo
„ aliud quam Deus, neque caro aliud quam
„ homo. Sic & Apostolus de utraque ejus
„ substantia docet: qui factus est, inquit,
„ ex semine David, hic erit homo & filius
„ hominis, qui definitus est Filius Dei se-
„ cundum spiritum. Hic erit Deus & ser-
„ mo Dei Filius. Videmus duplicem statum,
„ non confusum, sed conjunctum in una per-
„ sona

„ sona Deum & hominem Jesum. Et adeo „ salva est utriusque proprietas substantiæ, ut „ & spiritus res suas egerit in illo, id est, vir- „ tutes, & opera, & signa: & caro passio- „ nes suas functa sit, esuriens sub Diabolo, „ sitiens sub Samaritide, flens Lazarum, an- „ xiusque ob mortem: denique & mortuus „ est. Quod si tertium quid esset ex utroque „ confusum, ut electrum, non tam distin- „ cta documenta paterent utriusque substan- „ tiæ.

S. Augustinus mentem satis explicat suam loco laudato. „ Sicut (inquit) in unitate „ personæ anima unitur corpori, ut homo „ sit: ita in unitate personæ Deus unitur ho- „ mini, ut Christus sit. In illa ergo perso- „ na mixtura est animæ & corporis: in hac „ persona mixtura est Dei & hominis: si ta- „ men recedat auditor a consuetudine cor- „ porum, qua solent duo liquores ita com- „ misceri, ut neuter servet integritatem „ suam: quamquam & in ipsis corporibus „ aeri lux incorrupta misceatur. *Et infra*: „ Si tamen (inquit) mixtionis vel mixturæ „ nomen non indigne ad ista admittitur, pro- „ pter consuetudinem corporalium rerum „ longe aliter se habentium, aliterque no- „ tarum.

Seipsum etiam explicat Leporius, post verba laudata statim addens: „ Non tamen quia „ Incarnatus dicitur & immixtus, diminu- „ tio ejus est accipienda substantiæ. Novis

„ enim ſine ſui corruptione miſceri, & ta-
„ men in veritate miſceri. Novit in ſe ita
„ ſuſcipere, ut nihil ei creſcat augmenti:
„ ſicut ſeipſum novit totum infundere, ut
„ nihil accidat detrimenti. Non ergo ad in-
„ telligentiam imbecillitatis noſtræ, ſecun-
„ dum experimentorum viſibilia documen-
„ ta, facientes conjecturam de æqualibus
„ ſe invicem ingredientibus creaturis, pu-
„ temus Deum hominemque commixtum,
„ & tali confuſione carnis & Verbi quaſi ali-
„ quod corpus effectum, &c.„ Lege inſi-
gne Leporii teſtimonium inter probationes.

Denique mixtionis nomen intimam unionem ſignificat apud S. Leonem, non confuſionem naturarum, & ad perſonarum dumtaxat diverſitatem excludendam uſurpatur, ut integer iſtius loci contextus oſtendit. „
„ Hic enim (inquit) mirabilis ſacræ Virgi-
„ ginis partus, vere humanam, vere divi-
„ nam una edidit prole naturam: quia non
„ ita proprietates ſuas tenuit utraque ſubſtan-
„ tia, ut perſonarum in eis poſſit eſſe diſcre-
„ tio: nec ſic natura in ſocietatem ſui Crea-
„ toris eſt aſſumpta, ut ille habitator, & illa
„ habitaculum eſſet: ſed ita ut naturæ alteri
„ altera miſceretur. Et quamvis alia ſit quæ
„ ſuſcipitur, alia vero quæ ſuſcipit; in tan-
„ tam tamen unitatem convenit utriuſque
„ diverſitas, ut unus idemque ſit Filius, qui
„ ſe, & ſecundum quod verus eſt homo, Pa-
„ tre dicit minorem; & ſecundum quod ve-
„ rus

„ rus est Deus, Patri profitetur æqualem.

Objiciebant Eutychiani verba S.Cyrilli in secunda ad Successum Epistola dicentis, Naturarum differentiam post unitionem, sola cogitatione dividi.

Respondeo, hæc Eutychianis non favere. Non enim significat his verbis S. Cyrillus ita misceri & confundi proprietates naturarum, ut nonnisi una quæpiam esset in Christo, vel composita natura: sed separatas, & a se mutuo distractas non subsistere, ut affectione sola, vel habitudine, non substantivo aliquo, & unum per se faciente nexu, ac vinculo, secum invicem hærerent: quæ fuit Nestorii hæresis. Hinc animæ & corporis exemplum profert S.Cyrillus, quæ pariter sola ratione divisa post unitionem asserit, quia seorsim non subsistunt, quamvis compertum sit distinctam esse reipsa corporis, animæque substantiam: sed longe aliud est distinctio, aliud divisio, & sectio. En S.Cyrilli verba: „
„ Sed ignorant, quæcumque non sola mentis
„ consideratione distingui solent, ea prorsus
„ etiam in diversitatem distinctam omnifa-
„ riam, ac privatim a se mutuo segregari.
„ Sit rursus nobis in exemplum homo nostri
„ similis. Duas namque in eo naturas intel-
„ ligimus, unam animæ, alteram corporis.
„ Sed cum sola discreverimus intelligentia,
„ & differentiam subtili contemplatione,
„ seu mentis imaginatione conceperimus,
„ non tamen seorsim ponimus naturas, ne-

 „ que

„ que illis in totum per divisionem virtutem
„ immittimus, sed unius hominis esse intel-
„ ligimus, ita ut illæ duæ jam non sint duo,
„ sed utraque animal unum absolvatur.
„ Quamvis igitur in Emmanuel humanitatis
„ naturam ac Divinitatis dicant: ipsa tamen
„ humanitas propria facta est Verbi, unus-
„ que cum ipsa Filius intelligitur.

„ *Et infra*: Igitur ea ex quibus est unus,
„ & solus Filius, & Dominus Jesus Christus
„ tamquam intelligentia concipientes, duas
„ quidem naturas unitas asserimus: post unio-
„ nem vero tamquam sublata jam illa in duo
„ divisione, unam esse credimus Filii natu-
„ ram, tamquam unius, sed hominis facti,
„ & incarnati.

Objiciebant Eutychiani duos esse Christos, seu duas in Christo personas, si duæ sint naturæ.

Respondet Gelasius: „ Grandem esse eo-
„ rum cæcitatem, qua non vident, non duos
„ Christos per hæc posse depromi, ex quibus
„ integer Christus existit, & sine quarum
„ unaquaque substantia integer non possit o-
„ stendi: sed ipsi potius (inquit) se non in-
„ tegrum Christum confitentur adstruere,
„ cum in eodem Sacramento aliquid de iis,
„ quibus integer constat, conantur abstrahe-
„ re .... Numquidnam cum homo ex anima
„ constet & corpore, quorum duas naturas esse
„ non dubium est, non adunatione naturali una
„ persona, & unus est homo? Amplius dici-
„ mus;

„ mus; certe & interiorem hominem, & ex-
„ teriorem Scripturæ divinæ ſæpe teſtatur au-
„ ctoritas: & tamen non ideo duo homines in
„ uno, ſed una perſona, & unus eſt homo: Un-
„ de interior, & exterior ad ſignificantiam di-
„ citur qualitatum, non ad evidentiam perſo-
„ narum duarum. Quanto magis in illa ineſ-
„ fabili adunatione, indiviſibili numquamque
„ ſolvenda, ſicut ſalva proprietate utriuſque
„ naturæ, ex quibus hoc myſterium conſtare
„ non dubium eſt, & ſine quibus conſtare non
„ poſſe manifeſtum eſt: ſicut una eademque
„ perſona eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſic
„ integer, ſic unus, ſic verus Chriſtus eſt?
„ Et magis unus non eſt, ſi integer non eſt:
„ quia ſublata parte ex iis quibus integer ap-
„ probatur, dimidius videbitur eſſe, non in-
„ teger. Et ſicut integer non eſt, ſic verus
„ non eſt: ſi verus non eſt, falſus apud eos
„ Chriſtus eſſe convincitur.

Eidem objectioni ſubtiliter Vigilius Tapſenſis reſpondet lib. 1. exemplo adducto trium Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonarum: ſunt enim quædam propria Patris, quæ nec ad Filium, neque ad Spiritum Sanctum pertinent. Et ita de aliis perſonis. Si ergo hæ tres perſonæ habentes ſingulæ proprietates ſuas, quibus diſtinguantur, non quibus ſeparentur, unus eſt Deus: quomodo Filius, ſalva naturæ utriuſque proprietate, non unus eſt Chriſtus?

Secundo profert exemplum hominis, in- quo

quo proprietatum distinctio duplicem personam non infert. Exempli gratia, constat homo quinque sensibus, qui ita officii sui proprietatem naturaliter obtinent, ut nihil secum habeant commune, nihil sibi alterius valeant vindicare. Visus ita ministerii sui proprium gerit officium, ut nec audire nec odorari, nec gustare, nec contrectare possit, & ita de aliis. Et cum sint hæ omnes membrorum species tam diversa, tam discretæ, ita naturalibus proprietatibus substitutæ, nihil communionis, nihil Societatis ad se invicem habeant, sed privato quodam, & solitario jure, propriæ functionis ministerium impleant: unus tamen idemque est homo, qui quomodo quinque corporalibus sensibus, varia proprietate a se invicem differentibus constat; ita quinque, secundum istorum deliramenta, personas habere debuerat: ut quantæ sunt proprietates sensuum, tanta effet numerositas personarum. Hæc Vigilius.

FINIS.



DISSERTATIO

De Monothelitarum Hæresi.

CAPUT I.

I. Hæresis Monothelitarum initium, & origo ab Heraclio, & Sergio Patriarcha. 2. Cyrus Alexandrinus illius propagator, novem edidit capita; 3. his Sophronius Hierosolymitanus restitit. 4. Honorius pacis caussa supprimendam hanc quæstionem judicavit. 5. Ecthesis impia ab Heraclio, & Sergio promulgata, & ab Romano Pontifice, atque Occidentali Ecclesia damnata. 7. Maximi Monachi cum Pyrrho Monothelita disputatio, & Typus hæreticus a Constante Imperatore publicatus. 8. Martinus Papa typum eumdem, & hæreticos fautores anathemate percellit, ob idque exilio multatus sanctissime moritur: nec non Maximus insigni martyrio afficitur. 9. Demum sub Constantino Pogonato, generali habita Synodo sexta, hæresis ista damnatur.

I. Eutychianorum, ac Monophysitarum sectæ appendicula fuit Monothelitarum hæresis, quæ unicam in Christo voluntatem, & ἐνέργειαν, idest actionem constituit. Cujus in primis ortum,

 at-

atque progressionem ex historia repetere oportet, tum ejus arcana, & mysteria perscrutabimus.

Levi ex re, ac propemodum ridicula initium illi esse datum, Græci Annales perhibent. Heraclius Imperator anno Imperii vigesimo, Christi IↃCXXX. dum bello confecto Persico, Orientem peragrans, provincias, & Civitates longo intervallo recuperatas constituit, Hierapolim venit. Ibi eum Athanasius quidam adiit Patriarcha Jacobitarum; (erat hæc Eutychianæ sectæ portio, de qua supra dixi) Syrus genere, &, ut captus est gentis, vafer, & subdolus.

Quo cum sermone de fide habito, Imperator inter cetera, se eum Patriarcham facturum Antiochenum ostendit, si Chalcedonense Concilium approbaret. Hac spe illectus Athanasius, morem illi gessit, ac duas in Christo naturas profiteri cœpit. Tum astute quæstionem illi vicissim posuit de voluntate, & actione Christi, duplicemne credere oporteret, an unicam.

Ad hanc percontationem hæsitans Imperator, Sergium Patriarcham Constantinopolitanum per litteras consulit. Qui & ipse Syrus, ac Jacobitis ortus parentibus, atque ejusdem clanculum defensor hæresis, quæ unam in Christo naturam, adeoque voluntatem, & actionem agnoscebat unam; consentaneum errori suo responsum dedit. Antiochus in Homilia 130. Athanasii istius memi-

nit,

nit, quem & Antiochenam Sedem affectare scribit.

Vide de Monothelitis auctores a Fabricio appellatos *T. X. Biblioth. Græcæ p.205. seqq.* quibus adde Feltriensis Episcopi Jo: Baptistæ Bartoli Apologiam pro Honorio I. Romano Pontifice.

II. Sub idem tempus, Cyrus Phasidis, quæ est Lazicæ, sive Calchidis Metropolis, Episcopus, non *Phaselidis*, ut mendose habet Miscella, ab Heraclio accitus, ad eum venit. Cui cum Imperator epistolam ostendisset, quam ad Arcadium Cypri Archiepiscopum, adversus Paulum hæreticorum primatem scripserat, in qua duas operationes fuisse Christi negabat, hac novitate perculsum se nonnihil addubitasse, ac restitisse, Cyrus ipse refert. Verum ubi Sergii litteras idem asseverantes ab Heraclio accepit, tum vero se ad Sergium scripsisse. Quod etiam Sergius testatur in litteris, quas ad Papam Honorium misit. Sed jocus fuit, ac mimus iste colludentium inter se perditorum hæreticorum, ab quibus deceptus Heraclius in fœdissimam impegit hæresim, in quam consentire cum Athanasio Jacobita primarios illos Antistites animadvertit.

Paullo post, Gregorio Alexandrino Patriarcha mortuo, in ejus locum Cyrus e Lazica transfertur; ubi cum Theodoro quodam Pharanis Episcopo (est hoc Arabiæ oppidum Ægypto vicinum) simili labe contacto,

communicatis consiliis, robur hæresi illi, & incrementum attulit. Nec longe postea, quam Alexandrinum thronum obtinuit, unius operationis, ac voluntatis publice proposito dogmate, Theodosianos hæreticos Acephalos, quorum ingens erat in illa urbe numerus, ad ineundam concordiam adduxit. Ad quam stabiliendam, novem capita cum anathematismis palam exposuit, in quæ illi facile consenserunt. Horum septimum unam in Christo theandricam operationem asserebat. Extant illa capita in Actione 13. Sextæ Synodi, cum epistola, quam una cum iis misit ad Sergium Cyrus, ubi & concordia illa sancita dicitur quarto die mensis Payni, qui vigesimo nono respondet Maii Romani, Indictione 6. qui est annus Christi IↃCXXXIII.

III. In Lateranensi Synodo Martino Pontifice habita, anno, ut postea dicam, IↃCXLIX. in Secretario primo, Martinus Papa Synodum alloquens, affirmavit, *ante annos octodecim, Cyrum unam operationem in Christo Divinitatis, & humanitatis in Alexandriæ urbe definientem, ad similitudinem Acephalorum ordinasse capitula numero novem in ambone prædicantem, cum anathemate qui sic non sentiret, impie promulgasse*. Si octodecim annos de sexcentis & quadraginta novem detrahas, reliquus erit annus Christi IↃCXXXI. quo anno, vel sequente Cyrus hæresim suam prædicare cœperit, sub initium aditæ illius Sedis, ac postea Synodo habita, novem capitu-

pitula, sive anathematismos, promulgarit, an. IↃCXXXIII. cum jam Theodosiani ad Ecclesiæ communionem admissi essent.

Erat tunc Alexandriæ Sophronius Monachus, vir peræque doctus, & sanctus. Hic apud Cyrum vehementer institit, ne unam in Christo operationem decerneret, atque ut septimum illud capitulum induceret. Quod cum ab illo non impetraret, Constantinopolim ad Sergium accurrit, ut ejus adversus Cyrum imploraret auctoritatem. Tandem eo deducta res est, ut inter illos conveniret, utriusque supprimendam esse mentionem: ac nec unam, nec duas actiones, aut voluntates esse nominandas. Ita Sergius in epistola ad Honorium Papam, quæ actis inserta est Synodi sextæ.

IV. Idem porro Sophronius, paullo post, id est anno IↃCXXXIII. Hierosolymorum factus Episcopus, celebrata Synodo bene longam epistolam scripsit ad Sergium, quæ lecta, & approbata est in Synodo sexta Oecumenica, in qua duas operationes distincte adstruit. Quin etiam Romam ad Honorium litteras misit per Stephanum Dorensem Episcopum, quibus de nova Monothelitarum hæresi certiorem illum reddidit; paulloque post obiit, anno Heraclii 26. Christi IↃCXXXVI.

Eodem, quo Sophronius, anno, scripsit etiam Sergius ad Honorium, & ea, quæ ab Cyro, & Sophronio gesta scriptaque fuerant,

exposuit; non sine maligna interpretatione mentis eorum, & sententiæ, qui duas operationes asserebant; tamquam inde consequens esset, duas esse voluntates contrarias, & confligentes invicem. Quare consultius videri sibi, ut nec una, nec duæ operationes in Christo nominarentur; sed unus dumtaxat operans. Ad hæc Honorius respondens, illud Sergii consilium probavit, retinendæ concordiæ gratia, alioqui non duas esse voluntates professus in Christo contrarias inter se, sed unam tantummodo, ut pugnam illam, ac discordiam voluntatum intercluderet. De quo postea.

Moritur post hæc Honorius Papa anno Christi IↃCXXXVIII. cui Severinus successit. Sed ejus ordinatio dilata est, quod nondum ab Imperatore, uti mos erat, rata esset habita illius electio. Itaque cessasse dicitur Episcopatus ab Anastasio annum unum, menses septem, dies septemdecim. Qua ratione consecratus est anno IↃCXL. & eodem obiit, cum post coronationem sedisset menses duos, dies quatuor: sepultusque dicitur 4. Non. August.

V. Sub hoc Pontifice, Heraclius Imperator, auctore Sergio, Fidei *Ecthesim*, idest *expositionem*, promulgavit, Indictione XII. hoc est anno Christi IↃCXXXIX. qua unicam Christi operationem, & voluntatem asseveravit quidem, sed quasi aliud agendo, cum diserte, ac palam constitueret, ne quis

tam

tam unam, quam duas operationes, & voluntates nominaret in Christo; quemadmodum a Sergio, & aliis constitutum esse antea meminimus. De qua re agemus postea. Sergius Patriarcha Constantinopoli habita Synodo, Ecthesim probavit, eaque publice proposita est. Severini Papæ Apocrisarii, qui Constantinopoli tunc erant, ut ab Imperatore electi Pontificis confirmationem impetrarent, variis modis tentati, ut illi assentirentur, adduci non potuerunt.

Eodem anno, quo hæretica Ecthesis prodiit, mortuus est Sergius, inque locum illius subrogatus est Pyrrus Chrysopolitanus Monachus, & Presbyter, ejusdem cum Sergio particeps hæresis, & Heraclianæ Ecthesis propugnator. Interim Severino mortuo, anno exeunte IↃCXL. succedit Joannes IV. qui apud Pyrrhum institit, ut *Ecthesis* illa, sive charta, publicis in locis suspensa detraheretur, ac damnaretur.

Heraclius, ubi comperit Ecthesim suam ab Occidentali Ecclesia & Rom. Pontifice rejectam, invidiam non ferens, scripta ad Jo: Papam epistola professus est, non se auctorem illius fuisse, sed Sergium, ex quo Ecthesis Sergii appellari cœpit.

VI. Biennio post promulgatam Ecthesim, obiit Heraclius ex intercute morbo anno Christi IↃCXLI. Martii 11. Imperii 31. Cui successit Constantinus ejus filius, princeps Catholicus. Ad hunc Joannes Papa apolo-

geticam pro Honorio scripsit epistolam, quæ in Collectaneis Anastasii legitur. Constantino vero post menses quatuor mortuo, non sine veneni suspicione ab noverca Martina dati, cujus particeps consilii Pyrrhus fuisse ferebatur; imperavit Heraclius, qui & Heracleonas, Heraclii F. cum Martina matre. Sed in ordinem subinde redacti sunt & exilio damnati; naribus Heracleone, Martinæ lingua Senatus decreto resectis. Quorum in locum suffectus est Imperator Heraclius alter Constantini F. Heraclii, a quo victus est Chosroes, nepos. Quem quidem in Imperii societatem accipere Martina genitum Heraclium coegit populus, eumque Constantinum nominavit, ut in Breviario scriptum est a Nicephoro: appellari tamen passim Constans solet. Hic avum potius quam patrem æmulatus, Monothelitarum hæresim accerrime propugnavit; ac non minoribus Ecclesiam, quam rempublicam calamitatibus affecit.

Eodem, quo Heraclius senior, & ejus filius Constantinus excesserunt, anno, Pyrrhus seditione populari ob Constantini necem exagitatus, Constantinopoli profugit, & successorem habuit Paulum hæreticum ex Oeconomo majoris Ecclesiæ, Octobri mense, Indictione 15. ut ait Nicephori Breviarum, qui est annus IϽCXLI.

VII. Anno IϽCXLII. Joanni IV. Papæ successit Theodorus; qui annos sex, menses quinque, dies octodecim sedit. Hic de Ecthe.

Ecthesi abolenda plurimum laboravit, datis ad Paulum Patriarcham Constantinopolitanum Synodicis litteris, quibus & Pyrrhi caussam examinari jussit. Idem scripsit ad Constantem Imperatorem de Pyrrho Romam mittendo ad caussam dicendam.

Anno Christi IOCXLV. Indictione tertia, mense Julio, Maximus Monachus sanctissimus, & doctissimus, in Africa cum Pyrrho qui Constantinopoli profugus eo se receperat, celebrem collationem habuit, quam Grece primus edidit Baronius in calce Tomi Annalium octavi. In ea Pyrrhus convictus veritati manus dedit; ac Romam veniens Theodoro Papæ libellum obtulit, quo damnata hæresi sua, Catholicæ Fidei subscripsit, atque ita in communionem receptus est. Verum postea, Constantis Imperatoris jussu, Olympius Exarchus Ravennam excitum Pyrrhum ad resumendam professionem hęresis adduxit; cujus rei gratia Theodorus Pyrrum deposuit, & anathemate notavit. Eamdem depositionis sententiam tulit in Paulum Patriarcham Constantinopolitanum. Quo suadente Constans Imperator Edictum promulgavit, quem Typum vocant: in quo, ad sanciendam concordiam, prohibuit ne quis tam unam, quam duas in Christo voluntates, & actiones usurparet. Extat in Synodi Lateranensis Actis sub Martino celebrati.

VIII. Post Theodori Papæ obitum, anno Christi IOCXLIX. creatus est Romæ Pontifex

Martinus I. qui ſedit annos 6, & 2. menſe ſeptimi exceſſit e vita. Hic adverſus Orientalium hæreſim Romæ Lateranenſem coegit Synodum Epiſcoporum 105. in qua Heraclii, ſive Sergii Ecthesim, & typum Conſtantis; ac præterea fautores hæreſis illius, Theodorum Pharanitem, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Conſtantinopolitanos Patriarchas damnavit. Ea Synodus inchoata eſt tertio Non. Octob. Indict. 8. ac Secretariis, ſive Conſultationibus quinque eſt abſoluta; quarum poſtrema pridie Cal. Novemb. eſt habita.

Quibus commotus Imperator, primum Olympio Cubiculario, & Exarcho mandavit, ut Martinum in Typi damnatione perſeverantem comprehenderet, ad ſeque mitteret. Quod cum fruſtra tentaſſet, atque etiam Spatharius, cui per Miſſarum ſolemnia Martini interficiendi negotium datum erat, repente in ipſo conatu obcæcatus eſſet, cum Pontifice Olympius in gratiam rediit. Id anno IↃCLI. contigit.

Anno vero IↃCLIII. Theodorus cognomento Calliopas, Exarchus, juſſu Imperatoris, Martinum I. abductum, Junii 19. die, feria 4. in navem impoſuit. Qui in Naxo inſula annum integrum detentus, demum anno IↃCLIV. Septembris 17. die Conſtantinopolim perductus eſt. Quo etiam anno, Paulo Patriarcha mortuo, Pyrrhus ei ſubrogatus, menſes quatuor ſedem illam obtinuit, atque

in

in hæresi mortuus est. Martinus indigne, ac crudeliter habitus, anno IↃCLV. Chersonam relegatur, eoque Constantinopoli proficiscitur ipso die Cœnæ Dominicæ, id est Martii 26: pervenit autem Idibus Majis. Ubi & eodem anno, Indictione decimaquarta, 16. Septembris obiit, ipso die S. Euphemiæ.

Per idem tempus Maximus Monachus ingens Orientalis columen Ecclesiæ, gloriosis contra Monothelitarum hæresim perfunctus laboribus, ab hæretico Imperatore dirissime vexatus est. Nam diuturno exilio, & squalore maceratur, tandem verberibus concisus est & lingua, dextraque manu abscissa, in Lazicam deportatus, ibidem beatam animam Deo per martyrium reddidit, anno IↃCLXV. Indictione 5. Augusti die 13. Sabbato, ut ipse prædixerat.

IX. Demum Constante Imperatore Syracusis in Sicilia, quo se ante annos sex receperat, per insidias occiso anno Christi IↃCLXVIII. Constantinus ejus filius cognomento Pogonatus, id est *Barbatus*, in Augustam dignitatem successit, pius & Catholicus princeps. Qui constituta imperii tranquillitate, ad recuperandam Ecclesiæ pacem consilia sua convertit. Itaque Concilium generale anno Christi IↃCLXXX. celebratum est Constantinopolim, Agathone Papa: qui legatos tam Romanæ Sedis, quam Synodi, id est diœcesis privatim eidem Sedi contributæ nomine ad illud destinavit. Cœptum est Novembris

7. Indictione 9. in Secreto Palatii, qui Trullus vocabatur, & actione octavadecima, terminatum anno IↃCLXXXI. die 16. Sept. Indict. 10. In eo Concilio, quinque prioribus Synodis approbatis, Monothelitarum hæresis damnata: decretumque factum est, duas in Christo voluntates, totidem naturales actiones inesse: & nominatim notati illius principes hæresis. Hæc est Constantinopolitana tertia, sexta ordine post Nicænam, œcumenica Synodus, ab Leone II. Rom. Pontifice probata; quæ teterrimam illam bestiam variis in Italia præsertim, & Africa, sed & in Gallia quoque, Synodalibus confixam decretis, postrema, eademque lethali plaga confecit. Postremo sciendum est, longe antequam Monothelitæ prodiissent, prælusisse huic hæresi Beronem quemdam, qui Divinitatem in Christo sic abjectam & exinanitam fuisse dixit, ut ταὐτεργὸς esset τῇ ἀνθρωπότητι: hoc est *unius & ejusdem operationis* cum humana natura. Contra quem Hippolytus Portuensis Episcopus disputavit, cujus fragmenta quædam extant ab Anastasio Apocrisario contra Monothelitas excerpta, quæ in Collectaneis Anastasii Bibliothecarii leguntur.

CA-

CAPUT II.

1. De Monothelitarum dogmate. 2. Ex illius sectæ principibus petitur: velut ex Theodoro Pharanita. 3. Ex Cyro Phasidis, post Alexandriæ Præsule: Sergio item, & Pyrrho. 4. Et Macario Antiocheno. 5. Primum illius hæresis firmamentum, quod voluntates & actiones multiplicari censebant pro hypostaseon numero. 6. Alterum, quod voluntates plures inesse non putabant in uno, & eodem, nisi contrarias. 7. Tertium ex quibusdam Patrum testimoniis arcessebant; velut ex Gregorio Nysseno, ex quo concludebant, humanitatem esse divinitatis instrumentum. 8. Ideo unam & eamdem esse ambarum actionem. 9. Deinde ex Dionysio, qui θεανδρικὴν actionem nominavit.

I. UT ex Eutychianorum, Severitarum, & , ut universe loquar, Monophysitarum stirpe, velut propago quædam, Monothelitarum secta pullavit: sic horum dogma illius appendicula est ac soboles hæresis, & ex eodem doctrinæ fonte profluxit. Id tum melius intelligetur, cum cujusmodi decreta fuerint illorum, accuratius expositum erit: quod hoc capite faciendum duximus. Ac mihi inquirenda potissimum, & eruenda videtur ex illorum scriptis, qui principes habiti sunt factionis illius, ac pro talibus notati Synoda-

nodalibus decretis: e quibus præcipui sunt Theodorus Episcopus Pharanites, Cyrus Alexandrinus, Sergius, & Pyrrhus Constantinopolitani Patriarchæ. Theodori pericopæ quædam lectæ sunt in sexta Synodo, Actione 13. quæ Larinæ itidem auditæ sunt in Lateranensi Synodo sub Martino I. Ex quibus apparet illum existimasse, unam tantummodo in Christo fuisse voluntatem, sive principium humanarum actionum; cujus organum, & instrumentum fuit anima rationalis & corpus, corporisque facultates. Ut enim artificis, & instrumenti una, & singularis est operatio, non reipsa solum, sed etiam τῷ λόγῳ, & θεωρία: quia in instrumento non inest principium ἰδικὸν, quod *formale* vocant, actionis. Sic actionum Christi unicum, ac proprium, & *vitale*, ut sic loquar, principium penes solam Divinitatem fuit; ut Theodori locus ille demonstrat ex epistola ad Sergium Arsenoitam. *Omnia*, inquit, *quæ scribuntur de Domino Christo, sive de Deo, seu animæ, sive corporis, sive utriusque, animæ, dico, & corporis sint, singulariter, ac indivise agebantur incipientes quidem, &, ut sic dicam, de fonte sapientiæ Verbo, & bonitatis, vel virtutis, mediante intellectuali anima, & corpore procedentes, & propterea una operatio totius; sicuti de uno, eodemque. Salvatore nostro hæc omnia existunt, atque dicta sunt.*

II. Mox in eadem epistola subjicit Pharanites Theodorus; unam omnino eamque divi-

vinam operationem in Christo fuisse, voluntatemque divinam. Tum ita scribit: *Omnia, quæ salutiferæ dispensationis sunt sive divinæ, sive humana, deque Salvatore nostro Christo dicuntur, initium quidem a Divinitate, utpote permissum, & exordium accipiebant; ministrante autem intellectuali, & rationali anima, ministrabantur a corpore*, tam miracula videlicet, ac divinæ potestatis opera, quam humanæ infirmitatis propria; velut sunt cibi ac potus appetitio, labor, tristitia. De quibus ita postremo colligit: *Oportet igitur ita sapere, & dicere nos, omnia quæ in Incarnatione Salvatoris Christi dicuntur esse, unam scire operationem esse; hujus autem opificem, & creatorem Deum Verbum, organum vero, humanitatem consistere. Ergo quæque velut de Deo, aut humane de ipso dicuntur, omnia una est operatio Verbi Divinitatis*. De voluntate quoque disserte asserit ibidem, *unam hanc esse, eamque divinam*.

Quidquid igitur humana in Christo natura vel egit, vel perpessa est hominis proprium veluti sunt nutricatus, somnus, fatigatio, tristitia, anxietas, corporis dolor, vulnerum, plagarumque sensus, & alia ejusdemmodi, unam ejusdem Christi operationem fuisse, Theodorus Pharanites ajebat, eamque divinam: quemadmodum & unam divinam voluntatem illorum omnium, ut in superioribus sententiis, & aliis, quas omittimus, docuit,

III. Cyrus ex Lazicæ Metropolitano Alexan.

xandrinus factus Antistes, in anathematismo septimo ex novem illis, quos Alexandriæ ad conciliandos hæreticos edidit, ut capite antecedente dixi; postquam professus est naturas in Christo duas perfectas, & distinctas; & in duabus unum & eumdem: ait *hunc Christum unum, & filium, tam illa, quæ Deo conveniunt, quam humana, operari unica operatione theandrica*; hoc est, ut ad verbum solent vertere, *Deivirili, secundum S. Dionysium*. Huic Cyri opinioni subscripsit Sergius Constantinopolitanus in epistola, quam ad illum misit; in qua Patres antiquos unam asseverasse dicit operationem; nec duas ab ullo positas meminisse: tametsi solita κρύψει, ac tergiversatione usus, rem in ancipiti relinquere visus est.

Pyrrhus item Sergii successor in Disputatione, quam cum Maximo Monacho in Africa suscepit, aperte eamdem tuetur hæresim, *unam esse voluntatem affirmans Divinitatis, humanitatisque Christi*: ita ut unica voluntate tum ante susceptam carnem mundum ex nihilo procreare voluerit, & jam homo factus, cibum, ac somnum appetierit, ceteraque conditionis humanæ propria. Hæc & alia id genus objiciente Maximo Pyrrhus agnoscit initio Disputationis.

IV. Extat Macarii Antiocheni acerrimi, & obstinatissimi Monothelitæ verbosa Fidei professio inter Acta Synodi sextæ: in qua post alia Catholicæ consentanea Fidei de naturis

turis

turis duabus in Christo, & una persona; de ejusdem operatione pergit ita dicere: *Non illum divina secundum Deum: nec humana secundum hominem egisse. verum Deum hominem factum, novam quamdam Deivirilem operationem, eamdemque totam vivificam ostendere.* Quippe unum, & eumdem fuisse divinorum, & humanorum operum effectorem: *adeo ut & carnis propria fuerit passio; quæ tamen a Divinitate sejuncta non esset; quamvis passionem non sit experta Divinitas: & Dei propria fuerit operatio; quamvis per humanam suam naturam, hoc est totam nostram massam, illam expleverit unica, & sola voluntate Divina: cum in eo neutiquam voluntas extiterit alia, vel obsistens, & contraria Divinæ ipsius, & potenti illi voluntati. Impossibile est enim in uno, eodemque Christo Deo nostro duas simul, & eodem tempore contrarias, aut etiam similes voluntates subsistere.*

V. Ex Macarii verbis, ac ceteris, quæ deinceps pertexit: tum ex aliis ejusdem antesignanis hæresis, atque etiam Catholicis doctoribus, qui contra illam scripserunt, perspicuum est, quibus firmamentis, ac verisimilibus argumentis usi sint Monothelitæ ad tam stolidi dogmatis faciendam fidem. Neque enim sine omni ratione sic insanisse videntur: nec venenis suis dissimulandis fucum nullum, speciemve quæsisse. Duo omnino reperio commenti illius præsidia: quorum unum ratione; alterum auctoritate constat. Ratione usi

usi sunt præcipue duplici. Primum ita disputabant: Actiones, nec non voluntates, hypostasim sequi, non naturam: hoc est ὑποστατικὰ esse θελήματα, non φυσικά: adeoque multiplicari pro numero hypostaseon, non autem naturarum. Cum igitur in Christo, immo Christus ipse, sit unus volens; necessario putabant sequi, unam ipsius esse voluntatem, sive *volitionem*. Utrum vero de actione ipsa volendi potius, quam de naturali ejus principio, & facultate, in illa controversia sermo fuerit utrinque contendentibus: quemadmodum & universæ de ἐνεργείαις magis, quam de ἐνεργητικαῖς δύναμεσι: de hoc postea erit accuratius differendum. Hac argumentatione Pyrrhus in primis Maximum aggreditur in Africa Collatione: hac reliqui omnes caussam suam fulcire conati sunt; fieri posse negantes, ut multiplicatis voluntatibus, non multiplicarentur etiam volentes. Quod refellit Maximus non illis solum, sed etiam in aliis Opusculis: nec non Joannes Damascenus, & plerique alii.

VI. Alterum argumentum illorum ejusmodi fuit: non posse voluntates duas in una & eadem inesse persona, nisi contrarias. Ita Pyrrhus in eadem Collatione, *impossibile est*, inquit, *in una persona duas inesse voluntates absque contrarietate*. Atque hæc frequentissime ab hæreticis illis usurpata ratio est; qua & minime male cogitantibus interdum Catholicis illusserunt; tamquam actiones ac voluntates

tes duas non absolute negarent in Christo; a quo tum communem illorum sensum, tum Scripturam, & orthodoxæ Fidei regulam abhorrere noverant: sed eatenus solum, ut contrarias, & confligentes invicem detraharent. In quo idem illorum fucus & malitia fuit, atque olim fuerat Arianorum: qui cum Filium ὁμούσιον, id est *consubstantialem*, prædicari ab Catholicis ægre ferrent, falsa illius interpretatione vocis, invidiam eis faceres conabantur, asserentes divisibilem sequi inde Patris esse naturam: eo quod defectio quædam substantiæ, ac profluvium voce ista significetur. Quod ut necesse non erat, & mentiebatur qui sic τὸ ὁμούσιον explicat Arius: sic Monothelitæ strenue nugati sunt, dum voluntatibus, & actionibus duabus, quas Catholici in Christo statuebant, adjunxere, quam iidem isti detestabantur, pugnam illarum, & discordiam: quasi non possent duæ in una persona voluntates totidem esse naturarum, nisi essent invicem contrariæ. Cujus rei argumentum maxime de Christo capere solebant; in quo si duæ voluntates fuerunt, eædem pugnasse invicem intelliguntur, quando imminentem necem, ac supplicium perpeti una recusabat, quod esse tolerandum altera decreverat. Ita Sergius in epistola ad Honorium; & alii, uti dixi, coryphæi hæresis istius: nec non Macarius Antiochenus, & Stephanus ejus discipulus in sexta Synodo caussati sunt, se idcirco voluntates duas in Christo profiteri non posse, quod

quod nulla fuerit in illo diſſenſio, *neque carnalis voluntas*, *nec humana aliqua cogitatio*. Vide & Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi locum, ex ejus ad Theodorum Papam epiſtola, in Actione 13. Synodi ejuſdem. Prorſus impuri iſti, ſimiliter ut Ariani, ab mortalis fæce corruptelæ vindicari poſſe vocabula iſta non putabant, quibus Catholici dogmatis profeſſio continebatur.

VII. Jam quod auctoribus ſe antiquis Patribus ita ſentire dicebant (quod alterum eſt illius hæreſis firmamentum) hunc in modum adſtruebant; cujus ex Sergii epiſtola ad Honorium, &, qui ejus verba tranſcripſit, Macarii Antiocheni Confeſſione, ſpecimen hic dabimus. *Hanc eſſe divinorum mentem ac ſententiam Patrum* affirmant iſti, *ſic aſſerentium, numquam intelligente anima præditam Domini carnem, ſeorſim, ac proprio impulſu, contra nutum uniti ipſi ſecundum hypoſtaſim Dei Verbi naturalem peregiſſe motionem: ſed quando, qualem, quantamque Deus ipſe Verbum volebat. Et ut aperte dicam; quemadmodum corpus noſtrum ab intelligente, ac rationali noſtra anima regitur, gubernatur, & ordinatur: ſic in Chriſto Domino, tota humana coagmentatio ab ejuſdem Verbi Divinitate ſemper, & in omnibus acta & impulſa divinitus movebatur*. Quod ex Gregorii Nyſſeni verbis probare nititur: qui Chriſti perpeſſiones per humanum corpus operatam eſſe Divinitatem ait: adeo ut Dei ipſius actio ſit, paſ-

paſſio vero, carnis. Ita Sergius, & Macarius.

VIII. Cum igitur *homo ille* ſive potius *humanitas* Chriſti, a Divino Verbo ageretur, & ejus impreſſione, impulſuque moveretur in omnibus, fontem ac principium actionis, non in inferiore natura, ſed in motrice hujus, & gubernatrice ſola contineri putabant: actionem porro ipſam ab hac manantem, & profuſam, ſic in illa recipi, ac per ipſam refundi, & adminiſtrari; quemadmodum per inſtrumentum tranſit, non ab eo oritur, cauſſæ principalis effectio. Atque uti corpus noſtrum inſtrumentum eſt animæ noſtræ; nec per ſe agit; ſed agitur, & movetur, ac vitalem impulſum ab illa, tamquam origine, ac principio accipit: cum ſit ex ſeſe, ac ſuapte vi mortuum, & inanimum; ſic illi hominem in Chriſto prorſus *ἀθέλητον*, & *ἀνενέργητον*, hoc eſt *carentem actione, ac voluntate omni* conſtituebant, rationali præſertim, & intelligentis propria: cujus ſtirps, & vitalis, ut ſic loquar, facultas, & potentia in Divinitate inerat, a qua deinceps in humanitatem, ſive *εἰς τὸ ἀνθρώπινον σύγκριμα*, manabat & profluebat, citra principalem vim & facultatem cauſſæ agentis efficientia: non ſecus ac *ferramentum quid agat neſcit: curationem vero, quæ per illud exercetur, novit medicus*, ait Chryſoſtomus.

Teſtantur hoc idem Theodori Pharanitæ ex Synodo ſexta ſupra a nobis allata verba;

in

in quibus unam ait actionem totius esse Christi, quæ ab Verbi Divini sapientia, & bonitate, ac virtute profecta, per mediam intelligentem animam, corpusque procedat.

IX. Alterum testimonium, idemque celeberrimum, & in quo fundum hæresis inscitæ, ac velut arcem propugnandæ illius Monothelitæ statuebant, ex Dionysii epistola quarta petitur: ubi Christum ait, *non humano modo propria hominis egisse: sed cum vir esset factus Deus, novam quamdam Deivirilem operationem vivendi genere instituisse.* Ea Dionysii vox perperam ab imperitis, & contentiosis hominibus excepta in eorum perniciem, ac firmamentum cessit nefandissimi erroris. Itaque deinceps nemo ex illo grege, rationem reddidit fidei suæ, quin θεανδρικὴν illam ἐνέργειαν occineret, ac testem citaret, & auctorem Dionysium. Ita Macarius Antiochenus, hereticus in Actione secunda Synodi sextæ: Ita Cyrus Alexandr. eodem infectus errore, in Anathematismo septimo. Ita Pyrrhus in Disputatione cum Maximo: ac ceteri omnes eadem insania perciti: qui θεανδρικὴν ἐνέργειαν illam sic a Dionysio nominatam interpretati sunt, quod ab sola Divinitate, una & simplex actio producta, per humanam naturam, quasi per instrumentum, ac vehiculum, foras erumperet. De quo Dionysii loco postmodum uberior a nobis instruetur oratio, cum adversus Monothelitas disputabitur, ubi & de aliis Sancto.

ctorum, atque orthodoxorum Patrum locis agemus, quibus abusi illi sunt ad hæresim suam adstruendam.

Præter hæc vero etiam alia testimonia corraserunt ex suppositititiis libris: velut ex eo, quem Mennas Constantinopolitanus ad Vigilium scripsisse ferebatur: quem pro confictо & pseudopigrapho Synodus sexta damnavit, & proscripsit: cum quidem multum illo usi sint hæretici isti. Tum ex germanis alioqui Sanctorum Patrum monimentis sententias aliquot excerpserunt: sed nec integras; nec ex fide, aut ad auctorum sensum explicatas; ut in sexta Synodo palam ostensum est: quod quidem suo loco declarabitur.



CA-

CAPUT III.

Quodnam Monothelitarum dogma fuerit. 1. *Unam in Christo voluntatem constituentes variis modis interpretati sunt.* 2. *Ab quibus hæreticis propagati sunt. Inter alios a Nestorio ortum accepisse dicuntur: quod valde mirum sit.* 3. *Præcipue autem ab Apollinaristis, & Monophysitis.* 4. *De Ecthesi Heraclii, & Typo Constantis; in quibus veteres constitutum ajunt, unam voluntatem, & unam actionem inesse Christo.* 5. *Sed aliter habere videntur. Nam Ecthesis nec unam, nec duas operationes dici patitur: voluntatem tamen unam callide profitetur Typus neque operationes, neque voluntates duas, unamve.* 6. *Excutiuntur arcana illius hæresis:* 7. *Ex quibus colligitur, unam operationem minus audacter, quam voluntatem unam ab illis prædicatam fuisse.* 8. *Cujus ratio deinceps exponitur,* 9. *Ex ἐνεργείας proprietate,* 10. *Et voluntatis.* 11. *De Honorio Romano Pontifice;* 12. *Qui ab hæresis illius suspicione purgatur.*

I. QUi adversus Monothelitarum hæresim ab antiquis edita Patribus monimenta legerit, multiplicem & absonam fabulæ ejusdem ab illis explicandæ rationem fuisse comperiet, quam hic paucis, quoniam ita necesse videtur, exponendam censui. In

In primis illa, quam superiori capite tradidi, communis, & usitata maxime ponenda est; quæ unam, & simplicem in Christo voluntatem, & actionem constituit. Hanc Macarius Antiochenus in sexta Synodo profitetur; dum *negat se duas voluntates, aut actiones duas asserere in Incarnatione Christi Domini: sed unam voluntatem, & theandricam actionem*. Quam etiam divinam esse dumtaxat, idem postea confirmat: ita ut humana nulla voluntas, neque operatio fuerit in Christo. Macarii verba paullo ante descripsimus.

Postea Catholicorum disputationibus fracti, & convicti, ne Monophysitarum hæresi, tot Synodicis sententiis oppressæ, ac prostratæ affines esse viderentur, atque unam in Christo naturam asserere, *duas fassi sunt operationes ob diversitatem* naturarum, *sed duas unam propter unitionem*, ut in Anastasii Collectaneis testatur Maximus Martyr. Atque hoc Pyrrhus in Disputatione cum eodem Maximo declarat hunc in modum. *Quemadmodum ex duabus naturis unum quiddam dicimus esse compositum, ita potest a nobis usurpari ex duabus voluntatibus naturalibus una quædam composita: ut & duas asserentes voluntates, propter naturalem in Christo differentiam naturarum: & unam constituentes, propter summam unionem, de meris vocabulis conflictari inter se desinant.*

Rursus iidem hæretici, nefarii dogmatis

invidiam non ferentes, eo confugerunt, ut nec unam voluntatem in Christo, nec duas nominandas putarent; quod neutrum in Scriptura, neque in Synodis, aut Sanctorum Patrum monimentis diserte significaretur. Quod sub ipsum maxime primordium nascentis illius sectæ fecerunt. Ita Sergius Constantinopolitanus, qui unus fuit ex conditoribus istius hæresis, Cyro Alexandrino suasit, ut deinceps nec unam, nec duas voluntates exprimi pateretur: quod ad Honorium Papam ipse scripsit. Idem continebat decretum Heraclii, sive potius Sergii, quæ appellata est Ecthesis; nec non Constantis, qui nepos fuit Heraclii, Typus, ut supra memini, & postea fusius explicabitur. Denique Sergii unius inconstantem, ac versatilem in hæretico suo profitendo dogmate levitatem, erudite prosequitur, & exagitat Maximus Martyr in Collat. cum Pyrrho; quam varietatem hic brevitatis caussa explicare omittimus.

II. Nunc quos revera auctores habuerint amentiæ suæ stolidi Monothelitæ, & quorum ex hæresibus venena collegerint erroris non magis impii, quam inconsulti, paucis exequemur. Hoc vero difficile non est, si quis multiplices illas factiones hæreticas percurrat, quæ Incarnationis sinceram rationem inventis conturbarunt suis. Ac plerique tum in Synodo sexta Oecumenica, tum in Lateranensi sub Martino Primo habita memo-

morantur. Sunt autem isti, Manes, Arius, Apollinaris, Eutyches, Severus, Theodosius, cum Monophysitarum reliqua secta: & quod incredibile videatur, etiam Nestorius. Nam priores illos, qui aut nullam aliam, veram quidem, ac solide extantem naturam, præter divinam, Christo tribuebant: aut humanam non ex toto, sed potiore sui parte mutilatam, & intellectu ac ratione carentem: aut hanc in divinam absorptam fuisse dicebant, & in unam coaluisse naturam: hos, inquam, omnes unicam voluntatem, & actionem in Christo constituisse, non valde mirari subit: hoc enim ex illis opinionibus tam clare sequitur, ut majori declaratione non indigeat. De Nestorio, singulare prorsus est, quod ipsum tamen illius ex verbis ostendit Agatho Romanus Pontifex, in Epistola Synodica, quam ad Constantinum Pogonatum misit, quæ in sexta Synodo recitata est.

Ea verba sunt hujusmodi, ex libro secundo, quem inscripserat *præclaræ initiationis*. *Inconfusas custodimus naturas, non secundum substantiam, sed voluntatis tantum arbitrio copulatas, propter quod earum unam voluntatem, & operationem, & dominationem statuimus dignitatis æqualitate ostensas*.

Hinc Abbates, & Monachi Orientales in libello, quem Synodo Lateranensi sub Martino primo Romæ habitæ contra Monothelitas obtulerunt, asserunt illos cum Severo, & Apollinari, ac Nestorio, & Theodoro,

 nem-

nempe Mopsuesteno, consentire.

Maximus vero Monachus, idemque Martyr, in Disputatione cum Pyrrho, Nestorium scribit duas personas Christo, & unam operationem affingere, nimirum σχετικὴν, hoc est *solius habitus*, *&* *affectus*; qualem ἕνωσιν, id est *unitionem* naturarum istarum, immo personarum, esse credebat.

III. Quocirca Monothelitarum error consectarium quoddam fuit, & appendicula hæresis Eutychianæ, sive Apollinaristarum, & unius omnino naturæ defensorum: tametsi duas aperte, ac diserte naturas in Christo profitebantur, ut ex omnibus antesignanorum illius sectæ formulis, ac confessionibus Fidei, aliisque scriptis intelligitur, quæ in Sexta Synodo citata, & antecedenti a nobis capite commemorata sunt. Vide inter alia Macarii Antiocheni ἔκθεσιν in Actione octava Synodi illius.

Quamquam Martinus Papa in Lateranensi Synodo, recitatis Theodori Pharanitæ principis illius hæresis verbis, eumdem accusat, adeoque sectam universam, tamquam veram, ac solidam carnem, molemque corporis Incarnationi detraxerint; sola ejus relicta specie, vel, ut Martinus loquitur, phantasmate. Verba Pharanitæ, quæ Græce in sexta Synodo recitata sunt, sic habent: „ Nam „ anima nostra non tantam a natura vim ha„ bet, ut nativas corporis proprietates ab „ hoc, vel a seipsa possit expellere: nec

„ adeo

„ adeo in poteltate corpus suum rationalis „ obtinet anima, ut quæ illi insita sunt, & „ naturalia, velut molem, fluxionem, & „ colorem, pervincere possit, atque iis „ ipsum aliquando liberare. Quæ omnia in „ suscepta natura Salvatoris nostri Jesu Chri- „ sti narrantur, & facta sunt in divino, ac „ vivifico corpore. Nam illa citra molem, „ & ut ita loquar, incorporaliter absque di- „ remptione processit e vulva, & sepulchro, „ ac per fores; nec non tamquam supra so- „ lum, ita supra mare pedibus ambulabat. „ Quibus ex Theodori verbis Martinus Papa, illum asserit veram negasse carnis, hominisque substantiam in Christo. *Nam si absque tumore, & incorporaliter ex utero processit, & super dorsum maris deambulavit, hoc ipsum quod deambulabat, & procedebat, ergo phantasma erat*: ac Patrum deinceps auctoritate hæreticum illum refellit. Verum etsi clam, & in sinu Monothelitæ errorem istum alerent, ac foverent, non tamen palam præseferebant. Et fieri potest ut Theodorus ille, cum molem, ac cetera corpori insita Christum ademisse sibi asserit, non proprietates ipsas, sed usum, effectumque proprietatum intellexerit: hoc est, ut philosophorum scholæ loquuntur, *actum secundum*, non *primum*, quo sensu non tam damnanda vox illa foret.

IV. Ut hanc de Monothelitarum hæresi disputationem finiam, duo adhuc explican-

da restant; unum, de ambobus edictis totidem Imperatorum, quæ in illius sectæ gratiam scripta sunt, Ecthesi, ac Typo: alterum, de Honorio Papa, cujus nomini conflata est invidia propter ejusdem erroris suspicionem. Horum prius idcirco propriam, & diligentem animadversionem requirit, quod duæ illæ formulæ adeo perplexis, & obscuris verbis, sententiisque conceptæ sunt, ut quid statuant, & quatenus invicem dissent, aut congruant non sit facile discernere, sed nec satis ea constare videntur, quæ veterum aliqui de illis memoriæ prodiderunt. Ecthesim ab Heraclio promulgatam unam in Christo voluntatem, & operationem decrevisse, Martinus primus docuit in Allocutione ad Patres Synodi Lateranensis habita, his verbis: „ Et Cyrus quidem ante hos decem & „ octo annos, unam operationem in Christo „ in eadem Alexandriæ urbe definiens Di„ vinitatis ejus, & humanitatis, ad similitu„ dinem Acephalorum hæreticorum ordinan„ do capitula numero novem in ambone præ„ dicans, cum anathemate qui sic non sape„ ret, impie promulgavit. Sergius autem „ per Epistolam propriam ad denominatum „ Cyrum scriptam, eamdem similiter unam „ operationem suscipiens, cum eo irratio„ nabili præsumptione ausus est confirmare. „ Et non solum hoc, sed etiam post aliquot „ annos ejusdem Cyri novæ adinventionis, „ hoc est per nuper duodecimam indictio-

„ nem

„ nem elapſam , hæreticam & ipſe conſcri-
„ bens Ecthefim fidei, ſub nomine tunc im-
„ perantis Heraclii , unam in eadem Salva-
„ toris noſtri , ſecundum impium Apollina-
„ rem , voluntatem , & operationem inſti-
„ tuit , ex hoc quod dicit imprudenter , ſe-
„ qui operationem voluntatem .

Maximus vero Martyr , initio Collationis cum Pyrrho habitæ , *unam in Chriſto voluntatem per Ecthefim promulgatam eſſe ſcribit* . Idem porro , in altera Collatione , quam Conſtantinopoli cum principibus habuit , dicit ea , quæ Cyrus in novem capitulis Alexandriæ propoſuerat , *per ecthefim damnata, & quæ dogmatizaverunt per ecthefim , per typum irrita ſtatuiſſe , ac depoſuiſſe ſemetipſos toties* . Sed Ecthefis verba hic adſcribere , ac perpendere ſatius eſt , quibus dogma ſuum exponit .

V. Extat Heraclii Ecthefis in Secretario quarto Synodi Lateranenſis ſub Martino I. celebratæ . Typus quoque in eodem Secretario legitur . In neutro vero edicto decernitur , unam Chriſti operationem eſſe : Immo ita potius præcipitur , ne quis vel unam , vel duas profiteatur . Ecthefis , poſt longam & Catholicam explanationem Trinitatis & Incarnationis : „ nullo modo concedit alicui ex
„ omnibus unam , vel duas dicere , ſive do-
„ cere operationes in divina Domini Incar-
„ natione ; ſed magis , ſicut ſanctæ , &
„ univerſales tradiderunt Synodi , unum ,

 „ eum-

„ eumdemque Filium unigenitum Domi-
„ num nostrum Jesum Christum verum
„ Deum confiteri operari divina, & humana. „ Addit subinde rationem, ob quam nec unam, nec duas dici patiatur operationes: „
„ eo quod unius quidem operationis vox,
„ licet ab aliquibus Patribus dicta est, tamen
„ turbat, & extraneat quorumdam aures,
„ arbitrantium in interitum eamdem prola-
„ tam esse duarum naturarum, quæ in una
„ subsistentia unitæ sunt in Christo Deo no-
„ stro. Similiter autem & duarum opera-
„ tionum vocem multos scandalizare, utpo-
„ te a nemine dictam Sanctorum, & præci-
„ puorum Patrum: sed & sequi in eo, ut
„ duas confiteamur voluntates, contrarie ad
„ invicem venientes, Deo quidem Verbo
„ volente saluberrimam passionem explere,
„ Incarnationem autem in eo factam obviam
„ euntem ipsius voluntati, & oppugnantem,
„ & exinde duo contraria volentes introdu-
„ ci: quod impium est, & extraneum
„ Christianici dogmatis: „ Postquam autem de ἐνεργεία, id est *operatione*, statuit sic, ut neutri parti præjudicare, sed utraque suppressa, paci & concordiæ cavere videretur; mox de voluntate manifeste virus hæreticum expromit; unam in Christo confitens. *Unde Sanctos Patres*, inquit, *in omnibus, & in hoc sequentes, unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei confitemur*.

At vero Typus absolute vetat tam volunta-

tatem, quam operationem unam, aut duas nominari; ut *qui sunt Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ non habeant licentiam invicem a præsenti, de una voluntate, aut una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum qualemcumque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam.*

Igitur Ecthesis hoc habet proprium, ut operationem dici unam, duasve prohibeat: voluntatem vero unam aperte confiteatur. Quod sane jure mirandum videtur. Nam & voluntas ipsa quoque est *ἐνέργεια*, id est *operatio*; quare eadem utriusque ratio est. Quidnam igitur est caussæ, cur voluntatem potius unam, quam operationem profiteri Ecthesis permiserit? Antequam respondeam, nonnulla de usu vocum illarum observanda sunt, quem apud sectæ illius principes animadvertimus.

VI. Monothelitarum hæresis prima velut eruptio facta est, uti supra docui, anno Heraclii 20. ex Athanasii Jacobitarum antistitis callida sciscitatione, qua illud de Imperatore quæsivit, utrum una Christi operatio profitenda esset, an duæ. Theophanes, Cedrenus, Miscella, aliique passim Annales Græci, non minus de voluntatum, quam de actionum numero interrogatum esse produnt Heraclium ab Athanasio, & ab illo Cyrum Lazicæ Metropolitanum, ab utroque vero Sergium Constantinopolitanum. Verum ex Cyri, & Sergii Epistolis constat, de *opera-*

tione sola nominatim factam esse mentionem. Cyrus Heraclii interrogatione perculsus, ut ipse refert, cum expedire non posset, una esset an duæ in Christo ἐνέργειαι, ac duas esse contenderet ex Leonis Papæ verbis, ostensas sibi ab Heraclio ait litteras Sergii, quibus percontanti sibi, unam esse tantummodo ἐνέργειαν responderat. Hac de caussa scribere se ad illum Cyrus dicit Epistolam, eam, quæ recitata est in sexta Synodo. Atqui solius ἐνεργείας ibi meminit Cyrus, non *voluntatis*. Apparet ergo de *voluntatibus* supplevisse Græcos historicos, quia revera consequens erat ex *operationum* numero, voluntatum *numerus*. Quin & Cyrus ipse, postquam Alexandrinus Patriarcha factus, est, in anathematismo suo septimo, unam θεανδρικὴν ἐνέργειαν, id est *Dei virilem operationem*, fatendam edixit, non *voluntatem*.

VII. Sergius vero in Epistola, qua priori a Cyro ad se missæ, antequam Alexandrinum thronum obtineret, respondit, quæsitum ab eo de sola ἐνεργείᾳ significat, non de voluntate. Ideo tamen subinde ex supposititio Mennæ Constantinopolitani Patriarchæ libello ad Vigilium Papam, verba quædam citat, quibus asseritur *una Christi voluntas, & una vivifica operatio*.

Et in Epistola ad Honorium Papam, in qua caussæ totius statum, & orientis hæresis illius ac controversiæ seriem refert, de duabus operationibus interrogatum se ab Cyro, nec non ab

ab Sophronio, scribit: ac se utique suasisse ut ab unius, aut duarum operationum appellatione desisterent: quod prior, etsi ab quibusdam Patribus usurpata legitur, novitatis habet offensionem, tamquam ad naturarum duarum negationem pertineat: posterior vero, duarum operationum, præterquam quod a nullo veterum memorata est, consequens hoc parit, *ut duæ voluntates invicem contrariæ ponantur, ex quo volentes duo, & quidem contraria colliguntur, quod est impium: cum impossibile sit, in uno eodemque subjecto duas simul Voluntates subsistere.* Ex quibus Sergii verbis liquet, aliter ab eo statutum esse de operatione, quam de voluntate, nec de ambarum unitate, aut numero, ac discrimine par & idem illius fuisse judicium. Siquidem voluntates dici duas nullo modo patitur: operationes vero duas non prorsus condemnat: sed pacis, & concordiæ gratia, & ut Græci loquuntur, κατ' οἰκονομίαν, taceri, ac supprimi jubet, non minus, quam operationem unicam; cujus utique professionem non per sese damnandam arbitratus est.

At Theodorus Pharanites, quem novæ istius hæresis auctorem Martinus Papa primus nominat, ut & Stephanus Dorensis, non solum ἐνέργειαν unam, verum etiam voluntatem unam asserit: ut ex illius verbis cognoscitur, quæ supra discripsimus. Quod ipsum & Paulus Constantinopolitanus Patriarcha fecit in Epistola ad Theodorum Papam: nec non

Macarius Antiochenus in sexta damnatus Synodo; & Pyrrhus, quorum dicta superius reddidimus.

VIII. Ex omnibus istis evidens est, Monothelitarum principes, & auctores defugisse nonnumquam apertam confessionem unius operationis in Christo; voluntatis autem unius præ se tulisse: tametsi utrumque ex illorum assertione, ac doctrinæ principiis erat consequens. Hujus tergiversationis manifesta sunt in superioribus argumenta: præsertim in Heraclii Ecthesi. Nec dubitandum est, quin mysterii aliquid, & arcani consilii in hac re fuerit, cujus non contemnenda sit inquisitio.

Hoc ut palam faciamus, quod quidem assecutos non esse confidimus, utriusque vocabuli, ἐνεργείας, & θελήματος, consideranda notio est, & usus in communi sermone. Nec nova, vel longa explicatione est opus, ut quod ad ἐνέργειαν spectat hic expendamus. Satis enim erit, ne ab instituta brevitate recedamus, innuere, ἐνέργειαν appellari, naturalem, & necessariam τῆς οὐσίας, id est *substantiæ* motionem, quæ naturam comitatur, ex eaque statim proficiscitur. Scitum enim illud est Græcorum maxime Theologorum consensu; velut Maximi, Joannis Damasceni, ac ceterorum, qui Monothelitarum hæresim impugnarunt; Naturam esse nullam, aut substantiam, quæ sit ἀνενέργητος.

Itaque naturæ omnis sua est attributa propria, & οὐσιώδης operatio, quæ eam sequitur.
Sic

Sic prima viventis actio, & motio, vita est ipsa; quæ vegetabilis animæ functiones continet: sensu præditorum princeps operatio, interioris est sensus agitatio perpetua: intelligentium ἐνέργεια rationis est continuus usus: Quæ hic uberius enucleanda non sunt. Hæc est φυσικὴ ἐνέργεια, quæ scilicet naturæ unicuique convenit, & ei necessario adjungitur. Quamquam aliæ quoque sunt ἐνέργειαι minime necessariæ, quæ ex naturalibus principiis, & facultatibus, non tamen naturaliter, hoc est determinate, & necessario, ac continenter oriuntur: cujusmodi sunt liberæ hominum, ac ratione præditorum actiones. Sed ἐνεργείας vocabulo frequentius prioris generis operatio subjicitur apud Græcos Theologos, præsertim cum de Christi actione disputatur.

IX. Jam *voluntatis* nomen in his controversiis, quando actionem potius, quam potentiam agendi significat, quod interdum evenit contra, atque in ἐνεργεία fieri proxime dictum est, non naturalem, sed liberam arbitrii nostri motionem indicat. Nam licet actiones voluntatis, sive *voluntates*, aliæ sint naturales, & necessariæ; aliæ contingentes, & liberæ: tamen sæpius *voluntatis* nomen, & ab hoc deflexum *voluntarii*, cum absolute, ac simpliciter usurpantur, pro libera sumuntur. Sic Sanctus Augustinus ad Psalmum CXXXI, de Davide in potestate Saulem habente loquens: *Habebat illum in potestate*, in-

inquit, *& non necessitate, sed voluntate pe-percerat*: ac passim tam apud profanos, quam apud sacros Scriptores *voluntarii* vox non aliud quam liberum sonat, hoc est quod deliberatione, & electione fit.

Græci Theologi *voluntatem* bifariam dividunt, hoc est actionem ipsam volendi, quam θέλημα vocant. Aliud θέλημα dicunt esse φυσικὸν, aliud γνωμικόν. Est autem γνώμη Latinis *sententia*, hoc est judicium, quod *practicum* nominant, quod ex consultatione oritur: quando post deliberationem, & ancipitem de optando alterutro cogitationem, ad unum aliquod adhærescimus, idque anteponendum esse decernimus alteri; quo ex judicio sequitur electio. Ita Joannes Damascenus; cujus verba describere brevitatis gratia omittimus.

Maximus Martyr in Disputatione cum Pyrrho, γνώμην definit *voluntatem quodammodo affectam, quæ cum habitudine quadam bonum vel verum, vel putatum amplectitur*: tum varias illius vocis significationes numerat, ad viginti octo. Porro in Christo negat fuisse γνώμην, eo quod ibi tantum sit, ubi boni aut mali dubia primo, tum libera est electio, cujusmodi in Christo non fuit, quod & Joanni Damasceno videtur.

Jam vero Monothelitæ θέλημα φυσικὸν, id est *voluntatem naturalem* dici nullo modo ferebant, eique Pyrrhus acerrime refragatur in Disputatione cum Maximo; ne si naturalis esset,

esset, esset item necessaria. Proinde θέλημα in Christo nonnisi γνωμικὸν admittebant: quod & ὑποςατικὸν, id est *personale* esse dicebant. Ex quo consequens fit unam tantummodo voluntatem in illo extitisse, quia si duæ forent, necesse sit eas mutuo sibi esse contrarias: adeoque alteram bonam, alteram malam, quoniam hæc est τῆς γνώμης conditio.

X. Hinc apparet cur iidem hæretici ἐνέργειαν unam plerumque deffidenter, ac timide professi sint, nimirum ne naturas duas inficiari viderentur; eo quod ἐνέργεια est φυσική; atque iccirco pro naturarum numero multiplicatur: θέλημα vero unicum esse, apertius, & constantius docuerint, rati plausibilius hoc ipso dogma suum fore: cum qui illud audirent, nihil eos putarent aliud velle, quam unam, id est consentientem, & concordem fuisse naturæ utriusque voluntatem; nec humanam ab divina discrepasse. Hinc etiam duarum voluntatum assertores Catholicos traducere solebant, tamquam pugnæ illius voluntatum in Christo, ac dissidii defensores. Deinde quia τό γνωμικὸν θέλημα, hypostasis proprium est (quippe velle simpliciter naturæ proprietas est; hoc autem vel illo modo velle, personæ est, uti Maximus docet) cum una sit hypostasis in Christo, consequens hoc esse videbant unicam esse voluntatem. Hoc vero plenius exponi solet in Scholis, cum de Christi voluntate ac libertate disputatur.

XI. Su-

XI. Supereſt ut de Honorio Romano Pontifice dicamus, qui inter Monothelitarum principes in ſexta Synodo notatus, & damnatus legitur. Non ero longior in illius cauſſa diſceptanda; quod eam plerique Catholici, & eruditi viri accurate ſuſceperint, ac præſertim Baronius in Annalibus, aliique plures, qui inuſtam illius nomini ſuſpicionem hæreſis ſtrenue depulerunt. Itaque pauca de hoc argumento libabimus. Cum Sergius Conſtantinopolitanus Antiſtes, uti ſupra memini, de diſſidio recens exorto Cyrum inter & Sophronium, ſuper operatione Chriſti, retuliſſet ad Honorium Papam, atque ſignificaſſet, duabus in Chriſto poſitis operationibus, voluntates quoque poni duas, contrarias invicem, & repugnantes: ſe vero concordiæ gratia cenſuiſſe, nec unam, nec duas actiones nominandas; ſed unum dumtaxat operantem: Honorius ad ea reſcribens, Judicium illius, ac ſententiam laudavit; & ita faciendum omnino decrevit. Unam porro voluntatem in Chriſto confeſſus eſt, & eam dicti ſui rationem attulit; *quod a Divinitate natura noſtra eſt aſſumpta, non culpa: nimirum natura ejuſmodi, qualis ante peccatum condita eſt, non quæ poſt tranſgreſſionem depravata eſt*. Quocirca Honorius duas voluntates haud abſolute Chriſto denegavit: ſed tantummodo contrarias; cujuſmodi in nobis ex corrupto naturæ ſtatu reperiuntur. Etenim hunc de duabus voluntatibus ſermonem ad Sergii, cujus Epiſtolæ reſpon-

respondebat, mentem accommodavit. At iste non simpliciter duas voluntates esse colligebat ex eo, quod Christo duæ tribuuntur operationes: sed duas contrarias. Ita enim Catholicorum sententiam invidiose solebant exponere Monothelitæ: quasi non aliter divinæ voluntati Christi humana possit adjungi, quam ut hæc ipsa carnalis, peccatrixque sit. Quemadmodum Macarius Antiochenus obstinatissimus hæresis illius defensor demonstrat qui humana caruisse voluntate Christum hoc argumento probat, quia carnalibus voluntatibus, & cogitationibus humanis caruit; (peccato scilicet infectis,& ab recta ratione dissidentibus.) Hoc modo Catholici complures Sancti & eruditi viri, qui per illud tempus floruerunt, Honorium excusant: ut Maximus Martyr in Disputatione cum Pyrrho: & Joannes IV. qui paullo post mortem Honorii, Romanam Sedem tenuit, in Epistola, quam in ejus defensionem scripsit ad Constantinum Imperatorem Heraclii filium, qui eodem, quo Heraclius mortuus est anno.

XII. Hic vero Monothelitarum fraus est animadvertenda, qui ambiguo sensu voluntates illas, quas duas negabant in Christo fuisse, sumpserunt. Etenim fuit hæc illorum mens, ut in Christo nonnisi divinam inesse; humanam deesse voluntatem docerent. Quod hac ratione sunt probare conati; Si enim duæ voluntates essent, eas inter se contrarias fore dicebant: idque hominum exemplo monstrabant, in quibus innata est, & domestica pu-

gna,

gna, quam agnoscit in se, deploratque Paulus Apostolus ad Romanos scribens, capite septimo. Hanc autem non alia de caussa fieri in nobis asserebant, nisi quod diversæ sunt voluntates, carnales videlicet, ac spiritales: eo quod *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*. Quo ex fonte peccati labes, & corruptela nascitur. Cum igitur constare hoc inter Christianos intelligerent, Christum Dominum non modo non peccasse, sed ne peccare quidem potuisse, ut peccati aditus omnes obstruerent, tam operationum, quam voluntatum diversitatem auferre se dicebant, ne repugnantiam inducerent. Ita Sergius in Epistola ad Honorium Papam argumentatur; ubi duas se negare ait operationes, quod *ex iis consequens sit duas agnoscere voluntates inter se contrarias: tamquam Deo Verbo volente salutarem impleri passionem: humana* vero, *quæ in ipso inerat, natura illius obsistente, ac repugnante voluntati, indidemque contraria volentes induci duos; quod est impium. Non enim fieri potest in uno & eodem subjecto duas simul, & circa idem voluntates subsistere*. Verum hæreticus iste subdole controversiæ statum alio transtulit, & voluntates illas duas, quarum invidiosam repugnantiam ad dogma suum probandum accommodavit, non ejusdem cum iis generis constituit, quas in suo dogmate præferebat. Quippe duæ voluntates illæ, quas detrahere Christo volebat, humana sunt & divina; ex quibus hanc solam relin-

relinquebat; quas autem in exemplum attulit tam hominibus innatas, vereque inter se pugnantes, quam in Christo non reipsa, sed in speciem dumtaxat contrarias, eæ non humana & divina, sed humanæ sunt ambæ, nimirum superioris animæ partis, & inferioris: quarum hæc carnis, illa spiritus appellari solet. Etenim duæ illæ vere inter se confligunt in nobis, & quidem acerrime, ut *non quæ volumus illa faciamus*. In Christo vero non erant contrariæ: ut probatur a Theologis, cum agunt de duplici voluntate Christi.

XIII. Quamobrem mirum videri nemini debet, si Honorius fraudis illius, & hæreticæ calliditatis ignarus, ad illa, quæ in Epistola sua, & quæstione posuerat Sergius, simplici ac bona fide responderit; & eo sensu duas in Christo negaverit inesse voluntates, quo ab Sophronio, aliisque Catholicis asseverari, falso & calumniose ille narrabat. Itaque totus in hoc incumbit Honorius, ut ab Christo vitiatam, & Adami labe corruptam minime assumptam esse naturam approbet, sed incorruptam, & integram; quæ vacua sit concupiscentiæ morbis, & motibus spiritui, ac rationi contrariis, quæ sunt discordes illæ, & certantes contra se invicem voluntates. Vide Honorii Epistolam priorem ad Sergium.

Hujusmodi fuisse mentem Honorii egregie demonstrat Joannes IV. in Epistola ad Constantinum Imperatorem; ubi hæc inter alia scribit. *Et idcirco*, inquit, *unam voluntatem*,

tem, secundum primam formationem Adæ naturalem humanitatis suæ Dominus naster Jesus Christus habere dignatus est, non duas contrarias; quemadmodum nunc nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus Adæ geniti, &c. *Quapropter & nos, qui per prævaricationem, & peccatum illius nascimur, duas contrarias habere voluntates dignoscimur: duas autem dico, mentis & carnis invicem reluctantes*. Tum paullo post: *Ergo unus & solus est sine peccato mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui in mortuis liber conceptus, & natus est in dispensatione, itaque sanctæ carnis suæ duas numquam habuit contrarias voluntates, nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis ipsius*, &c. *Unde scientes quod nullum in eo, cum nasceretur, & conversaretur, esset omino peccatum; decenter dicimus, & veraciter confitemur, unam voluntatem in sanctæ ipsius dispensationis humanitate, & non duas contrarias mentis & carnis prædicamus; secundum quod quidam hæretici velut in puro homine delirare noscuntur. Secundum hunc igitur modum jam dictus decessor noster pranominato Sergio Patriarchæ percontanti scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id est in membris ipsius penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis*.

XIV. Idem fere Maximus Martyr de Honorio testatur in Epistola ad Marinum quæ est in Anastasii Collect. pag. 26., idque Joan-

Joannis Abbatis auctoritate confirmat, qui jussu Honorii Papæ Epistolam illam Latine dictaverat: quod uberius exponit in Disputatione cum Pyrrho. Quare, uti tam Maximus utrobique declarat, quam Joannes IV. de sola voluntate humanæ naturæ locutus est Honorius, cum eam in Christo fuisse singularem asseruit; quod ad quæstionem præcise responderet, & ibi, ubi morbus erat, remedium adhibendum putaret. De divina vero voluntate tacuit; quia nulla de ea controversia restabat, quæ in Chalcedonensi Concilio perempta penitus fuerat, ubi constituta est naturæ duplicis, integræ, & sine ulla confusione manentis professio, cujusmodi distinctas operationes, & voluntates necessario consequentes habet.

Jam vero quæ ad purgandum Honorium pertinent, quatenus in sexta, & septima Synodo, aliisque perstrictus, ac pro hæretico damnatus videtur, accuratissime disputavit Baronius in Annalibus, ac certas exposuit rationes, propter quas inter proscriptos illis in Synodis hæreticos nomen Honorii resederit. Quare verbum de iis non amplius addam, ne supervacaneam perfecta jam in re operam ostentare videar.

DIS-

DISSERTATIO

Adversus Hæresim Monothelitarum.

I. Monothelitarum error Scripturæ Sacræ teſtimoniis in primis refellitur, maxime ex illis Chriſti verbis, Matthæi 26. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me Calix iſte: Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis*. Et Lucæ 22. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me Calix iſte: Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat*. Et Joannis 6. *Deſcendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me, ut perficiam opus ejus*. Multis aliis Scripturæ Sacræ locis urget Monothelitas S. Maximus in Diſputatione cum Pyrrho. *In Evangeliis*, inquit, *dictum eſt de Domino, quod & poſtera die voluit Jeſus intrare in Galilæam*. Perſpicuum eſt quia quatenus non aderat illic, voluit intrare. Non aderat autem humanitate, Divinitate enim nuſquam abeſt. Igitur quatenus homo, & non quatenus Deus voluit intrare poteratque quatenus homo velle. Et in alio loco rurſus: *Volo ut ubi ego ſum, & ipſi ſint*. Si Chriſtus quatenus Deus, eſt ſupra ubi: igitur quatenus homo, vult ut ubi eſt, ſint etiam ipſi. Atque ita idem quatenus homo poteſtate voluntatis præditus erat. Et alibi dici-

dicitur: *Ambulabat Jesus in Galilæa; non enim volebat in Judæa ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere*. Si ambulatio natura erat carnis, & non Divinitatis secundum hypostasim ei unitæ: igitur quatenus homo ambulans in Galilæa, nolebat ambulare in Judæa; & poterat velle, quatenus homo. Item in alio loco Discipuli dicunt: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha*. Si ejus Pascha est eorum qui sunt sub Lege; fuit autem Dominus, quatenus homo, non quatenus Deus, sub Lege: igitur quatenus homo, volens comedit Pascha. Alibi dicitur: *Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare & voluit præterire eos*. Si quis hoc de eo, quatenus Deus erat, dictum esse exponat, cogetur is dicere, interceptam esse Divinitatem terminis corporeis, supra (inquam) & infra, post dextro & sinistro. Sin vero hæc dicta esse de eo, quatenus homo erat, dixerit; Igitur poterat velle quatenus homo. Præterea Divinus Apostolus in Epistola ad Hebræos de Christo ait: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*. Volens igitur obedivit, an non volens? Si quidem non volens; tyrannis merito, & non obedientia dicetur. Sin vero volens; obediens autem, non quatenus Deus, sed quatenus homo fuit. Igitur quatenus homo poterat velle. Item David in Christi persona ait: *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus, autem perfecisti mihi ..... In*

capi-

capite Libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam; *Deus meus*, *volui*. Quod autem Pater dicatur Deus Christi, quatenus Christus homo est, & non quatenus Deus; sicut & Pater dicitur ejus quatenus Deus, & non quatenus homo, nec adversarios abitror dubitare. Si igitur quatenus homo est, & non quatenus Deus, ejus Deus est Pater: igitur etiam quatenus homo, & non quatenus Deus voluit voluntatem Patris & suam facere. Voluntas enim Patris, ipsius est cum & ipse substantialiter sit Deus. Quod si ita est, non solum, quatenus Deus, & ejusdem cum Patre substantiæ, poterat velle, sed etiam quatenus homo, & ejusdem nobiscum substantiæ.

Item Moyses Deum introducit dicentem in creatione hominis: *Faciamus hominem ad Imaginem nostram*, *& ad similitudinem*. Si igitur homo est imago divinæ naturæ: natura autem divina liberæ potestatis est; igitur & imago, siquidem similitudinem archetypi servat, natura est liberæ potestatis. Quod si ita est; factum est autem, quod erat natura archetypum, etiam natura imago: Igitur idem secundum ambas suas naturas poterat natura velle. Demonstratum enim prius est voluntatem esse potestatem natura liberam. Est autem sciendum, dici liberam potestatem æquivoce, sicut & naturam. Aliter enim accipitur in Deo, in Angelis, in hominibus. In Deo quidem supersubstantialiter. In Angelis

gelis vero tamquam concurrente aggressione cum habitu, & omnino interpositionem temporis non admittente: in hominibus autem, tamquam habitu prius tempore ipsa aggressione cogitato. Si enim Adam volens obedivit: & volens spectavit, & cum voluisset, comedit; igitur voluntas est in nobis, quæ primum afficitur. Quod si voluntas in nobis primum patitur, hanc autem Verbum, cum caro factum est (ut isti sentiunt) non assumpsit. Non ergo positus sum ego extra peccatum, quod si extra peccatum non sum positus, non sum consecutus salutem; siquidem quod non est assumptum, non est curatum.

Quæ hactenus dicta sunt, diserte probant humanam in Christo voluntatem. Quod autem & divinam habuerit, demonstrat S. Maximus ex his ipsius verbis: *Jerusalem, Jerusalem quæ occidis Prophetas! .... Quoties volui congregare filios tuos? &c.* perspicuum enim est, quod non quatenus homo hoc dixit, siquidem recenter factus fuerat homo; sed quatenus Deus, qui varios modos sapientis providentiæ suæ circa hominem demonstravit, quibus voluit naturam ab errore externorum abducere, & sibi aggregare, ipsa autem noluit. Rursus ait: *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat. Sicut* adverbium est comparationis: comparationes autem sunt in his quæ sunt ejusdem substantiæ. Non potest igitur dici hoc de Christo secundum humanitatem. Igitur

docuit nos Salvator, quod ſicut Pater Deus exiſtens, voluntate mortuis tribuit vitam: ſic etiam ipſe, quippe cum ejuſdem ſubſtantiæ ſit, & ejuſdem voluntatis, quibus vult, vitam præbet.

II. Refellitur Monothelitarum error teſtimoniis SS. Patrum; ſcilicet S. Dionyſii lib. 4. De Divinis Nominibus, cap. 2. „ Diſcreta „ eſt autem, *ait*, benigniſſima circa nos „ Dei operatio, per hoc quod ſecundum nos „ ex nobis, integre & vere ſubſtantialiter „ plaſmari voluit Verbum, & operatus eſt & „ paſſus quanta humana ejus operationi con- „ gruunt præcipua. In his namque Pater & „ Spiritus nulla ratione communicavit &c. „ Hoc teſtimonium protulit Agatho Papa in ſua Synodica.

III. S. Baſilii lib. 4. adverſus *Eunomium*, ubi hoc principium ſtatuit: *Eorum quæ diverſæ ſunt ſubſtantiæ, non poteſt eſſe ſimilis operatio*. Ex quo ſequitur duas Chriſti eſſe operationes, ſicut duas naturas. Et in lib. *Contradictionum adverſus Appollinarem* laudato in VI. Synodo: „ Qualem (inquit) voluntatem „ aſſerit verborum ſcriptor, quam non „ vult Dominus fieri, dicens ad Patrem, „ Non mea voluntas, ſed tua fiat? Putaſne „ intelligit in qualem delapſus eſt ſermo ejus „ controverſiam? Appropinquat paſſio; & „ tunc hujuſmodi facta eſt oratio. Qui de- „ precatur, homo eſt, an Deus? ſi Deum „ eſſe qui deprecatur, exiſtimat, parem ei

„ cum

„ cum hominibus inſpicit impotentiam. Quo-
„ modo igitur Deus, qui nullum habet indi-
„ tum bonum, ſed ſupernum invocat adju-
„ torium? Dehinc quando reprehendebat
„ Divinitas ptopriam voluntatem, bonum
„ fuit, an malum quod volebat? Et ſiquidem
„ bonum, quomodo non ad effectum perdu-
„ citur quod volebat? Si autem malum, quæ
„ eſt Divinitati ad malum familiaritas? *Et in-*
„ *fra*: Quia igitur alia eſt humana voluntas,
„ alia divina, loquitur quidem & quaſi ex
„ homine, quod infirmitati naturæ congruit
„ qui noſtras paſſiones aſſumpſit: adjungit
„ autem ſecundam vocem, ſublimem & Deo
„ decibilem voluntatem præter humanam
„ firmari pro hominum ſalute volens. Qui
„ enim dixit: Non mea, humanam hoc ſer-
„ mone ſignificavit, addens vero, Tua,
„ oſtendit cunjunctionem ſuæ Deitatis ad Pa-
„ trem cujus nulla voluntatis eſt differentia
„ propter communitatem ad Patrem. Nam
„ Patris dicens voluntatem, etiam Filii de-
„ monſtravit.

IV. Refellitur idem error ex *S. Joanne Chryſoſtomo*, Homilia LXVII. in *S. Joannem*. Qui locus in Synodo VI. laudatus eſt: ubi ad illa Chriſti verba, *Nunc anima mea turbata eſt*, adnotat hunc in ſe carnis affectum ſuſcepiſſe Chriſtum, ut mortem timeret, ne dicerent homines non magnum illum facere, qui ad mortem perferendam ceteros hortaretur, cum ipſe extra illius ſenſum eſſet. Qua-

re ipsum angorem illum & anxietatem revera pertulisse. „ Hæc autem assumptæ naturæ „ sunt (inquit) non Divinitatis. Idcirco di„ cit: Nunc anima mea turbata est: (quan„ doquidem nisi ita se res habeat, quomodo „ consequens est quod dicitur, Pater, salva „ me ex hora hac?) Et ita turbata est, ut & „ liberari inde postulet, siquidem effugere „ posset. Hæ sunt humanæ naturæ imbecilli„ tates. *Et paullo post*: Quod multum hu„ manæ affectionis indicat, naturam mori„ detrectantem, ac præsentis vitæ retinen„ tem. Quare ostendebant, non se ab huma„ nis esse affectionibus immunem. Ut enim „ esurire crimini non vertitur, neque dor„ mire: ita neque præsentem appetere vi„ tam. At vero Christus corpus habuit, uti „ purum ab omni labe peccati, sic a naturali„ bus necessitatibus neutiquam alienum; alio„ qui corpus non esset.

V. Expugnatur idem error ex *Sancto Cyrillo* Libro XXXII. *Thesauri*: qui locus in VI. Synodo laudatus est, in quo Christum esse Deum, & æqualem Patri ac consubstantialem esse probat, ex operandi consortio. „ Non „ enim (inquit) unam utique esse dabimus o„ perationem Dei & opificii: ne aut creatu„ ram ad divinam provehamus substantiam: „ aut divinæ naturæ præstantiam in eum, qui „ rebus factis convenit, redigamus locum. „ Nam quibus operatio & virtus citra ullum „ discrimen est una, iis speciei quoque con-

„ stare

„ stare necesse est unitatem".

Et libro *ad Theodosium*, ubi Verbum animam cum carne assumpsisse dixit: „ Per ambo (inquit) præclaræ Incarnationis gerebatur Mysterium. Usus est autem carne propria velut instrumento, ad exequenda carnis opera, & naturales infirmitates, & ab omni reprehensione remotas: anima vero propria ad humanas, & minime vituperandas affectiones subeundas. Nam & esuriisse dicitur, & ex longinquis itineribus lassatus fuisse; pavorem etiam ac metum, tristitiam, & angorem, ac mortem, in cruce sustinuisse. „ Hic etiam locus in VI. Synodo laudatus est.

VI. Eumdem refellit errorem *Ephræmius* Antiochenus Patriarcha, in libro Apologetico pro Synodo Chalcedonensi, ubi propugnat *S. Leonem recte utramque formam in Christo uno eodemque Filio: sed differentem amborum operationem statuisse*. Ibidem docet Christum ambulantem supra mare, proprietatem humanæ servasse naturæ. *Siquidem*, inquit, *vel ipsa species operationis persuadere tibi potest, uti carnem in propria mansisse natura fateare. Nam pedibus ambulare, si non sola specie & adumbratione fiebat, manifestum est pedum operationem fuisse naturæ nostræ propriam. Ita operationis genus ipsum carnem intra pristinos modos servatam esse demonstrat; & ingressum hujusmodi corporeum & sensibilem omnes asserunt*. Hic locus prolatus est in VI. Synodo.

Ibidem laudatur insigne testimonium *Anastasii Antiocheni*, in Apologetico pro Epistola S. Leonis: *Si*, inquit, *illa per quæ Deum agnosci oportebat ipsum, divinitus operabatur; ex quibus autem necesse erat hominem eumdem videri, humanitas efficiebat; altera prorsus est divinæ naturæ, altera humanæ operatio.* Ibidem laudatum est testimonium Joannis Scythopolitani Episcopi, ex libro 8. contra Severi blasphemias, ubi in Christo duas operationes necessario distinguendas esse probat, quia Deus Verbum Divinitate sua creaturas omnes conplectitur, eisque providentia sua consulit: quæ divinæ naturæ operatio est, anima vero Christi Deo Verbo secundum hypostasim unita non est intelligentiæ & cognitionis expers. Novit enim se unitam esse Deo; se creatis omnibus esse superiorem; se in utero Beatæ Virginis cum carne assumptam a Verbo, &c. *Igitur*, inquit, *unius & ejusdem Domini nostri Jesu Christi duas operationes videmus, Deitatis ejus, & humanitatis inseparabiliter & incommutabiliter*.

VII. *S. Maximus Martyr* Monothelitarum hæresim evertit cum in *Dialogo cum Pyrrho*, tum *in capitibus quinquaginta*: *in Tractatu contra eos qui dicunt oportere dicere unam Christi operationem secundum exuperantiam, quia dicunt divinam operationem, tamquam efficaciorem superare humanam*. Item in Epistola ad Nicandrum, de duabus operationibus in Christo: In Epistola ad Præpositos & Monachos Sici-

Siciliæ, & in Gnomis demonstrativis 'duarum in Christo voluntatum. Quo in Opusculo maxime ex duplici natura duplicem Christi voluntatem demonstrat. „ Si quibus (inquit)
„ Verbum unitatem habet cum carne, his a
„ Patre separatur; & quibus unitatem habet
„ cum Patre, his a carne disjungitur: est
„ autem una voluntas cum carne opinione
„ istorum: igitur voluntate a Patre separabi-
„ tur. *Item*: Si quibus unitum est Verbum
„ cum Patre & Spiritu Sancto, his a carne
„ deffert, est autem communi sententia Chri
„ stianorum unitum voluntate cum Patre &
„ Spiritu Sancto: igitur voluntate carnis a
„ Patre & Spiritu Sancto differt. *Præterea*:
„ Hanc unam voluntatem necesse est istos di-
„ cere, vel naturalem, vel hypostaticam
„ esse. Si naturalem dicant, *consequens est*
„ *eos* dicere unam naturam Verbi & carnis:
„ sin autem hypostaticam, cogentur propter
„ tres hypostases, tres voluntates dicere.
„ 3. Si voluntas divinæ naturæ Verbi est crea-
„ trix omnium quæ facta sunt; hæc autem
„ (*secundum ipsorum opinionem*) est voluntas
„ carnis; plane creatrix est omnium quæ fa-
„ cta sunt, caro Verbi: atque ita sublata est
„ gloria Christianorum, esse scilicet creatam
„ carnem. Quomodo enim creatura est, quæ
„ ex nihilo creat, & quæ præcipuam divinæ
„ naturæ proprietatem habet? 4. Si quia
„ una est voluntas Patris, & Filii, & Spiri-
„ tus Sancti, una etiam eorum natura esse a

„ Sanctis Patribus demonstrata est, una autem voluntas est Verbi & carnis eorum opinione, erit etiam una Verbi & carnis natura. Quod si una voluntas Verbi & carnis unam naturam non inducit, ac concludit: Nec in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, una voluntas unam naturam inducet,& concludent: & inanis est Fides nostra, & inanis est prædicatio Patrum.

VIII. Refellit eumdem errorem *S. Joannes Damascenus*, Oratione *De duabus Christi voluntatibus*, quam Latine vertit Doctissimus *P. Combefisius* in Auctario Bibliothecæ Patrum. „ Si quidem (inquit) non assumpsit humanam voluntatem Christus, qua voluntate factus est Patri obediens? Si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate factus est sub lege? Si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate implevit omnem justitiam? Si non assumpsit humanam voluntatem, non attulit ei remedium quod primum in morbum inciderat. Quod enim non assumptum fuit, non est curatum (ut ait Gregorius Theologus.) Quid enim offenderat, nisi voluntas? Quod ergo offenderat, quod peccaverat, id demum amplius curatione egebat. Quod si neges id ab eo assumptum quod peccaverat; fateare necesse est, nec peccatricem quidem ac ægram naturam eum assumpsisse: Quod si non assumpsit, nec humanam assumpsit naturam: ipsa quippe est quæ pec-

„ caverat. Si non assumpsit humanam voluntatem, quomodo antequam cognoscat bonum ac malum, non acquiescet malitiæ ut eligat bonum? Non enim divina voluntas velut suasione vel non acquiescit, vel acquiescit, aut eligit. Itaque non acquiescit, aut paret malitiæ, libere, ut homo, parens ac obtemperans voluntati paternæ.

Ibidem probat *S. Joannes Damasc.* voluntatatem esse naturæ, non personæ; atque ita duas esse in Christo voluntates, sicut duæ naturæ sunt. Præmittit bifariam sumi voluntatem; primo pro vi qua volumus, ac pro re quæ a natura voluntati subjecta est. Secundo pro modo usus voluntatis, ac pro eo quod sic volumus, quodque pro nostro arbitratu ac libidine voluntati subjicitur. Sublumit autem, falsum esse quod vis voluntatis, seu velle simpliciter, ad personam pertineat: quod ita probat. Omnis homo vim habet voluntatis, & ut absolute velit. Quæ autem in singulis quibusque sub eadem costitutis specie perspiciuntur, ad naturam spectant, non ad personam ac hypostasim. Non autem homines idipsum, aut eadem volunt ratione, quamobrem vis quidem voluntatis ac velle simpliciter ad naturam pertinet: velle autem hoc aliquid, ac sic velle, diversum est in unaquaque persona, ac velut accidens hypostaticum. Testem laudat *S. Joannem Chrysost.* Homila XIV. in Epistolam ad Hebræos dicentem: *Voluntas quidem incatum quiddam est, ac a Deo: talis autem*

voluntas nostra, ac nostri judicii est.

Præterea. *Si quidem Voluntatis ipsa facultas ad personam pertinet; sicut Filius diversa est persona a Patre, ita etiam diversæ erit ab eo voluntatis.*

Item. „ Quæ naturæ sunt, non egent do„ ctrina. Nullus enim docetur esurire, sitire, „ dormire, respirare: sic neque quis doce„ tur velle, sed sic tali modo velle, id est be„ ne aut male, ac hoc aliquid docetur velle. „ Non enim divina lex velle docet, quippe „ cum hoc nobis a natura sit datum a Deo: „ sed docet bene velle, ac hoc aliquid velle. „ Ergo velle quidem ad naturam pertinet; „ hoc autem, aut sic velle, ad hypostasim, „ ac diversum est, præterquam in Sancta „ Trinitate.

Denique. „ Facti sumus ad Dei imagi„ nem, quia intellectus ac arbitrii libera fa„ cultate præditi. Si quidem ergo Christus „ non mentem ac liberam voluntatem, neque „ quod est ad imaginem assumpsit.

Duas vero esse in Christo operationes rursus ita probat *S. Joannes Damasc.* „ Actio na„ turalis est cujusque substantiæ tam virtus, „ quam motio. Quid est ergo quamobrem „ Christus naturæ humanæ actionem non ha„ beat, cum præsertim sublata naturali cujus„ que actione, naturæ interitus consequatur? „ Si ergo non fuit in eo naturæ humanæ na„ turalis actio, ne natura quidem humana in „ eo fuit. Quorum enim naturæ diversæ sunt

„ co-

„ eorum etiam tam voluntates, quam actio-
„ nes differunt.

Ex Patribus quoque Latinis Monothelitarum error confutatur, scilicet ex *S. Hilario* lib. 9. De Trinitate, quem locum *Agatho* Pontifex Maximus in sua Synodica laudavit. „ Natus igitur (inquit) unigenitus Deus ex „ Virgine homo, secundum plenitudinem „ temporum in semetipso provecturus in „ Deum hominem, hunc per omnia Evan- „ gelici Sermonis modum tenuit, ut se Fi- „ lium Dei credi doceret, & hominis Filium „ prædicari admoneret; locutus & gerens ho- „ mo universa quæ Dei sunt: loquens dein- „ de & gerens Deus universa quæ hominis „ sunt: ita tamen ut in ipso illo utriusque ge- „ neris sermone numquam nisi cum significa- „ tione & hominis locutus sit, & Dei; uno „ tamen Deo Patre semper ostenso, & se in „ natura unius Dei per nativitatis veritatem „ professo, & tamen se Deo Patri & Filii ho- „ nore, & hominis conditione subdente: „ cum & nativitas omnis se referat ad aucto- „ rem, & caro se universa secundum Deum „ profiteatur infirmam. Hinc itaque fallendi „ simplices atque ignorantes Hæreticis occa- „ sio est, ut quæ ab eo secundum hominem „ dicta sunt, dicta esse secundum naturæ di- „ vinæ infirmitatem mentiantur: Et quia, „ unus atque idem est loquens omnia, quæ „ loquitur, de semetipso omnia eum locutum „ esse contendant.... Nostri igitur caussa hæc

„ omnia Jesus Christus manens, & corporis „ nostri homo natus, secundum consuetudinem naturæ nostræ locutus est: non tamen „ omittens naturæ suæ esse quod Deus est. „ nam tametsi in partu, ac passione, ac morte naturæ nostræ rem peregerit, res tamen „ ipsas omnes virtute naturæ suæ gessit; dum „ sibi ipsi origo nascendi est, dum pati vult, „ quod eum pati non licet; dum moritur, qui „ vivit. Et tamen cum hæc Deus per hominem agit ex se natus, & per se passus, & „ ex se mortuus, non & hominem se non egit, „ dum & natus, & passus, & mortuus est.

S. etiam *Ambrosii* testimonio, *lib.2. De Fide ad Gratianum cap. 3.* eadem hæresis refellitur: quod quidem ab *Agathone* Pontifice Maximo in Epistola Synodica laudatum est: „ „ Suscipit ergo (inquit) voluntatem meam, „ suscipit tristitiam meam, confidenter tristitiam nomino, quia Crucem prædico. Mea „ est voluntas, quam suam dixit; quia ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo locutus, & ideo ait: Non sicut ego volo, „ sed sicut tu vis. Mea est tristitia, quam meo „ suscepit affectu.

Et Cap. 4. „ Æqualis in Dei forma, minor „ in susceptione carnis & hominis passione. „ Nam quomodo eadem posset minor esse „ æqualisque natura? Quomodo autem, si „ minor est, eadem similiter facit, quæ Pater facit? Nam quemadmodum eadem ope-

„ ra-

„ ratio diversæ esset potestatis? Numquid sic
„ potest minor, quemadmodum major operari?
„ Aut una operatio potest esse: ubi di-
„ versa substantia est?

Et in Cap. S. Lucæ 22. „ Suam (inquit)
„ ad hominem retulit; Patris ad Divinitatem.
„ Voluntas enim hominis naturalis; voluntas
„ Divinitatis æternæ.

Refellitur eadem hæresis ex *S. Augustino*, lib. 3. contra *Maximinum*, cap. 20. qui locus ab Agathone laudatus est. „ Ubi autem dixit
„ Filius Patri: Verum non quod ego volo,
„ sed quod tu vis: Quid te adjuvat quod tua
„ verba subjungis, & dicis: Ostendit vere
„ suam voluntatem subjectam suo Genitori:
„ Quasi nos negemus hominis voluntatem
„ voluntati Dei esse debere subjectam. Nam
„ ex natura hominis hoc dixisse Dominum,
„ cito videt, qui locum ipsum Evangelii
„ paullo attentius intuetur. Ibi enim dixit:
„ Tristis est anima mea, usque ad mortem.
„ Numquid ex natura unici Verbi posset hoc
„ dici? Sed homo, qui putas naturam ge-
„ mere Spiritus Sancti, cur non etiam natu-
„ ram Verbi Dei unigeniti tristem dicas esse
„ potuisse? Ille tamen ne quid tale dicere-
„ tur, non ait, Tristis sum; quamvis etiam
„ si hoc dixisset, nonnisi ex natura hominis
„ oportuisset intelligi, sed ait: Tristis est
„ anima mea; quam sicut homo utique habe-
„ bat humanam. Quamquam & in hoc quod
„ ait: Non quod ego volo, aliud se ostendit
„ vo-

„ voluisse, quam Pater, quod nisi humano
„ corde non posset; cum infirmitatem nostram
„ in suum, non divinum, sed humanum
„ transfiguraret affectum. Homine quippe
„ non assumpto, nullo modo Patri diceret
„ unicum Verbum: Non quod ego volo.
„ Numquam enim posset immutabilis illa na-
„ tura quidquam aliud velle, quam Pater.

Et lib. 5. adversus *Julianum* Pelagianum, quid sit voluntas, his definit verbis: „ Motus
„ animi quid est nisi motus naturæ? Animus
„ enim sine dubitatione natura est? Proinde
„ voluntas motus est naturæ, quoniam motus
„ est animi. *Et ibidem*: Ab illo est voluntas
„ cujus est voluntas ab Angelo, scilicet vo-
„ luntas Angeli; ab homine hominis; a Deo
„ Dei; & si operatur Deus in homine volun-
„ tatem bonam; id agit ut oriatur ab illa bo-
„ na voluntas, cujus est voluntas.. Cur er-
„ go negas clausis oculis res apertas de natura
„ hominis exoriri hominis voluntatem? *Quo*
„ *ex principio ita ratiocinatur Agatho*. Qui-
„ bus testimoniis claret unamquamque earum
„ quas hic spiritualis Pater dimuneravit natu-
„ ras, propriam naturalem habere & unicui-
„ que assignari debere voluntatem. Neque
„ enim poterit Angelica natura divinam ha-
„ bere voluntatem; aut humanam: neque
„ humana natura voluntatem Dei, aut An-
„ geli. Cum hæc ita veritas habeat, certissime
„ claret, quod in Domino nostro Jesu Chri-
„ sto duas, id est, Dei & hominis naturas,
„ sive

„ sive substantias confessi in unam ejus con-
„ venisse subsistentiam sive personam, necesse
„ est & duas nos naturales in eo fateri volun-
„ tates, divinam scilicet & humanam, quia
„ neque Divinitatem ejus, quantum ad na-
„ turæ rationem pertinet, humanam habuisse
„ voluntatem dicendum est; neque humani-
„ tatem ejus divinam habuisse naturaliter vo-
„ luntatem credendum est.

Refellitur eadem Hæresis ex *S. Leone* in Epistola ad *Flavianum*. Cap. 4. „ Sicut Deus
„ (inquit) non mutatur miseratione, ita ho-
„ mo non consumitur dignitate. Agit enim
„ utraque forma cum alterius communione
„ quod proprium est, Verbo scilicet operan-
„ te quod Verbi est, & carne exequente quod
„ carnis est. Unum horum coruscat miracu-
„ lis, aliud succumbit injuriis, & sicut Ver-
„ bum ab æqualitate Paternæ gloriæ non re-
„ cessit, ita caro naturam nostri generis non
„ reliquit.

Et in Epistola ad Leonem Augustum; *Secundum quidem formam Dei*, inquit, *ipse & Pater unum sunt. Secundum autem servi formam, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum*. Ex quibus colligit *Martinus I.* in Synodo Romana, *S. Leonem* duas Christi voluntates agnovisse, secundum naturas duas dicendo voluntatem formæ servi, quæ est humana ejus voluntas, & dicendo voluntatem ejus qui misit eum, quæ secundum naturam divina est.

In

In eadem Epistola, utriusque naturæ proprias operationes diserte distinguit S. Leo. „ „ Licet ergo (inquit) in uno Domino Jesu „ Christo, vero Dei atque hominis Filio, „ Verbi & carnis una persona sit, quæ inse- „ parabiliter atque indivise communes ha- „ beat actiones; intelligendæ tamen sunt „ ipsorum operum qualitates, & sinceræ Fi- „ dei contemplatione cernendum est, ad quæ „ provehatur humilitas carnis, & ad quæ in- „ clinetur altitudo Divinitatis. Quid sit quod „ caro sine Verbo non agit; & quid sit quod „ Verbum sine carne non efficit. Sine verbi „ enim potentia, nec conciperet caro, nec „ pareret; & sine veritate carnis obvo- „ luta infantia non jaceret. Sine Verbi po- „ tentia non adorarent Magi puerum, Stella „ indice declaratum; & sine veritate carnis „ non juberetur in Ægyptum transferri puer, „ & ab Herodis persecutione subduci. Sine „ Verbi potentia non diceret vox missa de „ Cælo; Hic est Filius meus dilectus, in quo „ mihi bene complacui, ipsum audite. Et „ sine veritate carnis non protestaretur Joan- „ nes; Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit pec- „ catum Mundi. Sine Verbi potentia non „ fieret redintegratio debilium, & vivifica- „ tio mortuorum: & sine veritate carnis nec „ cibus jejuno, nec somnus esset necessarius „ fatigato. Postremo sine Verbi potentia non „ se Dominus Patri profiteretur æqualem, „ & sine veritate carnis non idem diceret Pa- „ trem se esse majorem.

Ceteros Patres, quorum teſtimoniis Monothelitarum hæreſis evertitur, appellare nolim, ne ſim immenſus. Quæ enim protuli teſtimonia, ſufficiunt ad demonſtrandum Catholicum dogma de duabus Chriſti voluntatibus & operationibus, non ſolum ex Scripturis Sacris, ſed etiam ex Traditione Eccleſiam docuiſſe, & contra Monothelitas definiviſſe, cum in Synodo Lateranenſi, Præſide *Martino I.* Sanctiſſimo Pontifice, tum in Synodo VI. Oecumenica *Actione XVIII.* in qua Definitio Fidei edita eſt, quæ Chriſtianis omnibus confitendum decernit. „ Unum eumdemque
„ Chriſtum Filium Dei Unigenitum, in duabus naturis, inconfuſe, inconvertibiliter,
„ inſeparabiliter, indiviſe cognoſcendum,
„ nuſquam extincta harum naturarum differentia, propter unitionem, ſalvataque magis proprietate utriuſque naturæ & in unam
„ perſonam & ſubſiſtentiam concurrente, non
„ in duas perſonas partitum, vel diviſum,
„ ſed unum eumdemque unigenitum Filium
„ Deum Verbum Dominum Jeſum Chriſtum,
„ juxta quod olim Prophetæ de eo: & ipſe
„ nos Dominus Jeſus Chriſtus erudivit, &
„ Sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum: & duas naturales voluntates in eo, &
„ duas naturales operationes, indiviſe, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſe,
„ ſecundum Sanctorum Patrum doctrinam
„ prædicandas.

In Concilio vero Lateranenſi ſub *Martino I.* *Con-*

Consultatione V. editi fuerant hi contra Monothelitas Anathematismi. „ Si quis secundum „ Sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem, duas unius ejusdemque „ Christi Dei nostri operationes cohærenter „ unitas, divinam & humanam, ab eo, quod „ per utramque ejus naturam operator naturaliter idem existit nostræ salutis, condemnatus sit.

„ Si quis secundum scelerosos hæreticos „ unam Christi Dei nostri voluntatem confitetur, & unam operationem in peremptionem Sanctorum Patrum confessionis, & „ abnegationem ejusdem Salvatoris nostri Dispensationis, condemnatus sit.

„ Si quis secundum scelerosos hæreticos, „ in Christo Deo, in unitate substantialiter „ salvatis, & a SS. Patribus nostris pie prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus divina & humana, contra doctrinam Patrum unam voluntatem atque „ unam operationem confitetur, condemnatus sit.

„ Si quis, secundum scelerosos hæreticos, „ Deivirilem operationem, quam Græci dicunt θεανδρικὴν, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse „ confitetur secundum Sanctos Patres, hoc „ est, divinam & humanam, aut ipsam Deivirilis quæ posita est, novam vocabuli dictionem, unius esse designativam; sed „ non utriusque mirificæ & gloriosæ unitio- „ nis

„ nis demonstrativam, condemnatus sit.

Post Synodum VI. Conc. Toletanum XIV. anno 684. Canone 8. idem dogma Catholicum confirmavit. „ Unus igitur (inquit) in „ utraque natura consistens, & Divinitatis si„ gnis effulget, & humanitatis passionibus „ subjacet. Nec enim alter ex Patre, alter „ ex Matre est genitus, cum tamen aliter „ de Padre, aliter de Matre sit natus: ipse „ tamen in utroque naturarum genere non „ divisus, sed unus idemque Dei & hominis „ Filius: ipse vivit moriens, ipse moritur „ vivens, habens ex Deitatis natura non pos„ se mori: habens ex humanitatis substantia „ & mole posse mori. Ex una immortalis „ habetur; ex altera mortalium conditione „ resolvitur: habens in æterna Divinitatis „ voluntate quo susceptum hominem sume„ ret: habens in suscepti hominis voluntate „ ut humana voluntas Deo subdita esset. Un„ de & ipse dicit ad Patrem: Pater, non „ mea voluntas, sed tua fiat; alteram vide„ licet ostendens voluntatem: qua susceptus „ est homo; alteram hominis, qua obedien„ dum est Deo... Et ideo secundum harum „ duarum differentiam naturarum, quarum „ quoque inseparabilium proprietates prædi„ candæ sunt voluntatum & operum.

Objiciebant Monothelitæ *S. Dyonisii* auctoritatem in Epistola ad Cajum: *Unam esse in Christo Deivirilem operationem* asserentis:

Respondet *Martinus I.* in Concilio Lateranensi

nensi Monothelitas hunc *S. Dyonisii* locum interpolasse. Id esse familiare Hæreticis, ut SS. Patrum testimonia violarent, iisque abuterentur. Ipsis convenire hæc verba *Jeremiæ*, cap. 16. „ Et post hæc mittam eis multos ve-
„ natores, & venabuntur eos de omni mon-
„ te, de omni colle & de cavernis petrarum
„ quia oculi mei super omnes vias eorum:
„ *Sunt* enim foramina petrarum (inquit S.
„ Pontifex) ipsæ Sanctorum Patrum de Chri-
„ sto mysticæ traditiones. Conantur namque
„ & in his foraminibus dolose se abscondere
„ Hæretici, ut putentur sanctissimi, & non
„ scelerosi parvulis. „ Addit, malas eorum artes in præsentiarum manifestatas, siquidem relecto *S. Dyonisii* testimonio, falsi convicti sunt. „ Nam illo asserente *Novam*
„ *quamdam Dei virilem operationem*, Cyrus
„ & Sergius *novam* in *unam* mutarunt. At
„ non unam, secundum illos, ostendere
„ volens operationem S. Dionysius, sed du-
„ plicem duplicis naturæ, compositivo ser-
„ mone abusus est, duas unius ejusdemque
„ in unitate operationes ostendens. Et ideo
„ prudentissime ait: Neque secundum Deum
„ divina operatus, neque secundum homi-
„ nem humana: Summam nobis unitionem
„ denuntians sicuti naturarum, ita & ejusdem
„ naturalium operationum: quoniam summæ
„ unitionis est proprium, per immutationem
„ sublimiter operari utraque, id est eumdem
„ humane divina & divine humana. Nec
„ enim

„ enim nuda Deitate divina, neque pura hu-
„ manitate humana, sed per carnem quidem
„ intellectualiter animatam, atque unitam
„ eidem substantialiter, operabatur sublimi-
„ ter miracula; & iterum per potestatem
„ validissima vivificarum ejus passionum
„ sponte pro nobis experimentum suscipie-
„ bat, ut & unitionem ostendat, & differen-
„ tiam innotescat. Et unitionem quidem, per
„ alteram ostensionem sive conglomeratio-
„ nem operationum suarum; differentiam au-
„ teẽ ex conservatione naturalis proprietatis.
„ Hoc enim erat, secundum quod ait Doctor,
„ omnium novitatum supereminens novitas.

Pyrrhus Monothelia, & alii *S. Dionysii* locum sincerum & integrum adversus Catholicum dogma proferebant, qui sic habet:
„ Etenim, ut uno verbo dicamus, ne homo
„ quidem erat: non quod non esset homo,
„ sed quod ex hominibus ultra homines exi-
„ steret, ac supra hominem revera esset ho-
„ mo, qui non secundum Deum divina gessit,
„ nec humana secundum hominem: Verum
„ Deo viro facto, novam quamdam Deivi-
„ rilem nobis operationem expressit in vita.

Respondet *S. Maximus* „ S. Dionysium
„ his verbis unam operationem non signifi-
„ care, cum novitas qualitas sit: sed novum
„ & arcanum modum demonstrationis opera-
„ tionum naturalium Christi, & novam at-
„ que admirabilem, ac naturæ rerum igno-
„ tam conversationem inexplicabilem & ar-
„ ca-

„ canam: Si autem unam operationem de-
„ clarat illa vox, aliam operationem præter
„ operationem Patris habebit Christus, ut
„ Deus: Siquidem operatio Patris non est
„ Theandrica, id est Dei virilis, quæ nimirum
„ naturam Deivirilem signat, & constituit.
„ Operatio enim quæ naturalis est, naturam
„ testatur, & character naturalis ejus est.

Respondet secundo *S. Maximus* in scholiis ad Epistolam IV. *S. Dionysii*, Theandricæ nomine operationis unum tantum genus operationum Christi significari. Triplex namque distinguit in eo genus operationum, sicut & *Sophronius* Patriarcha Hierosolymitanus, in *Synodica*. Siquidem nonnullæ sunt, quas per solam naturam divinam operatur, ut est Mundi creatio, & conservatio, & miraculum quo puerum Centurionis absens sanavit. Aliæ sunt soli humanæ naturæ peculiares, ut edere, bibere, flere, pati. Aliæ sunt mistæ in quibus agit utraque natura; ut cum solo attactu curabat ægros, vel mare pedibus ambulando calcabat. In istis enim partim divinum aliquid inest, partim humanum. Tertium autem illud operationum genus voce illa *Deivirilis operationis* designari *S. Maximus* asserit.

Respondet pariter *S. Joannes Damascenus* in Oratione *de duabus Christi voluntatibus*: S. Dionysium, cum *Novam quamdam Dei virilem operationem*, in Christo asseruit, unicam operationem non significasse, sed modum singularem operationum Christi: „ Quæ-
„ cum

„ cumque (inquit) humana voluntate voluit
„ ac egit, ſalus Mundi fuerunt. Non enim
„ divino more agebat divina (haud quippe
„ Dei nudi & ſine carne ut contactu ac ma-
„ nuum extenſione miracula patraret) nec
„ more humano agebat humana; nec enim
„ ita comparatum eſt, ut puri hominis paſſio-
„ nes Mundo ſalutem allaturæ ſint. Sed cum
„ Deus eſſet, ac factus eſſet homo, novam
„ quamdam ac inauditam actionem Dei ac
„ hominis edidit: Divinam quidem, ſed quæ
„ humana operaretur: Humanam, ſed quæ
„ divina miniſtraret, quæque Divinitatis ſi-
„ bi conjunctæ ſigna præ ſe ferret. Quemad-
„ modum enim ignis & ferri diverſa eſt natu-
„ ra, aliaque & alia munera & actiones: ne-
„ que enim ignis ſecat, ſed incendit ac illu-
„ minat ea vi agendi, quam tribuit ei natu-
„ ra: neque rurſus ferrum ſic a natura com-
„ paratum eſt, ut urat, aut illuminet, ſed
„ ipſum ſecat, ac nigrum eſt. Cum autem
„ ea conjuncta fuerint, conjuncte jam ac in-
„ diviſe ſuum munus utrumque exequitur.
„ Simul enim cum ſectione exiſtit uſtio;
„ igniſque ferri adminiculo tum incendit,
„ tum illuminat. Cum interim non una ſit
„ naturalis actio, ſed duæ; una ignis, qua
„ urit; altera ferri, qua ſecat: ac utriuſque
„ effectus proprius eſt; ignis quidem uſtio,
„ ferri autem ſectio. Sic in Domino noſtro
„ Jeſu Chriſto agebat utraque natura cum al-
„ terius communione quod proprium erat:
„ cum

„ cum interea nec una duæ essent, nec duarum una esset effectio ac officium: sed humanæ ejus naturæ divino esset libere imperio ac voluntati obedire, atque servire, suaque voluntate manum porrigere, & tangere puellam, obsequendo (inquam) voluntati divinæ: Deitatis autem contactu efficacis esset suscitatio puellæ. Quocirca nec magnus Dionysius Dei & hominis actionem dixit, sed simpliciter Novam, id est, inusitatam. Utraque enim inusitata erat, ac divino-humana. Neque enim illis verbis numerum expressit, sed modum inusitatum.

Objiciebat *Pyrrhus* testimonium *S. Athanasii* in libro *de salutari Adventu Christi*, dicentis: „ Ille vir natus est ex muliere, qui ex prima creatione sibi formam hominis erexit, & excitavit in ostensione carnis; sed sine voluntatibus carnalibus, & sine humanis cogitationibus, in imagine novitatis: Voluntas enim erat solius Divinitatis.

Respondet *S. Maximus*, Testimonium illud ita clarum esse, ut interpretatione non indigeat. Non enim de ratione naturali Christi loquitur *Athanasius*; sed de modo quo secundum carnem extitit Deus Verbum: cum vellet demonstrare incarnationem fuisse opus divinæ & solius voluntatis, complacente Deo Patre, ac per se operante Filio, ac cooperante Spiritu Sancto; non autem opus motus car-

carnalis, & cogitationum humanarum, id eſt, ordinis & conſecutionis nuptialis. Non enim rationem naturæ novavit factus homo, qui erat Deus univerſorum: quoniam nec fuiſſet homo, qui non habuiſſet perfectam & immutabilem in omnibus rationem naturæ: ſed modum, id eſt, conceptum e ſemine, & ortum per corruptionem. Rationes igitur naturales unitorum non negaverunt divini Eccleſiæ Doctores; quin potius conſentientes cum Evangeliſtis, & Apoſtolis, atque Prophetis, Dominum noſtrum & Deum Jeſum Chriſtum ambabus naturis ſuis ſalutem noſtram voluiſſe, & operatum eſſe dixerunt. Hæc *S. Maximus*.

Cum idem *S. Athanaſii* teſtimonium *Macarius* objeciſſet, *Theophanes* Presbyter & Abbas, Actione octava VI. Synodi, reſpondit: „ Si teſtimonium quod detruncaſtis, in
„ integro poſuiſſetis, inveniebatur quod car-
„ nales voluntates & humanas cogitationes
„ culpabiles & voluptuoſas accepit S. Pater
„ Athanaſ. quæ ex ſeminatione diabolica illa-
„ tæ ſunt humanæ naturæ, ſicut idem San-
„ ctiſſimus Pater ſuperius aſſeruit. Nam &
„ ego dico non habuiſſe Dominum noſtrum
„ Jeſum Chriſtum, verum Deum noſtrum ex
„ ſuperſatione voluntatem carnalem, aut pec-
„ cabiles cogitationes; abſit: Sed naturalem
„ voluntatem, quam ipſe Deus creans Adam,
„ ei indidit.

Objiciebat *Pyrrhus* teſtimonium S.Grego-

rii Nazianz. *Oratione 2. de Filio*, dicentis: *Velle enim illius in nulla re erat Deo contrarium, totum deificatum*. Quibus ex verbis colligebat unam esse tantum in Christo voluntatem.

Respondet *S. Maximus*, contrarium colligi ex isto testimonio. Sicut enim inflammatio inflammatum & inflammantem secum infert, & refrigeratio refrigeratum & refrigerantem; intelligentia intelligentem & rem intellectam, quia non potest habitudo sine duobus terminis intelligi, aut dici; sic consequenter deificans & deificatum. Præterea, inquit S. Maximus, si voluntatis deificatio est contraria duabus voluntatibus, (sicut isti sentiunt) deificatio etiam naturæ erit contraria duabus naturis: utrobique enim posuit Gregorius idem verbum deificationis. Secundo, Voluntas deificata non est voluntas divina. Quod enim natura divinum est, deificari non indiget: quod vero deificatur, non est profecto natura divinum (inquit *Agatho* in sua Synodica.)

Objiciebant Monothelitæ S. Gregorii Nysseni testimonium, contra *Eunomium* scribentis: *Ita Divinitatem per corpus quod induit, communem omnium salutem operari, ut propria sit carnis perpessio, Dei vero sit operatio*.

Respondet *S. Maximus*, Passiones carnis, sive affectiones operationum censeri numero, quamvis creatis in rebus passionum vocabulo potius significentur, quia creatæ res omnes

eo

eo ipſo patiuntur, quo moventur; quia ſcilicet alterius moventis impreſſionem admittunt, & in ſe recipiunt. Notat itaque *S. Maximus* in Diſputatione cum Pyrrho; „ Sanctos
„ Patres variis nominibus affeciſſe humanæ
„ naturæ motionem, prout ejus diverſæ no-
„ tiones poſtulabant. Appellarunt ipſam &
„ facultatem, & operationem, & differen-
„ tiam, & motionem, & proprietatem, &
„ qualitatem, & paſſionem. Hanc autem
„ uſurparunt, non quatenus opponitur divi-
„ næ; ſed quatenus quidem continet ac con-
„ ſervat, & eſt immutabilis, eam facultatem
„ nominarunt: Quatenus vero character eſt
„ & nota propria, quæ in omnibus eadem
„ comprehenſis ſpecie invariabilem quam-
„ dam rationem oſtendit, energiam voca-
„ runt. Ut autem diſtinguit ac diſcernit,
„ differentiam. Ut indicandi vim habet,
„ motionem. Ut conſtituit, ac ſoli ipſi, &
„ non alteri naturæ ineſt, proprietatem. Ut
„ ſpeciem facit, qualitatem. Ut movetur,
„ paſſionem nuncuparunt. Etenim omnia
„ quæ ex Deo ſunt, & poſt Deum, eo ipſo
„ patiuntur, quo moventur: utpote quæ non
„ ſunt ipſa motio, ipſaque vis, ac virtus.

Secundo, *SS. Maximus & Joannes Damaſc.* ille *in Diſputatione cum Pyrrho*, hic *lib.3. De Fide Orthodoxa cap.15.* argumentum quod ex hoc *S. Gregorii Nyſſeni* loco Monothelitæ conficiebant, in ipſos retorquent. Si enim propterea una Chriſti operatio eſſe de-

bet, quod operatio sit solius Divinitatis, passio vero humanitatis; pariter colligendum erit unicam esse in Christo naturam, scilicet divinam, quæ sola est operatrix, cum humana patibilis potius dicenda sit.

Objiciebant Monothelitæ *S. Cyrilli* testimonium, *Lib.* 4: *Commentariorum in Joannem*, dicentis: *Christum unam cognatam operationem per ambas ostendisse*.

Respondet *S. Maximus* in disputatione cum *Pyrrho*: Non pugnare ullo modo hanc auctoritatem cum duabus operationibus; sed contra, eas defendere. Non enim dixit *Unam naturalem operationem Divinitatis Christi, & humanitatis ejus*: alioqui non dixisset alibi: *Auctoris & operis eamdem esse operationem numquam aliquis sanæ mentis concesserit*. Sed potius illud dixit, cum vellet demonstrare unam esse Divinitatis sine carne, & cum carne operationem; sicut si quispiam unam esse ignis operationem cum materia, & sine materia ostendere volens, diceret ignem cum materia, & sine materia urere. „ Sic „ Pater Cyrillus non dixit unam operationem „ duarum naturarum, sed unam operationem „ dixit divinam & paternam, quæ essentia„ liter in Verbo Deo incarnato inerat; qua „ non solum jussu suo omnium rerum effe„ ctore, miracula incorporaliter faciebat, „ sicut ipse ait (siquidem etiam post incar„ nationem habebat eamdem operationem „ cum Patre incorporee operante) sed tactu „ etiam proprię carnis hæc ipsa miracula cor-

„ pora-

,, poraliter ostendebat. Hoc enim significat,
,, quod ait; Per ambas; ut vita reddita puellæ per Verbum & jussum omnia operantem,
,, vel aspectus cæco restitutus, vel mandatio
,, leprosi, vel benedictio panum, cognationem haberet secundum naturam cum operatione per tactum corporee consummata,
,, ut demonstraret carnem quoque esse vivificam, quia ejus proprie erat; & non alterius, propter summam cum ea unionem.
,, Per utraque enim hæc: per jussum, inquam,
,, & tactum, divina operatio in ipsis rebus
,, apparebat, nequaquam naturalem operationem carnis naturæ nostræ humanæ, &
,, patientem lædens, sed contra potius etiam
,, conservans ad propriam manifestationem.
,, Sicut & anima tamquam per instrumentum
,, proprii corporis, & per naturalem operationem ejus, ea quæ sibi propria sunt, &
,, suam operationem naturalem profert. Extensio enim manus, & tactus, & mixtio
,, luti manu facta, ac fractio panis, & denique id omne quod manu, vel alio membro fiebat, naturalis operationis humanitatis Christi erat, qua tamquam homo ipse
,, natura Deus operator erat, & divina naturaliter operabatur, ut per utraque, (divina scilicet & humana) utraque secundum
,, naturam probaret, perfectum Deum, &
,, perfectnm hominem, absque solo peccato
,, se vere esse ostendens. Non igitur ignoravit Pater Cyrillus proprietatem præcipuam

 ,, uniu-

„ uniuscujusque naturæ, & eam quæ alias „ naturales proprietates comprehendit; ope- „ rationem dico creatricem & vivificatricem „ ex anima corpori ejus impartitam, quas „ Verbum incarnatum servans in seipso, sin- „ ceras, & non confusas demonstravit.

Respondet secundo *S. Maximus in Epistola ad Nicandrum*: Unam & eamdem a *S. Cyrillo* vocari actionem duarum naturarum, & cognatam, propter arctissimam earum unionem, qua fit, ut quemadmodum natura hominis assumpta, sic hujus actio divina sit, & Verbi propria. Itaque in idem opus, cujusmodi erat mortui ad vitam revocatio, vel visus restitutio, ambo concurrebant, ab eadem persona, diversis ex pricipiis manantes. „ Quamobrem (inquit) unam dico ejus, & „ sanctæ carnis, & cognatam per ambo ope- „ rationem monstrare, unam quidem unione, „ cognatam vero partibus, utpote quæ ejus- „ dem fuerit in omnium efficiente imperio „ & tactu sanctæ carnis. Per ambo enim „ hanc operationem magnifice ostendebat, „ tamquam Deus, monstrans vivificando „ per eam, quod ipsa caro facta est per to- „ tum vivifica: Sicuti ignis per ferrum urens, „ unione sua cum ipso ferro, ferrum reddit „ urendi vi præditum, ut deinceps non solius „ ignis secundum naturam sit adustio, sed „ etiam ipsius ferri, propter unionem: ac „ similiter divina Verbi in miraculis opera- „ tio, non sit ipsius Verbi tantum propter

„ na-

„ naturam, sed sanctæ carnis propter unionem cum ipso secundum hypostasim. Eam „ enim adhibet sibi cooperariam in divinis, „ ut ait Magister, sicut anima corpus suum „ adhibet ad perficienda opera sua.

Quod vero vocabulum συγγενὴ spectat, docet ibidem *S. Maximus*, illa dici cognata a Patribus, tam quæ sunt ejusdem, quam quæ diversæ substantiæ, ut cum *S. Gregorius Nazianz.* in Oratione funebri Cæsarii fratris, de anima quæ corpus resumet in Resurrectione, sic loquitur: *Paullo post vero cum cognatam carnem receperit. Carnem vocat animæ cognatam, non propter naturam, sed propter unionem* (inquit S. Maximus.)

Oratione vero in Sancta Lumina de unigenito Filio loquens: *A cognato*, inquit, *Spiritu Sancto contestatus*. Ibi cognatum propter naturam, non propter unionem dixit. Sanctus autem *Cyrillus* hanc vocem iis etiam accomodat, quæ substantia & hypostasi distinguuntur. In Commentariis enim in *S. Joannem* loquens de curatione quæ fit per Baptismum, ait ipsam *cognationem habere cum corpore & Spiritu. Spiritu quidem sanctificare spiritum hominis, aqua vero corpus.*

Objiciebant Monothelitæ: Quemadmodum instrumenti, & ejus quod movet, una est operatio, sic Divinitatis & humanitatis una itidem est operatio.

Respondet *S. Maximus*, apud *Euthimium in Panoplia* Tit. 18. „ Si vos quidem instru- „ men-

„ mentum naturale esse dicitis Verbum, ex „ opinione vestra, carni erit æquale tempo- „ re; vel caro erit coæterna Verbo. Quid- „ quid enim naturali utitur instrumento, ha- „ bet hoc æquale tempore; quemadmo- „ dum corpus anima. Ac jam tempus est „ ut naturam Divinam inter creaturas nu- „ meretis; aut certe corpus esse dicatis „ increatum. Quod si instrumentum arti- „ ficiale esse statuitis, inanimum hoc esse „ vultis, ac separatim consistens, & divi- „ sum, nec perpetuo motum, sed tunc solum „ cum operanti id in manus sumere, & ope- „ rari visum fuerit. Ac demum vel cum in- „ sano Nestorio idem vos ostenditis sapere, „ qui naturas duas in eamdem Christi hypo- „ stasim, unamque personam convenientes „ divisit ac disjunxit. Vel Apollinaris impii „ discipulos vos esse prodetis, qui Christi „ corpus animæ ac mentis expers asserebat „ esse. Naturalis nomine instrumenti, conjunctum omne instrumentum non intellexit *Sanctus Maximus*, sed illud tantum quod in naturæ unitatem convenit, sive quod eamdem cum alio naturam componit, sicut corpus hominis naturam cum anima constituit, & manus naturæ humanæ integritatem cum ceteris partibus componit. Hoc autem sensu natura humana Christi naturalis Verbo dici non potest, sive naturale illius instrumentum. Siquidem non eamdem cum eo naturam constituit, neque propriam ipsius naturam induit, sed hypo-

poſtaſi dumtaxat cum illo copulatur. Negat itaque *Sanctus Maximus*, eodem modo humanam naturam inſtrumentum eſſe Verbi, quo corpus animæ, vel ſecuris artificis inſtrumentum eſt. Hujuſmodi quippe inſtrumenta nihil ex ſe & citra principalis cauſſæ motionem operantur. At natura hominis ſic ad agendum adhibita eſt a Verbo, ut per ſe aliquid conferret ad opus.

Reſpondeo ſecundo, Unam eſſe inſtrumenti, & ejus a quo mavetur, operationem; ſi ſermo ſit de actione quæ inſtrumento imprimitur ex motivo alterius, qua ad idem opus occurrit: non autem ſi ſermo ſit de actione inſtrumenti, quæ ex propria ejus forma oritur. Quamvis itaque una eſſet operatio naturæ humanæ ac divinæ, quatenus humana natura ad opera creaturæ captu majora adhibebatur, & movebatur a Verbo, verbi gratia, illuminationem cæci, aut mortui ſuſcitationem: quædam tamen operatio propria erat hominis, ex ipſius natura ſive forma progrediens, puta tangere, ſpuere, loqui, velle etiam & imperare humana voluntate. Lege *Sanctum Thomam*, III. P. Q. XIX. Articulo I.

Objiciebat *Pyrrhus* in Diſputatione cum *Sancto Maximo*: Chriſtus unus eſt: ergo tamquam unus omnino volebat. Igitur unica eſt Chriſti voluntas, non duæ.

Reſpondet *Sanctus Maximus*, negando conſecutionem: Quia licet Chriſtus ſit unus, eſt tamen natura Deus & homo. Volebat igitur Chri.

Christus ut Deus & homo. Dupliciter itaque, & non uno modo volebat, licet unus esset. Etenim si nihil aliud est Christus præter naturas suas, ex quibus, & in quibus est: perspicuum est quod convenienter naturis suis Christus, id est, ut unaquæque apta nata erat, & volebat, & operabatur. Erant autem duæ naturæ ejus: duæ igitur voluntates ejus naturales, & quæ cum ipsis numero totidem sunt substantiarum operationes. Sicut enim numerus naturam unius & ejusdem Christi, si pie intelligatur, & dicatur, non dividit Christum, sed differentiam naturarum etiam in unione custodiri demonstrat: sic numerus voluntatum & operationum, quæ secundum substantiam in ejus naturis insunt, non divisionem inducit, sed earum etiam in unione custodiam tantum & incolumitatem declarat.

Instabat *Pyrrhus*. Voluntates secum inferunt volentes: Si igitur duæ sunt voluntates in Christo, unus non erit Christus.

Respondet *Sanctus Maximus*, negando principium, cui ratiocinium istud nititur. Si enim inquit, concedatur inferri cum voluntatibus volentes, reciproca consecutione inferentur cum volentibus voluntates, eritque in Deo una hypostasis, quia una est in eo voluntas: tres vero voluntates, quia tres sunt personæ, ac proinde tres naturæ. Siquidem, secundum definitiones & regulas Patrum, differentia voluntatum differentiam infert naturarum.

Ur-

Urgebat *Pyrrhus*. Si velle naturæ eſt, cum Patres dixerint, unam eſſe Dei, & Sanctorum voluntatem; una erit Sanctorum, & Dei natura.

Reſpondet *Sanctus Maximus*, diſtinguendam illam propoſitionem propter homonymiam vocum. Voluntas enim dici ſolet vis *volendi quæ volenti ineſt, & cauſſa volendi, ſeu objectum quod eſt extra volentem*. Igitur cum Patres unam Dei & Sanctorum voluntatem eſſe dixerunt, ſubſtantialem Dei voluntatem & effectricem, ſeu vim volendi in Deo non intellexerunt; quia ſic intelligendo, non ſolum Sanctos ejuſdem cum Deo naturæ feciſſent, ſed etiam ſibi ipſis repugnaſſent, cum diſerte ſcripſerint; *Non poſſe diverſas ſubſtantias communem habere voluntatem*. Spectarunt igitur rem volitam; atque ita *ſecundum cauſſam*, ſive (ut quibuſdam loqui placet, *per abuſionem*) voluntatem appellarunt Patres eam rem quam quis vult.

Objiciebat *Pyrrhus*. Si velle naturæ eſt, a nobis ipſis, & ab aliis natura diſſidemus; immo & infinities mutamus naturam: Siquidem voluntatibus a nobis ipſis, & ab aliis diſſidemus, & nunc quidem hoc volumus, nunc autem illud nolumus.

Reſpondet *Sanctus Maximus*, modum quidem volendi, quo ab aliis diſſidemus, infinities mutari, non ipſam voluntatis naturam. Non enim eſt idem velle, inquit, & aliquo modo velle. Sicut non eſt idem videre, & ali-

aliquo modo videre. Nam velle, ſicut & videre, naturæ eſt, & omnibus, qui ejuſdem naturæ ſunt, ineſt. At vero aliquo modo velle, ſicut aliquo modo videre; id eſt, velle deambulare, & nolle deambulare; videre ad dexteram, vel ad lævam, vel ad libidinem, vel ad perſpicientiam rationum, quæ in rebus inſunt, modi ſunt utendi voluntate & aſpectu; & hic modus ineſt utenti tantum, & ab aliis eum diſtinguit ſecundum differentiam communiter dictam. Si autem ipſam naturam habemus hoc teſtantem: igitur velle comedere, & nolle comedere, non tollit illud velle quod naturæ eſt, ſed velle aliquo modo; ideſt, eorum quæ volumus eſt ortus & interitus. Neque enim ſi ponamus, quæ a Deo facta ſunt, quæ ſunt ea quæ ipſe voluit interire; cum his etiam voluntas, quæ ante ea cogitatur, & eſt eorum effectrix ſecundum ſubſtantiam, ſimul interibit. Hæc S. *Maximus*.

FINIS.

DISSERTATIO

DE

TERRENO, ET MILLENARIO CHRISTI REGNO

CONTRA CERINTHUM.



DISSERTATIO,

QUA REFELLITUR ERROR CERINTHI DE TERRENO ET MILLENARIO CHRISTI REGNO.



HIC error refellitur Scripturæ ſacræ auctoritate: nam Cerinthus carnis voluptates in millenario Chriſti regno fruendas aſſerebat; Scriptura vero contrarium decernit ipſius Chriſti voce Matth. 22. *In reſurrectione, neque nubent, neque nubentur; ſed erunt ſicut Angeli Dei*. 2. Regnum Chriſti futurum æternum, Angelus Virginem adiens nuntiavit: *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*. Ergo mille annis non eſt circumſcribendum cum Cerintho, nec terrenum exiſtimandum. 3. Matth. 24. & 25. poſt enarratam Antichriſti perſecutionem, ſtatim ultimum deſcribitur judicium, in quo Chriſtus Electos ad æternum regnum invitabit, non ad terrenum: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi . . . Et ibunt hi in vitam æternam*.

Idem Eccleſia definivit in Concilio ſecun-

do Œcumenico, Constantinopolitano primo, quod Symbolo Nicæno addidit, *Cujus regni non erit finis*,

Probatur secundo ex Patribus, qui hunc errorem oppugnarunt. Ex Cajo perantiquo Scriptore, apud Eusebium lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. „ Cerinthus, *inquit*, qui „ per adumbratas revelationum, tamquam a „ magno quodam Apostolo conscriptarum species, absurda portenta, præstigiasque quasi „ per Angelos ipsi ostentatas, nobis falso comminiscebatur, hæc asseveranter introducit; „ post resurrectionem carnis humanæ, regnum „ Christi terrestre futurum, & apud Hierusalem homines in carne cupiditatum & voluptatum blanditiis inservituros. Qui cum sacrosanctis Dei eloquiis esset infestus, numerum mille annorum in nuptiarum festis & „ celebritate dicebat consumptum iri.

Ex S. Dionysio Alexandrino lib. de Promissionibus: „ Cerinthum quidem, qui Cerinthianam hæresim ab ipsius nomine sic dictam proseminavit, hoc disciplinæ decretum tenuisse constat, regnum Christi terrestre deinceps futurum. Et quarum rerum cupiditate ipse ducebatur (quippe qui invitamentis corporis, & carnis cum primis obsequeretur illecebris) in eisdem beatam vitam „ fore somniavit, ut in ventris, & earum „ partium, quæ ad Venerem spectant, expletione; hoc est, non in esculentis solum, „ poculentis, & nuptiis, verum etiam in fe- „ stis,

„ stis, sacrificiis, hostiarum cæde, & aliis „ denique rebus, qaibus ista putaret affluentius posse suppeditari.

In eodem libro Nepotem præsertim quemdam in Ægypto Episcopum Dionysius Alexandrin. refellit, qui Cerinthi errorem instaurare visus est: quippe qui *Promissa in sacris Scripturis sanctis viris factitata, in hoc sæculo, sicuti Judæi somniant, præstanda fore docuit, hominibusque persuaderc laboravit, eos certo quodam millenario annorum numero in deliciis corporeis, & voluptate, in terra victuros*, ut refert Euseb. lib.7. c.19. Porro de Nepotis libro, quem confutandum aggreditur, ita scribit Dionys. „ Verum, *inquit*, cum opus scri-
„ ptum nobis objectum sit, illudque (ut qui-
„ busdam placet) ad persuadendum valentissi-
„ mum; cumque Doctores ejus sectæ Legem
„ & Prophetas pro nihilo putent, Evangelia
„ sequi negligant, Apostolorum Epistolas de-
„ pravent, hujus tamen Operis, quod dixi,
„ doctrinam, tamquam magnum aliquod &
„ abstrusum mysterium complectentem asseve-
„ rant; cumque Fratres nostros aliquanto sim-
„ pliciores, & magis imperitos, de sublimi
„ & admirando opere gloriosi, vereque divi-
„ ni Domini nostri adventus, vel nostræ a
„ mortuis resurrectionis, vel cum Domino
„ conjunctionis, consociationisque, & ad ejus
„ immortalem naturam assimilationis, non ali-
„ quando cogitare sinant, sed illis persuadere
„ conentur in regno Dei abjecta, & mortalia

 „ præ-

„ præmia (qualia ab hominibus in hac vita ex-
„ pectare solemus) tandem futura : nobis cer-
„ te necessum arbitror adversus istum Ftatrem,
„ quem dico , Nepotem , perinde ac si præ-
„ sto adesset , acuta ratione disceptare .

Refellitur tertio idem error ex Eusebio lib.3. Historiæ Eccles. cap.33. ubi de S. Papiæ Commentariis agens , hæc habet : „ Alia præ-
„ terea idem Auctor , quasi traditione non
„ scripta , ad se pervenisse commonstrat , quæ
„ peregrinas quasdam Servatoris parabolas &
„ novas ejus doctrinas , aliaque nonnulla com-
„ mentitiis fabulis referta continent . In qui-
„ bus asserit , regnum Christi post universæ
„ carnis a mortuis resurrectionem , mille an-
„ nos , humano & corporeo more , in terra
„ hac centinuatum & stabilitum fore . Quæ
„ quidem dogmata , credo eum propterea ex-
„ cepisse , quod Apostolicas interpretationes ,
„ quæ ab illis essent arcanis figuris,& parabolis
„ subobscuris expositæ , male intellexisset .

Refellitur quarto ex S.Hieronymo in Præfat. lib.18.Commentariorum in Isaiam . „ Apo-
„ calypsim Joannis , *inquit* , si juxta litteram
„ accipimus , judaizandum est ; si spirituali-
„ ter , ut scripta est , disserimus , multorum
„ Veterum videbimur opinioni contraire ; La-
„ tinorum , Tertulliani , Victorini , Lactan-
„ tii : Græcorum , ut ceteros omittam , Ire-
„ næi tantum Lugdunensis Episcopi faciam
„ mentionem : adversus quem vir eloquentis-
„ simus Dionysius , Alexandriæ Pontifex , ele-

„ gan,

„ gantem scribit librum irridens mille annorum
„ fabulam, & auream atque gemmatam in
„ terris Jerusalem, instaurationem Templi,
„ hostiaram sanguinem, otium Sabbati, cir-
„ cumcisionis injuriam, nuptias, partus, libe-
„ rorum educationem, epularum delicias, &
„ cunctarum gentium servitutem: rursusque
„ bella, exercitus, ac triumphos, & supe-
„ ratorum neces, mortemque centenarii Pec-
„ catoris; cui duobus voluminibus respondit
„ Apollinarius, quem non solum suæ sectæ
„ homines, sed & nostrorum in hac parte
„ dumtaxat plurima sequitur multitudo; ut
„ præsaga mente jam cernam, quantum in me
„ rabies concitanda sit. Quibus non invideo,
„ si tantum amant terram, ut in regno Christi
„ terrena desiderent, & post ciborum abun-
„ dantiam, gulæque ac ventris ingluviem, &
„ ea quæ sub ventre sunt, quærant.

Quinto S. Epiphanius Hæresi 77. hunc errorem, ab Apollinari suscitatum, refellit his verbis: „ Nam si denuo ut circumcidamur re-
„ surgimus, cur non circumcisionem antever-
„ timus? Sane qui in hac vita idipsum quod
„ perfectum habetur, cognoverint, & tanto
„ ante usurpare cœperint, luculentius ad fu-
„ turam illam perfectionem obtinendam jus na-
„ cti sunt. Quorsum igitur ab Apostolo di-
„ ctum est: Si circumcidamini, Christus nihil
„ vobis proderit? Item: Qui in lege justifi-
„ camini, a gratia excidistis. Tum illud etiam
„ Servatoris dictum: In resurrectione enim

„ neque ducunt uxores, neque nubunt; ſed „ æquales ſunt Angelis. Quod autem ſcriptum „ eſt: Sedebitis ad menſam Patris mei, co- „ medentes & bibentes. Et, cum illud bi- „ bam novum vobiſcum in regno cælorum; „ ex eo quod additur, novum, & ad menſam „ regni, alio ſenſu accipiendum illud videtur. „ Quippe & nos id quod e ſacris didicimus, „ potum ac cibum quemdam illic ambroſium „ eſſe defendimus, de quibus ſcriptum eſt: „ Quæ oculus non vidit, nec auris audiit, ne- „ que in cor hominis aſcenderunt, quæ præ- „ paravit Deus diligentibus ſe.

„ Sed ita ille ſtatuit; primum, in toto „ illo millenario curriculo, naturalibus nos vo- „ luptatibus eſse fruituros, labore omni ac „ dolore ſublato. Quo quidem evoluto tempo- „ re, eorum quæ dicta ſunt, participes futu- „ ros; quod hæc verba declarant: Quæ nec „ oculus vidit, nec auris audivit.

„ Verum hic illorum ſermo omnibus Scri- „ pturæ ſententiis repugnat. Cum enim Lex „ neminem perfectum reddiderit, & eamdem „ tamen Legem poſt reſurrectionem obſervare „ nos jubeant; cumque ſancta illa Lex, quam „ per Moyſem Dominus nobis edidit, pæda- „ gogi nos inſtar ad Chriſtum perduxerit, cui, „ quod longe abſolutis illis ac perfectis eſset „ inferior, datum negotium eſt, ut nos ad „ excellentius illud, ac velut caput, ſum- „ mumque deduceret: cum poſt hæc Chriſtus „ perfectus ille ac Dominus advenerit, ac de

„ pæ-

„ pædagogi manu alumnum ac tyronem, hoc
„ eſt collectam è Fidelibus Eccleſiam, velut
„ quamdam virginem acceperit; adeo ut præ-
„ ſtantiorem alium, nimirum conſummatorem
„ Jeſum, Legis, ſic tamquam pædagogi,
„ beneficio cognoverimus: nonne ſumma ex
„ ingenii inopia ac ſtultitia profectum eſt,
„ quod ab illius dogmatis patronis aſſeritur;
„ poſt collatam illam a Chriſto perfectionem,
„ pædagogo iterum opus eſſe, ut ad priora
„ illa initia & elementa, doctrinamque, ac
„ manuum impoſitionem revertamur? Cum
„ tamen Apoſtolus diſerte non doceat: Quid-
„ quid inveteratum eſt, ac ſenio confectum,
„ proxime ad interitum ſpectare: quod de
„ Veteri Teſtamento, ac Lege pronuntiavit.
„ Translato enim (inquit) Sacerdotio, ne-
„ ceſſario fit & Legis translatio. Quare cum
„ Vetere Teſtamento translato Novum inſtau-
„ ratum fuerit; quis eſt audacia tanta prædi-
„ tus, qui Vetus ad uſum denuo revocare
„ contendant, Novum autem ad vetuſtatem
„ transferre; ut & cauſſam nobis præbeat
„ cur excidamus a gratia; & ab eo fructu,
„ qui per Chriſtum nobis comparatus eſt, ver-
„ tere conetur?

Sexto, refellitur hic error auctoritate S. Auguſtini lib.20. de Civit. Dei, cap.7. ubi recenſita Millenariorum ſententia, & verbis Apocalypſis, quibus eam propugnabant, hæc ſubjungit: „ Quæ opinio eſſet utcumque tole-
„ rabilis, ſi aliquæ delitiæ ſpiritales in illo

„ Sabbato affuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando. Sed cum eos qui tunc resurrexerint, dicant immoderatissimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus sit tantus ac potus, ut non solum nullam modestiam teneant, sed modum quoque ipsius credulitatis excedant, nullo modo ista possunt nisi a carnalibus credi. Hi autem qui spiritales sunt, istos ista credentes, χιλιαστὰς appellant Græco vocabulo; quod verbum è verbo exprimentes, nos possumus Milliarios nuncupare.

Objicitur in gratiam Cerinthi, ex Apocalypsis 20. ubi regnum Christi millenarium cum Sanctis diserte adstrui videtur his verbis: „ Et vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille; & misit eum in Abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore. Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis: & animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter Verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, donec

„ con-

„ consummentur mille anni. Hæc est resurre-
„ ctio prima. Beatus & Sanctus, qui habet
„ partem in resurrectione prima: in his secun-
„ da mors non habet potestatem, sed erunt
„ Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt
„ cum illo mille annis. Et cum consummati fue-
„ rint mille anni, solvetur Satanas de Car-
„ cere suo, & exibit, & seducet gentes quæ
„ sunt super quatuor angulos terræ Gog & Ma-
„ gog, &c.„ Ex quibus sic colligo. Christi regnum, in quo Sancti mille annis cum illo regnabunt, & Sacerdotes erunt, immolando victimas, & libando sanguinem hostiarum post resurrectionem, illud ipsum est millenarium Christi regnum, quod admisit Cerinthus: atqui istud adstruitur citatis verbis Apocalypsis: ergo non est erroris damnanda Cerinthi & Millenariorum opinio.

Resp. nego min. & interpretor obscurissimum Apocalypsis oraculum, ex doctrina præsertim S. Augustini lib.20. de Civitate Dei, cap.7. Mille anni, quibus Sancti cum Christo regnabunt, tempus designat universum a morte Christi ad usque Antichristi adventum decurrens; seu totam Ecclesiæ per Christum in terris fundatæ durationem. Millenarius namque numerus solemni Scripturæ phrasi multitudinem maximam atque indefinitam significat, ut *Psal.*104. „ Memor fuit in sæculum testa-
„ menti sui, verbi quod mandavit in mille ge-
„ nerationes; *Et Psal.*80. Mille anni ante ocu-
„ los tuos, tamquam dies hesterna, quæ præ-

 „ teriit.

„ teriit. *Et Job.9.* Si voluerit contendere cum „ eo, non poterit ei respondere unum pro mille. *Hinc S. Augustinus loc. cit. ait*: Mille „ annos, pro annis omnibus hujus sæculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo.

Itaque Christus ille magni consilii Angelus, de cælo descendens diabolum per annos mille alligavit, id est toto illo temporis intervallo, quod ab ejus passione ad finem mundi intercedit: quia nimirum ejus *potestatem ab eis seducendis ac possidendis, qui fuerant liberandi, cohibuit atque frænavit*, ut exponit S. August. *Et misit illum in Abissum* (inquit S. Joannes) id est in corda hominum impiorum, ejiciendo ipsum ex gentium electarum finibus, in quibus antea per idolatriam regnabat. Missus autem illuc dicitur a Christo non quod ibi antea non esset, sed *Quia exclusus a credentibus, plus cœpit impios possidere: Plus namque possidetur a diabolo, qui non solum alienatus est a Deo, verum etiam gratis odit servientes Deo*, inquit S.Augustinus. *Et clausit & signavit super eum, ut non seducat amplius gentes*, (inquit dilectus discipulus) id est compressit ejus ferociam, ipsumque cohibuit, ne seduceret amplius gentes. *Ex quibus prædestinata constat Ecclesia, quas antea seductas tenebat, antequam esset Ecclesia*, inquit S. Augustinus. *Et clausit & signavit* (pergit S. Joannes) *quia occultum esse voluit, qui pertineant ad partem diaboli, & qui non pertineant. Hoc quippe in sæculo isto pror-*

prorsus latet; quia & qui videtur stare, utrum sit casurus, & qui videtur jacere, utrum sit resurrecturus, incertum est. (ex S. Augustino.)

Post hæc oportet eum solvi modico tempore (inquit S. Joannes) id est completo millenario, seu mundo ad finem vergente, & ultimi judicii die imminente, solvetur Diabolus, ut per Antichristum persecutionem excitet in Ecclesiam, Deo permittente, qualis ab initio non fuit. Modicum autem dicitur tempus, quo solvendus est. „ Nam tribus annis, & sex mensibus le„ gitur totis suis, suorumque viribus sævitu„ rus: & tales erunt, cum quibus ei bellige„ randum est, ut vinci tanto ejus impetu, in„ sidiisque non possint. Si autem numquam „ solveretur, minus appareret maligna ejus „ potentia, minus sanctæ civitatis fidelissima „ patientia probaretur, minus denique per„ spiceretur, quam magno ejus malo tam bene „ fuerit usus omnipotens Deus, qui eum nec „ omnino abstulit a tentatione Sanctorum, „ quamvis ab eorum interioribus omnibus, ubi „ in Deum creditur, foras missum; ut forin„ secus ejus oppugnatione proficerent; & in „ eis, qui sunt ex parte ipsius alligavit, ne „ quantam posset effundendo & exercendo ma„ litiam, innumerabiles infirmos, ex quibus „ Ecclesiam multiplicari & impleri oportebat, „ alios credituros, alios jam credentes, fide „ pietatis hos deterreret, hos frangeret. Et „ solvetur in fine, ut quam fortem adversa„ rium Dei civitas superaverit, cum ingenti „ glo-

„ gloria sui Redemptoris, Adjutoris, Libe-„ ratoris aspiciat „. *Ita* S. August. *lib.20. de Civitate Dei cap.8.*

Ait autem S. Joannes, Sanctos, qui judiciariæ potestatis honore a Christo exornati sunt & Mertyrum præcipue animas, qui non adoraverunt bestiam, id est Antichristo non cesserunt, aut infidelium, impiorumque populo consensere, nec acceperunt inscriptionem bestiæ, *Notam scilicet criminis, in fronte, propter professionem; in manu propter operationem* (ut ait S. Augustinus) regnasse cum Christo mille annis: id est intra illud temporis intervallum, quod judicium ultimum præcedet. Regnant autem cum Christo, non in regno terreno, sed spirituali, scilicet in Ecclesia quæ regnum cælorum dicitur. *Regnant*, inquam, *cum illo, qui eo modo sunt in regno ejus, ut sint etiam ipsi regnum ejus.*

Quod autem addit S. Joannes, *Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni* ad reprobos spectat, qui eo tempore, non vixerunt in Christo quo vivere debuerunt, de morte peccati ad vitam gratiæ transeundo. Hæc resurrectio prima est, id est resurrectio animæ. Beatus, qui ejus est participes. In hoc secunda mors; quæ est æterna damnatio, non habet potestatem. Ille autem particeps est primæ resurrectionis, *Qui non solum a morte, quæ in peccatis est, reviviscit, verum etiam in eo quod revixerit, remanebit*, inquit S. Augustinus cap.9. lib.20. de Civitate Dei.

De-

Denique quod addit S. Joannes: *Sed erunt Sacerdotes Dei & Christi*, non ſignificat Sanctos miniſteria Sacerdotum legalium obituros, offerendo ſacrificia & victimas, ſecundum legem Moſaicam: ſed innuit ipſos ſore intimos Dei amicos, divinorum conſcios arcanorum, regnique cæleſtis Principes. Sæpiſſime enim in Scriptura ſacra nomen Sacerdotis nomen eſt dignitatis & honoris in aulis Principum, ut cum 2. Reg. 20. dicitur: *Ira autem Jairites, erat Sacerdos David*: id eſt (ut vertit Paraphraſtes Chaldæus) *Princeps David*. Et capit. 8. ejuſdem libri dicitur: *Filii autem David Sacerdotes erant*; id eſt, ut vertunt LXX. *Aulæ Principes*. Quam verſionem juvat locus ex 1. Paral. cap. 17. in Vulgata noſtra: *Porro filii David primi ad manum Regis*. Vel Sancti vocantur *Sacerdotes*, quod juge laudis & gratiarum actionis ſacrificium Deo & Chriſto offerant; vel denique Sacerdotes dicuntur, quia *Membra ſunt unius Sacerdotis*. *De quibus Apoſtolus Petrus*: *Plebs*, inquit, *ſancta*, *regale Sacerdotium*. Sic exponit S. Auguſtinus lib. 20. de Civitate Dei, cap. 10. Igitur citatum Apocalypſis oraculum, Cerinthi & Millenariorum errori nullatenus ſuffragatur.

Inſtabis. Regnum illud Chriſti, de quo vaticinatur S. Joannes in Apocalypſi, ſubſequetur poſtremum judicium: ergo Sancti regnabunt cum Chriſto mille annis, poſt finem mundi.

Reſp. nego antec. Illa enim verba *Vidi ſedes, & ſedentes ſuper eas, & judicium datum eſt*,

est, de ultimo judicio nihil cogit ut intelligantur, *Sed sedes Præpositorum, & ipsi Præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Judicium autem datum, nullum melius accipiendum videtur, quam id dictum est: Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo: & quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo*. Sic exponit S. Augustinus lib.20. de Civitate Dei, cap.9.

Objicitur 2. Ea sententia non est damnanda erroris, quam Patres priorum sæculorum propugnarunt. Atqui Patres priorum sæculorum, sententiam Cerinthi de millenario Christi regno propugnarunt: ergo illa sententia non est erroris insimulanda.

Prob. minor. In illa enim sententia fuisse S. Papiam constat ex Eusebio l.3. Hist. Eccles. cap.33. & ex S. Hieron. in Catal. Scriptorum Ecclesiasticorum in *Papia*. Huic suffragantur S. Justinus Martyr. in Dialogo cum Tryphone pag.306. S.Irenæus lib.5. adversus Hæreses, cap.32. & seqq. Tertullianus lib. de Spe Fidelium, ut testatur S. Hieronymus in cap.36. Ezechielis, qui Tertulliani liber non extat, & lib.3. adversus Marcionem, cap.24. & S. Victorinus Petabionensis Episcopus, teste S. Hieronymo, & Lactantius Firmianus lib.7. Divinarum Institutionum, cap.24. & 26. & Severus Sulpitius in Dialogo, cui *Gallio* nomen imposuit, ut S. Hieronymus testatur.

Respondeo, istos Patres in hoc erasse, deceptosque fuisse apochryphis Domini Sermoni-

nibus, quos Papias conſcripſerat, *vir ingenii* quidem *pertenuis*, ut ex ejus libris judicavit Euſebius, ſed tamen ob convictum & familiaritatem cum diſcipulis Apoſtolorum, & ſeniore præſertim Joanne, necnon martyrii coronam, venerationem maximam apud Patres prioris ævi promeritus. Verum ſtatim atque innotuit hos Domini Sermones a Papia obtruſos, apocryphos eſſe, Patres omnes illam millenarii regni Sanctorum cum Chriſto aſſertionem exploſerunt & confutarunt, ut conſtat ex S. Dionyſio Alexand. Euſeb. Hieron. Epiph. Auguſt. quibus addendus eſt S. Baſilius Magnus, Epiſtola 74. ad Occidentales Epiſcopos, ubi hunc in Apollinario errorem inſectatur his verbis: „ Scripſit & de reſurrectione quædam fabuloſe, immo judaice compoſita; in quibus dicit, nos iterum ad cultum a lege præſcriptum reverſuros; ita ut iterum & circumcidamur, & Sabbatum obſervemus, & cibis in lege prohibitis abſtineamus, ſacrificiaque Deo offeramus, & in Templo Jeroſolymis adoremus, atque prorſus ex Chriſtianis Judæi reddamur; quibus quidnam poterit rediculum magis, immo alienus ab Evangelico dogmate dici?

Reſp.2. citatos Patres longe aliter millenarium Chriſti regnum in terris intellexiſſe, & expoſuiſſe, quam Cerinthum. Illi namque, nec Templi Hieroſolymitani inſtaurationem, nec Circumciſionis, aliorumque legalium illo in regno futuram obſervantiam dixerunt, vel leviter

ter iusinuarunt. Quod proprium erat Cerinthi commentum, & singularis error. Nec credere par est Patres, qui apprime noverant Christum passum esse, ut nos maledicto Legis eriperet, existimasse iterum venturum, ut nos in ergastulum Legis detruderet: præsertim cum Apocalypsis, quæ ipsis erroris ansam præbuit, Templum in nova Jerusalem instaurandum non doceat: immo nullum in ea futurum Templum diserte asserat. *Et templum*, inquit, *non vidi in ea; Dominus enim Deus Omnipotens Templum illius est, & Agnus.*

Deinde istud intercedit discriminis inter Cerinthum, & Patres Millenarios, quod Cerinthus in millenario illo Christi regno omne voluptatis corporeæ genus non solum admiserit, sed effusissimam libidinum omnium intemperiem: Patres vero delitias quidem corporeas illi Christi regno tribuerunt, sed moderatas, & quæ Sanctorum populum, Christique amicos decerent. Unde S. Hieronymus discrimen illud animadvertens, illorum Patrum sententiam non est ausus damnare erroris. Scribit namque in 19. Jeremiæ caput: ,, Quamquam ,, sibi Judæi auream atque gemmatam Jerusalem ,, restituendam putent: rursumque victimas, sa-,, crificia, & conjugia Sanctorum, & regnum ,, in terris Domini Salvatoris; quæ licet non ,, sequamur, tamen damnare non possumus, ,, quia multi Ecclesiasticorum Virorum, & ,, Martyres ista dixerunt: ut unusquisque in ,, suo sensu abundet, & Domini cuncta judicio ,, reserventur.

Et

Et S. *Augustinus* lib.20. De Civitate Dei, cap.7. duplicem Millenariorum sententiam fuisse docet: Primam eorum, qui spiritale penitus illud Regnum futurum esse contenderent, quam tolerabilem utcumque dicit sententiam, seque aliquando idem opinatum fuisse fatetur: alteram prorsus ridiculam eorum, qui Regnum illud fœdissimis delitiis diffluens sperarent aliquando constituendum.

Instabis ex Tertulliano libro de *Præscriptionibus Hæreticorum*, cap.31. *Id esse Dominicum, & verum, quod est prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.* Atqui sententia de millenario in terris Christi regno prius tradita est, siquidem illam Patres priorum sæculorum docuerunt: ergo illa sententia est Dominica, & vera.

Resp. nego minorem. Illud enim traditum censetur: *Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus traditum est*, ut ait Vincentius Lirinensis in Commonitorio. Atqui nec semper, nec ubique, nec ab omnibus illa sententia de millenario in terris Christi regno tradita est primis etiam Ecclesiæ sæculis, siquidem S. Justinus martyr in Dialogo cum Tryphone testatur multos huic sententiæ fuisse refregatos, qui christiane pieque sentirent. His verbis Tryphon quæstionem proposuerat Justino: „ Dic „ autem mihi verum, fatemini ne vos denuo „ instauratum locum hunc Jerusalem & popu- „ lum vestrum congregatum, atque lætitia „ eve-

„ evectum iri, cum Christo simul & Patriar-
„ chis & Prophetis, & his qui generis nostri
„ sunt, aut etiam qui ad nos accesserunt, Pro-
„ selytis, priusquam Christum adventurum
„ expectatis; an ut videare nos superare in quæ-
„ stionibus, eo decurris, ut ista non inficie-
„ re? *Huic respondit S. Justinus*: Non eo sum
„ miseriæ redactus, o Trypho, ut alia quam
„ sentio loquar. Confessus sum tibi & antea,
„ me quidem & alios plures eadem mecum
„ sentientes arbitrari, id, sicut plane scitis,
„ futurum: multos vero etiam qui puræ, piæ-
„ que sunt Christianorum sententiæ, hoc non
„ agnoscere, tibi significavi.

S. vero Irenæus, qui hanc a Papia præceptore suo opinionem acceperat, plurimos etiam ipsam oppugnasse testatur, quos hæreticos & ignaros perperam vocat. Cajus, & Dionysius Alexandrinus, eam ceu pestilentissimum errorem confutarunt. Eusebius, Epiphanius, Basilius, Hieronymus, August. aliique ipsam explosere. Non habet igitur veræ traditionis characteres.

Deinde non omnes pro hoc errore citati ipsum eodem modo propugnant. Quidam enim mere corporeas, alii spiritales dumtaxat delicias in millenario illo Christi regno degustandas sunt arbitrati; ut Tertul. qui hac de re ita scribit lib. 3. adversus Marcionem, c. 24. „ Nam
„ & confitemur in terra nobis regnum repro-
„ missum; sed ante cælum, sed alio statu,
„ utpote post resurrectionem in mille annos, in
„ Ci-

„ Civitate divini operis Jerusalem cælo delata, „ quam & Apostolus Matrem nostram sursum „ designat; & politeuma nostrum, id est, „ municipatum in cælis esse pronuntians, alicui „ utique cælesti civitati eum deputat. Hanc „ & Ezechiel novit, & Apostolus Joannes „ vidit, & qui apud fidem nostram est, novæ „ Prophetiæ sermo testatur, ut etiam effigiem „ civitatis ante repræsentationem ejus conspe„ ctui futuram prædicarit..... Hanc dicimus „ excipiendis resurrectione Sanctis, & refo„ vendis omnium bonorum utique spiritualium „ copia, in compensationem eorum quæ in „ sæculo vel despeximus, a Deo prospectam. „ Siquidem, & justum & Deo dignum, illic „ quoque exultare famulos ejus, ubi sunt & „ afflicti in nomine ejus.

Objiciuntur verba Christi Matt.26. ubi sic Apostolos in ultima Cœna sibi assidentes alloquitur. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* In regno itaque Christi, Sancti deliciis corporeis in cibo & potu positis perfruentur.

Resp. primo, potum illum vini in regno Dei metaphorice esse intelligendum, pro spiritualium deliciarum fruitione, sicut & cetera Scripturæ loca, in quibus de cibo & potu altera in vita mentio est, mystice sunt exponenda, ut illud Regii Vatis: „ Inebriabuntur ab „ ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis „ potabis eos. *Et illud Christi, Lucæ* 22. De-

„ fide-

„ ſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare
„ vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vo-
„ bis, quia ex hoc non manducabo illud, do-
„ nec impleatur in regno Dei. *Et illud*: Ego
„ diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater
„ meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper
„ menſam meam in regno meo. *Ft illud Apo-*
„ *cal.* 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni
„ vocati ſunt. *Hinc* Origenes *millenarii Chri-*
„ *ſti Regni opinionem inde natam docet*, „Quod
„ ſimpliciores quidam neſcientes diſtinguere, ac
„ ſecernere quæ ſint in Scripturis Divinis inte-
„ riori homini, quæ vero exteriori deputan-
„ da, vocabulorum ſimilitudinibus decepti,
„ ad ineptas quaſdam fabulas & figmenta ina-
„ nia ſe contulerint; ut etiam poſt reſurrectio-
„ nem cibis corporalibus utendum crederent,
„ potumque ſumendum non ſolum ex illa Vi-
„ te vera, & vivente in ſæcula, verum & ex
„ his vitibus ligni„. Hæc ille in Prologo
Comment. in Cantica, ſimiliaque habet lib. 2.
De Principiis, c. 12.

Reſp. 2. hæc verba ad illud temporis intervallum referenda eſſe, quod inter Chriſti reſurrectionem & triumphalem ejus in cælos aſcenſum interceſſit, quo cum Apoſtolis novo modo bibit de genimine vitis, & cum illis manducavit, ut ſuæ reſurrectionis veritatem probaret. Sic exponit S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 83. in Matth. „Novum autem, *in-*
„ *quit*, hoc eſt novo modo quodam, immo
„ inaudito atque mirabili: non enim paſſibile
„ ha-

„ habens, sed immortale atque incorruptibi-
„ le, alimentoque non indigens surrexit. Qua-
„ re cum opus non erat, post resurrectionem
„ comedit & bibit, cum ejus corpus istis nullo
„ modo amplius indigeat, sed ut certiori ar-
„ gumento resurrectionem firmaret.

Resp.3. per genimem vitis, Judæorum fidem mystice significari, qua in regno Patris, id est in Ecclesia, Christus erat recreandus. Ita S. Hieron. interpetratur in Comment. c.26. S. Matthæi: „ De Carnalibus, *inquit*, tran-
„ sit ad spiritalia: quod vinea in Ægypto trans-
„ plantata, sit populus Israel, cui per Jere-
„ miam Dominus loquitur; Ego te plantavi
„ vineam veram, quomodo mutata es in ama-
„ ritudinem, vitis aliena? Dicit ergo se Do-
„ minus de hac vinea nequaquam esse bibitu-
„ rum, nisi in regno Patris sui. Regnum Pa-
„ tris, fidem puto esse Credentium, Aposto-
„ lo quoque idipsum confirmante: Regnum
„ Dei intra vos est. Ergo cum Judæi recepe-
„ rint regnum Patris; cum, inquam, credi-
„ derint in Deo Patre, & adduxerit eos Pater
„ ad Filium, tunc de vino eorum bibet Do-
„ minus, & in similitudinem Joseph regnantis
„ in Ægypto, inebriabitur cum fratribus suis.

FINIS.

